1.

R. P.

LAURENTII ALTICOTII

CORTONENSIS

SOC. JESU PRESBYTERI

DISSERTATIONES

DE MENDACIIS, ET FRAUDIBUS

ISAACII BEAUSOBRII

CALVINIANI GREGIS PASTORIS

IN HISTORIA CRITICA

MANICHÆI, ET MANICHÆISMI.



ROMÆ MDCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI

Superiorum permissu.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

I. CUM adornassem dissertationem Historico-Criticam de antiquis, novisque Manichæis, quam propediem daturus eram in lucem, idque percrebruisset, doctissimi quidam, meique amantissimi viri, qui plurimum apud & auctoritate, & gratia valebant, a severioribus studiis cessantem incitaverunt, ut confutandam susciperem Historiam Criticam Manichæi, & Manichæismi, quam Isaacus Beausobrius, gente Gallus, superstitione Calvinianus, munere Pastor Calviniani Gregis, læsæ Majestatis crimine profugus, hospitio ultimo Berlinensis, Gallica lingua conscriptam, & in duo volumina dispertitam Amstelædani ex domesticis tenebris in publicam lucem ediderat. Narrabant, Beausobrium commemorata historia in id potissimum incubuisse, ut sectæ suæ vetustatem venditaret. Cum enim tum majores, tum æquales ejus Calviniani a Valdensibus & Albigensibus originem suam repeterent, Beausobrius, vetustate hac repudiata, quod sibi adhuc novitatem oleret, Valdenses & Albigenses tanquam rivulos aspernatus, ad Manichæos tertio Christi sæculo exortos, tanquam ad verum Calvinianismi fontem, digitum suum intendit; perinde ac si sola vetustas, insignibus ceteris denudata, satis idonea sit ad statuen-

dam veram Chriſti Domini Eccleſiam. Docebant præterea opus illud pernicioſiſſimum eſſe, quod cum a multis divinarum rerum ignaris, quæ in media theologia retruſæ ſunt penitus atque abditæ, ob eruditionis oſtentationem & orationis pigmenta avidiſſime legeretur, in abſurditates a chriſtiana religione abhorrentes, tanquam in latentes ſyrtes, ſcopuloſque cœcos incurrerent: quos ad ſcopulos traditæ ſibi fidei navicula, qua ad ſempiternæ ſalutis portum provehebantur, vel rimas ageret, vel penitus frangeretur. Addebant, neminem adhuc inventum vel inopia otii, vel moleſtia laboris, vel operis difficultate, vel alia quavis de cauſa, qui Calvinianorum omnium vaferrimum ſolide graviterque refelleret. Pauciſſimi vero illi, qui contra Beauſorium haſtas potius jactare, quam diſtricto gladio congredi viſi ſunt, non niſi exiliter, leviter, atque curſim, & aliud quiddam ſpectantes, eo munere ſunt perfuncti. His ego rationibus incitatus, quibus auctoritas etiam meorum Moderatorum acceſſit, tali operi perluſtrando, abjecta omni cunctatione, ſubitam ſedulamque operam collocavi.

II. Cum igitur legendo Brauſobrium, ejus mentem ſedulo inveſtigarem, deprehendi hominem malitioſum, fraudolentum, mendacem, calumniatorem, qui tum, cum maxime fallit, id agit, ut ſcriptor ſimplex, ingenuus, ſinceruſque eſſe videatur. Animadverti præterea hominem maxime contumelioſum in Sanctos Patres, Cyrillum Jeroſolymitanum, Epiphanium, Leonem

nem Magnum, potissimum autem in Augustinum, quem simulatis quandoque laudibus, verisque semper vituperationibus cumulat: Omnes denique Manichæorum oppugnatores, tanquam credulos, imperitos, ignaros; quin etiam tanquam mendaces, temerarios, calumniatores mendax ipse, temerarius, & calumniator vituperat. Patrocinium vero Manichæi, & Manichæorum fallacem hominem suscepisse, quos sectæ suæ præcursores, prolusores, & tanquam parentes primos non diffitetur, quorum maxime absonas, absurdasque sententias, partim negat, partim minuit, partim callidius interpretatur, in oculoa ipsos non oscitantis, nec dormitantis lectoris incurrit. In publicis autem & celeberrimis disceptationibus Augustinum inter & Manichæos, in Libris ex utraque adversa parte conscriptis, & pervulgatis, Manichæos superiores, victores, triumphatores, contra vero Augustinum victum, superatum, oppressum prædicat. Ubi vero ea refert, quæ falso catholicis Manichæi exprobrabant, ibi occasionem arripit Beausobrius, cum clientibus suis Manichæis, vituperandi sanctissimos Ecclesiæ Catholicæ ritus, mores, disciplinam, doctrinam, ita ut, vel ubi maxime absurdi sunt, tolerabiliores, probabilioresque catholicis Manichæos esse contendat. Persona vero, quam sibi in scena Beausobrius imposuit, non æqui judicis, non censoris integri, non sinceri scriptoris est; sed accusatoris iniqui, vafri declamatoris, suisque salibus inurbanis, impudentissimi scurræ.

III. Vides igitur, Amice Lector, necessitatem confutandi hominem in primis callidum, fraudolentum, mendacem, calumniatorem. Sed quis ego sum, qui onus mihi Ethna gravius imponere audeam. Haud illud aptum est viribus meis, senilesque humeri tantam sustinere molem recusant. Hæc ætas, hoc munus, hoc domicilium, ne talia moliar non modo admonent, verum etiam vehementer deterrent. Octavum enim supra septuagesimum annum ago. Curis distentus sum a Literarum studio prorsus alienis. Sed cohortantur amici, patroni postulant, urgent moderatores. Quid igitur consilii capiam? Expediam brevi deliberationem meam, qua his quoquo modo obsequar, qui me ad scribendum his de rebus compellunt. Insigniora quædam Beausobrii mendacia seligo, quæ in sexdecim dissertationes dispertio, quibus mendacem hominem, & quidem in rebus maximis, quæque ad fidem pertinent, fraudolentumque demonstro: item contumeliosum in sanctos Patres, maxime vero in S. Augustinum: præterea impium in deridendis veritatibus divinitus patefactis, Calvinianisque absurditatibus propugnandis. Neque vero omnes fraudes, omniaque Beausobrii mendacia depromo, quibus recensendis, confutandisque prope infinitus evaderem, adeo omnes fere Beausobrii paginæ fraudibus, mendaciisque redundant. Satis, superque sit mendacem sæpenumero, & fraudolentum hominem demonstrare. Si enim, ut est in veteri proverbio, Semel mendax, semper censetur mendax,

dax, quanto magis centies, & eo magis mendax, qualem Beausobrium demonstro, semper censendus est mendax.

IV. Quod autem pertinet ad sancitas historiæ leges, omnes omnino Beausobrius violavit, & fregit. Quatuor enim, optimo auctore Tullio lib. 2. de Orat. cap. 15, leges historiæ sunt, nimirum prima, Ne quid falsi dicere audeat: altera, Ne quid veri non audeat: tertia, Ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo: quarta, Ne qua simultatis. Has ergo leges quantum coluerit, quantumque Beausobrius servaverit videamus. Nihilne falsi dicere Beausobrius audet, qui universam Manichæorum historiam conquisitis undique mendaciis corrupit, & depravavit, quem falsum, atque mendacem veteres omnes Patres, ceterique rerum Ecclesiasticorum Scriptores, qui de hæresi Manichæa scripserunt, ab Archelao, qui primus sæculo tertio cum Manichæo disceptavit, usque ad hæc nostra tempora, consensione summa demonstrant? Num quidquid est veri in sua Manichæi, & Manichæismi Historia Critica dicere Beausobrius audet, qui exploratissimas Manichæorum turpitudines, qui patefacta & pervulgata exsecranda eorum mysteria, contra publicas tabulas, contra certissimos testes, contra Judices integerrimos pernegat? Num de gratia in scribendo Beausobrius non est suspectus, qui Manichæorum manifestum suscipit patrocinium, quos tuetur, quos probat, quos laudat? Num simultaris contra Catholicos nulla cadit

in

in Beausobrium suspicio, qui spectatissimos Ecclesiæ Catholicæ Patres, qui probatissimos in ea Scriptores, qui doctrinæ catholicæ professores omnes insectatur acerrime? Quæ cum ita sint, habes Amice Lector in hoc nostro opusculo de Mendaciis, & Fraudibus Isaacii Beausobrii in ejus Historia Critica Manichæi, & Manichæismi omnem consilii deliberationisque nostræ patefactam rationem. Quod si consilio, diligentia, industriaque nostra de Lectorum manibus, qui in theologicis studiis minus versati sunt, delapsa Beausobrii historia mendaciis, fraudibusque redundans ceciderit, non prorsus inutilem in confutando Beausobrio operam me navasse arbitrabor. Vale.

LAU-

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUm librum a P. Laurentio Alticotio Societatis nostræ Sacerdote conſcriptum, cui titulus, *Diſſertationes de Mendaciis, & Fraudibus Iſaaci Beauſobrii Calviniani Grægis Paſtoris in Hiſtoria Critica Manichæi, & Manichæiſmi*, aliqui ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 20. Auguſti 1766.

Laurentius Ricci.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordani Archiep. Nicomed. Vigesg.

APPROBATIONES.

Opus hoc, cui titulus *R. P. Laurentii Alticotii* jussu R.mi P. Thomæ Augustini Ricchini S. P. A. Magistri accurate, cogitateque perlegi. Nihil in eo reperire potui, quod a Fide Catholica, aut a sanioribus morum regulis alienum sit. Quin imo miram, solidamque Cl. Auctoris eruditionis copiam percepi, qua Beausobrii mendacia, atque calumnias in Sanctos Ecclesiæ Patres, potissimum autem in magnum Augustinum fœliciter detegit, ac nervose dispellit. Quare opus hoc absolutissimum, & limatissimum tantæ dignitatis, utilitatisque esse censeo, ut publicam in lucem recte, ac merito prodire valeat.

Romæ ex Aracœlitano Cœnobio quarto nonas Augusti Anno Domini 1766.

Frater Ambrosius Erba de Mediolano O. M. O., Sacra Congreg. Indicis Consultor, & Apostolicus Cleri Examinator.

Jubente R.mo P. M. Thoma Ricchini O. P. S. P. A. M. legi Ad. R. P. Laurentii Alticotii S. I. P. dissertationes *De mendaciis, & fraudibus Isaaci Beausobrii Calviniani gregis Pastoris in Historia Critica Manichæi, & Manichæismi*. Opus neque mediocri eruditione refertum, neque perfectum labore modico, Catholicæ veritati fulciendæ, probisque moribus confirmandis, apprime utile esse censeo.

Romæ in Cœnobio ad SS. XII. Apostolos XIII. Kal. Sept. 1766.

Fr. Laurentius Savorini Min. Conv. S.T.M. Publ. Philos. Prof.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchini Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

IN-

INDEX DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I.

De nonnullis contra S. Augustinum Beausobrii mendaciis, fraudibus, & contumeliis. Pag. 1

DISSERTATIO II.

De Beausobrii mendaciis in historia de nomine, atque persona Manichæi. 13

DISSERTATIO III.

De Beausobrii mendaciis in his, quæ spectant obscenissimam Manichæorum fabulam, 23

DISSERTATIO IV.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad causam pertinent, cur Deus in Manichæorum sententia animas in materiam immiserit. 36

DISSERTATIO V.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad naturam animæ pertinent, qualem Manichæi docuerunt. 56

DISSERTATIO VI.

De Beausobrii mendaciis in his, quæ ad libertatem in Manichæorum sententia pertinent. 73

DISSERTATIO VII.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad Manichæorum sententiam de Nuptiis, & Cælibatu pertinent. 104

DISSERTATIO VIII.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad Augustini sententiam de animarum origine, & propagatione pertinent. 135

DISSERTATIO IX.

De Beausobrii mendaciis pertinentibus ad cultum Solis, & Lunæ a Manichæis usitatum. 146

DISSERTATIO X.

De Beausobrii mendaciis contra cultum Eucharistiæ, & realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Pane, & Vino Eucharistico. 158

DISSERTATIO XI.

De Beausobrii mendaciis contra incruentum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Ecclesia Catholica celebrari solitum. 169

DISSERTATIO XII.

De Beausobrii mendaciis contra cultum, quem Ecclesia Catholica sanctis Martyribus adhibet. 199

DISSERTATIO XIII.

De Beausobrii mendaciis contra miracula, quæ in Catholica Ecclesia narrantur. 248

DISSETATIO XIV.

De Beausobrii mendaciis contra vitam, & mores Catholicorum sæculi v. 258

DISSERTATIO XV.

Beausobrii mendacia de honesta vita, honestisque moribus Manichæorum sæculi v. 266

DISSERTATIO XVI.

De Beausobrii mendaciis in vindicanda flagitiosa vita, & flagitiosis Manichæorum moribus. 274

R. P.
LAURENTII ALTICOTII
CORTONENSIS
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI
DE MENDACIIS, ET FRAUDIBUS
ISAACII BEAUSOBRII
CALVINIANI GREGIS PASTORIS
IN HISTORIA CRITICA
Manichæi, & Manichæiſmi.

DISSERTATIO PRIMA

De nonnullis contra S. Auguſtinum Beauſobrii mendaciis, fraudibus, & contumeliis.

I. BEAUSOBRIUS in Præfat. ad p.2. Hiſtor. Dogmat. Manich. pag.227, & 228 tom.1 hoc Problema propoſuit, Utrum S. Auguſtinus bene noverit Manichæiſmum? Et quamvis alienum ab omni partium ſtudio, & in utramque partem ſe diſputantem ſimulet; quamvis ſtudioſum maxime S. Doctoris ſe prædicet, ad extremum, ut loco ſuo videbimus, cauſam Manichæis contra Auguſtinum adjudicat. Hæc autem ſunt argumenta, quæ in rem ſuam hic Beauſobrius producit: Manichæos Auguſtino exprobraſſe; quod myſteria magiſtri ſui penitus ignoraverit; quod in ſuis contra Manichæos libris conſentaneus ſibi non fuerit; quod pro Manichæo Hannibalem, & Mithridatem ſit inſectatus. Itane vero apud Beauſobrium una eademque res eſt objicere & exprobrare, ac evincere & demonſtrare? Si ita eſt, ad obti-

Beauſobrii mendacium de ignorata ab Auguſtino hæreſi Manichæa.

hen-

nendam causam, nihil aliud requiritur, nisi mutum non esse, sed blateronem. At enim quos producit Beausobrius auctores, qui hæc Augustino exprobraverint? Unum scilicet Secundinum, qui epistola apud Augustinum tom.8. num.3. pag.370: *Visus*, inquit, *mihi es, & pro certo sic est, te nunquam fuisse Manichæum, nec ejus te potuisse arcana incognita secreti cognoscere, atque sub Manichæi nomine persequi te Hannibalem, atque Mithridatem*. Quid tum? Ergone, quia ignorantiam Manichææ doctrinæ Secundinus Augustino exprobravit, idcirco Augustinus novem annos, ab undevicesimo ad octavum supra vicesimum in Manichæa secta versatus, Secundino auctore, hospes omnino ac peregrinus erat in hæresi Manichæa? At quis est Secundinus iste apud Beausobrium testis locupletissimus Augustinianæ de Manichæismo ignorantiæ: nimirum homo quidem Romanus, sed nullius celebritatis & nominis, nec Manichæorum Electus, sed merus Auditor: & Augustino, qui frequentissimus Romæ erat cum celebrioribus Manichæis, prorsus ignotus: *Secundinus quidam*, inquit S. Doctor lib.2 retract. cap.10 tom.1 *non ex eis quos Manichæi Electos, sed ex eis quos Auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, scripsit ad me velut amicus*. Explorata est igitur Beausobrii fraus, atque mendacium.

Secundinus Manichæus quis, & qualis?

Beausobrii mendacium de ignorato, vel corrupto ab Augustino Manichæorum systemate.

II. Duplicem sententiam, loco supra commemorato de Manichæorum systemate, quale ab Augustino proponitur, arbitratu suo Beausobrius depromit, quarum alterutri assentiendum esse decernit. Prima est, Augustinum non bene Manichæorum systema percepisse: altera est, Augustinum Manichæorum systema depravasse. At ex iis, quæ hoc eodem loco Beausobrius affirmat, utraque ejus sententia exploditur, qua secum ipse turpissime pugnat. Affirmat Augustinum novum annos Manichæum fuisse. Affirmat Latinorum Patrum præstantissimum esse Augustinum, ingeniosissimum, atque oraculum occidentalis Ecclesiæ. Hæc enim ejus verba sunt, At vero, si post novem annos ab undevicesimo ad duodetricesimum, quibus in Manichæorum hæ-

hæresi versatus est Augustinus, quam contra Catholicos acerrime propugnavit; eoque magis, si a Manichæa hæresi elapsus post tot disceptationes cum Manichæis habitas, post tam multa lecta, dicta, scripta, meditata, ac disputata in Manichæorum causa, adhuc Manichæorum systema non bene Augustinus percepit, fieri omnino non potest, ut Latinorum Patrum ingeniosissimus, præstantissimus, & oraculum occidentalis Ecclesiæ, qualis a Beausobrio describitur, Augustinus fuerit: quinimo dicendum erit omnium hominum tardissimum, atque hebetissimum Augustinum fuisse, ne saxum dicam, vel truncum, vel quidvis generts ejusdem. Exsibilata est igitur atque explosa ipsiusmet testimonio Beausobrii, prima ejus temeraria sententia, quod Manichæorum systema non bene perceperit Augustinus. Altera Beausobrii sententia est, Augustinum Manichæorum systema adulterasse. Id autem his rationibus confirmare audet; quòd fraudolentis, fallacibusque argutiolis contra Manichæos usus sit; quòd male exhibuerit Manichæorum sententias; quòd fabulis, quæ Manichæis oberant, fidem adhibuerit; quòd innoxia Manichæorum verba in malam partem interpretatus sit; quòd adulterinos quosdam rerum Manichæarum locos, utpote sibi faventes usurpaverit. At hæc cujus, & qualis hominis sunt? simplicisne, aperti, ingenui, justi bonique viri, qualem ab omni memoria hominum Augustinum fuisse accepimus; an non versuti potius, malitiosi, fallacis, veteratoris, vafri? Caditne nòn dico in virum sanctissimum, qualis Augustinus fuit, sed in virum honestum, simplicem, apertum, ingenuum decipere, criminari, corrumpere, depravare? At eodem loco profitetur Beausobrius, nolle se malæ fidei Augustinum arguere, cujus egregias animi dotes permagni facit, cujus virtutes, piosque labores admiratur. At si ea, quæ supra de Augustino narravit, ad malam fidem non pertinent, quid sit mala fides prorsus ignoro. Quod autem Augustini laudes & vituperationes Beausobrius simul permiscet, libere dicam quod sentio. Talia maledicta in Augustinum evomere, summæ

Beausobrius temerarius, dum vituperat; insanus, dum Augustinum loco eodem laudat.

impudentiæ eſt & temeritatis. Laudes illas talibus contumeliis adſpergere, ſummæ dementiæ eſt, & inſaniæ.

Beauſobrii fraus & mendacium, quod Auguſtino Hipponenſi ſubrogaverit Evodium Uzalenſem.

III. Promiſerat Beauſobrius daturum ſe nobis manifeſta exempla vel de ignorantia, vel de mala Auguſtini fide in expoſitione ſyſtematis Manichæorum, ut autem datam nobis fidem exſolvat, loco ſupra commemorato, pag. 229. & 230 duas affert ſententias ex libro de Fide contra Manichæos excerptas cap. 28, item cap. 35, & 36, admodum abſonas, & abſurdas, quas alienas omnino eſſe a Manichæorum ſyſtemate affirmat. Nolo hic diſputare, utrum Manichæorum fuerint ſententiæ illæ, quas Manichæis attribuit ſcriptor libri de Fide. Id autem eſt quod affirmo, liber, qui de Fide contra Manichæos inſcribitur, Auguſtini non eſt. Ab Auguſtino illum abjudicant Bellarminus, Vindingus, Guilielmus Cave, PP. Maurini, qui in appendicem ad tomum VIII illum rejecerunt, maxime vero dicendi & diſputandi ratio, quæ ab Auguſtiniana prorſus abhorret. Evodio Afro, epiſcopo Uzalenſi vulgo opus illud tribuitur. Hæc non ignorabat Beauſobrius. Quid hinc igitur contra Auguſtinum inferre poterat: Profecto nihil. Evodius Uzalenſis male interpretatus eſt Manichæi verba. Eſto. Id modo mea nihil intereſt. Sed quid tum? Num Evodius Uzalenſis eſt Auguſtinus Hipponenſis? Unuſne atque idem homo eſt Evodius & Auguſtinus? At Evodius familiaris atque diſcipulus Auguſtini fuit. Ab Auguſtino igitur abſonam illam Manichæi interpretationem eſt mutuatus. Indicet mihi Beauſobrius in omnibus Auguſtini libris locum unum, in quo Auguſtinus ea referat Manichæi verba; item locum unum, in quo interpretationem illam, quam Evodius adhibuit, Auguſtinus uſurpet. Conſtat igitur de fraude, & mala fide Beauſobrii, qui, ut Auguſtinum inviſum ſibi vituperet, & clientes ſuos Manichæos defendat, contra pacta & promiſſa, pro Auguſtino Hipponenſi Evodium Uzalenſem in ſcenam producit.

Beauſobrii mendacia & calumniæ de allegorica Auguſtini in-

IV. Calumniatur iterum Auguſtinum Beauſobrius, quod duobus libris de Geneſi contra Manichæos, falſa & inepta interpretatione allegorica, adverſariis ſuis neganti-

gantibus creationis hiſtoriam, Moyſen, & Teſtamentum vetus, turpiſſime victoriæ palmam conceſſerit: quod lib.2. cap.2 ejuſdem operis confeſſus ſit, nullam patere viam conſervandi ſenſum litteralem trium priorum capitum libri Geneſeos, quin violetur pietas, quin Deo tribuantur indigna Deo. Ut Moyſes ejuſque hiſtoria ſervetur incolumis, ad allegorias confugiendum eſſe. Hæc ſunt, quæ Beauſobrius Auguſtino exprobrat Hiſtor. Dogmat. Manich. p.2. lib.1. cap.4. pag.285. & 286. tom.1. Ecce tibi nova Beauſobrii contra Auguſtinum mendacia, atque calumnias, qnem ferro & igne, ut ajunt, ubique inſectatur. Nec victoriam, nec palmam vituperantibus Manichæis Teſtamentum vetus, maxime vero hiſtoriam libri Geneſeos, Auguſtinus concedit; quinimmo ut eorum vituperationes opprimat, librum Geneſeos contra eoſdem allegoricè interpretatur; non ita tamen, ut ſenſum litteralem excludat, quem laudat, probat, & vehementer exoptat, quamvis ſubdifficilem eſſe, ut revera eſt, fateatur. Audiatur objecto loco, ideſt, lib.2. Geneſ. contr. Manich. cap.2. num.3. pag.494. tom.1. *Quiſquis*, inquit, *voluerit omnia quæ dicta ſunt ſecundum litteram accipere, ideſt, non aliter intelligere, quam littera ſonat, & potuerit evitare* (Manichæorum) *blaſphemias, & omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non ſolum ei non eſt invidendum, ſed præcipuus, multumque laudabilis intellector eſt habendus*. Quod autem Auguſtinus eo loco dixerit, nullam patere viam conſervandi ſenſum litteralem trium priorum capitum libri Geneſeos, quin violetur pietas, quin Deo tribuantur indigna Deo; utque Moyſes, ejuſque hiſtoria ſervetur incolumis, ad allegorias confugiendum eſſe, intollerabile Beauſobrii mendacium eſt. Propoſitio Auguſtini abſoluta non eſt, ſed conditionalis, in quo ſenſu veriſſima eſt, quam Beauſobrius ex conditionali malitioſiſſime convertit in abſolutam. Sic enim continuo poſt ſuperiora vesba S. Doctor proſequitur: *Si autem nullus exitus datur, ut pie, & digne Deo, quæ ſcripta ſunt intelligantur, niſi ut figurate atque in ænigmatis poſita iſta credamus... modum, quem intendimus*

terpretatione in duobus libris de Geneſi contra Manichæos.

dimus teneamus ... non præjudicantes meliori diligentiori-que tractatui, ſive per nos, ſive per alios, quibus Dominus revelare dignabitur. At meliorem illum, diligentioremque de Geneſi non in ſenſu allegorico, ſed litterali tractatum, & in duodecim libros digeſtum, & de Geneſi ad litteram inſcriptum edidit Auguſtinus, ubi lib.8. cap.2. num.5. cap.171. tom.8. cauſam affert, excuſatione maxime dignam, cur olim in ſenſu allegorico librum Geneſeos contra Manichæos fuerit interpretatus; quoniam præpropere, neceſſitate urgente, & ſub initium ſuæ converſionis commemoratos libros conſcripſit: *Contra Manichæos*, inquit, *qui has litteras veteris Teſtamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, ſed omnino non accipiendo & deteſtando blaſphemant, duos conſcripſi libros recenti tempore converſionis meæ, cito volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere attentionem ad quærendam in litteris, quas oderunt, chriſtianam & evangelicam fidem. Et quia mihi tunc non occurrebant omnia, quemadmodum proprie poſſent accipi, magiſque non poſſe accipi videbantur, aut vix poſſe, aut dlfficile; ne retardarer, quid figurate ſignificarent ea quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate, & perſpicuitate explicavi.* Detecta eſt igitur nova fraus, novumque Beauſobrii mendacium.

Beauſobrii de Fauſto, & Auguſtino judicium mendax.

V. Redundat Beauſobrius fraudibus, & mendaciis in judicio, quod iniquiſſime fert de Manichæis, deque Auguſtino ſimul decertantibus. Fauſtus Manichæorum epiſcopus, Beauſobrio auctore, emicat magnitudine ingenii, elegantia orationis, ingenioſo ſuarum difficultatum uſu. Scriptor eſt alacris, clarus, conciſus. In congreſſu fortis, in defenſione prudens & cautus. Vitia, quæ inſunt in Manichæo ſyſtemate, a nemine poſſunt diſſimulari ſolertius. Ab omni contumelia contra ſuum adverſarium abſtinet, ut oportet; quod in controverſiis rarum admodum eſt. Contra vero Auguſtinus non ſuperat Fauſtum venuſtate orationis. Diffuſus eſt, & ſæpenumero obſcurus. In eadem aſſidue objecta relabitur, & invehendo nimium effunditur. Hæc fere verba Beauſobrii ſunt in Præfat. ad p,2. Hiſtor. Dogmat. Manich.

num.7.

num.7.pag.224. tom.1. At vero Augustini judicium, qui multa cum Fausto contulit, ejusque scientiam in multis cum eo congressionibus sæpe tentavit: quam maxime discrepat a Beausobrii judicio. Audiatur S. Doctor lib.5. Confes. cap.6. num.10. pag.80. tom.1. *Per annos*, inquit, *ferme novem, quibus eos animo vagabundus audivi, nimis extento desiderio venturum expectabam istum Faustum. Cæteri enim eorum, in quos forte incurrissem, qui talium rerum quæstionibus a me objectis deficiebant, illum mihi promittebant, cujus adventu collatoque colloquio, facillime mihi hæc, & siqua forte majora quærerem, enodatissime expedirentur*. At in ea, quam S. Doctor habuit cum Fausto congressione, post propositas ipsi quæstiones, post multas percunctationes: *Expertus sum*, inquit ibidem pag.81. *prius hominem expertem liberalium disciplinarum, nisi grammaticæ, atque ejus ipsius usitato modo*. Hinc factum est, ut Augustinus ætatis suæ anno duodevicesimo, comperta Fausti ignorantia, spem omnem in Manichæa secta proficiendi abjecerit, ab eaque se abalienatum animum habere ceperit. *Conatus*, inquit ibidem cap.7. n.12, *omnis meus, quo proficere in illa secta statueram, illo homine cognito, prorsus intercidit ... Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis extitit; meum quo captus eram relaxare jam ceperat, nec volens, nec sciens*. Itaque comperta sibi Fausti ignorantia, præcipua causa Augustino fuit alienationis ejus, ut narrat, & disjunctionis ab hæresi Manichæa. Quis autem, qualis, & cujas fuerit Faustus, his verbis Augustinus refert lib.1. contra Faustum cap.1. pag.131. tom.8. *Faustus quidam genere Afer, civitate Milevitanus, eloquio suavis, ingenio callidus, secta Manichæus, ac pro hoc nefando errore perversus. Noveram ipse hominem, quemadmodum eum commemoravi in libris Confessionum mearum*. Quod autem, Beausobrio auctore, Faustus ab omni contumelia contra adversarios suos abstinuerit, quam contumeliosus contra catholicos fuerit, exordium ipsum altercationis ejus demonstrat apud Augustinum lib. 2. contra Faustum cap.2. pag.132. tom.8, quod est hujusmodi. *Satis superque in lucem jam traductis erroribus, ac Judaicæ supersti-*

Faustus solius artis Grammaticæ mediocriter gnarus.

Fiustus quis, qualis, & cujas fuerit.

Faustus contra Catholicos contumeliosus.

tionis simul, & semi-christianorum detecta fallacia a doctissimo scilicet, & solo nobis, post beatum patrem nostrum Manichæum, studendo Adimanto, non ab re visum est, Fratres carissimi, hæc quoque brevia vobis & concinna responsa, propter callidas & astutas conferentium nobiscum propositiones scribere, quo, cum iidem vos ex more parentis sui serpentis captiosis circumvenire quæstiunculis voluerint, & ipsi ad respondendum vigilanter eis sitis instructi. Catholicos Judæos esse, semi-christianos, filios serpentis diaboli, auctore Beausobrio, contumeliæ non sunt. Ad hæc vero Augustinus paribus paria referens. *Tu semichristianos*, inquit ibidem cap.3, *cavendos putes, quod nos esse dicis: nos autem pseudo-christianos cavemus, quod vos esse ostendimus Cur autem serpentem patrem nostrum dixisti? An excidit tibi quemadmodum soleatis vituperare Deum, qui homini præceptum in paradiso dedit, & laudare serpentem, quod ei per suum consilium oculos aperuit? Puto justum esse serpentem illum diabolum a vobis laudatum, tu potius agnoscas parentem tuum. Nam ille te filium etiam modo vituperatus agnoscit.* Jam vero judicio Beausobrii Augustini judicium opponere desino. Prodeat Guilielmus Cave contra Isaacum Beausobrium, hæreticus contra hæreticum, Anglicanus contra Calvinianum. Is lib. Histor. Litter. Script. Ecclesiast. p.2. pag.218.hæc de Fausto, deque Augustino litteris commendavit. *Faustus gente Afer, civitate Milevitanus, Manichæorum in Africa episcopus claruit anno* CCCC, *Vir eloquio suavis, ingenio callidus, loquax potius, quam eloquens, sciolus magis quam solide doctus Augustino dubiis nonnullis, cum eo in errore versaretur, laboranti huic tanquam oraculum quoddam commendarunt Manichæi, quem Carthaginem venientem sæpe convenit Augustinus, & frequentes cum eo sermones serebat. At præter vultum congruum, & decorum eloquium, nihil fere in eo reperit. Erat enim in rerum naturalium scientia parum versatus, in religionis cognitione rudis & imperitus, quem tameu fama pervulgata præferebat esse honestarum doctrinarum peritissimum, & apprime disciplinis liberalibus eruditum. Scripsit volumen adversus rectam christianam fidem, & catholi-*

De Fausto judicium Cave Anglicani contrarium judicio Beausobrii Calviniani.

tholicam veritatem. *Hoc rogantibus fratribus refutandum in se suscepit Augustinus*, *quod & magna cura*, *nec minore judicio*, *& eruditione præstitit*, *editis contra Faustum Manichæum libris* XXXIII. Explorata sunt igitur de Fausto, deque Augustino Beausobrii mendacia.

VI. Beausobrii judicium de Felice Manichæo, quocum Augustinus publice disputavit, nihilo minus mendax & falsum est, quam ejus de Fausto judicium. In Præfat. ad p.2. Histor. Dogmat. Manich. pag.232. tom.1. nobis Felicem exhibet Beausobrius, tanquam hominem penitus illiteratum, ignarum, rudem, quin etiam tanquam trnncum & caudicem, qui & quod negat, ut inquit, & quod affirmat, ignorat. Arbitror Beausobrio Manichæorum patrono Felicem displicuisse, quod Augustini argumentis oppressus Manichæam tandem hæresim ejuravit; & turpissimam illam fabulam, quam falsò Manichæo abjudicat Beausobrius, simul cum auctore ejusdem turpitudinis Manichæo, Felix in judicio publico est exsecratus. At vero, Augustino teste locupletissimo lib.2. retract. cap.8. tom.1. *Felix unus erat ex Doctoribus Manichæorum versutior Fortunato*. Teste vero Possidio in Augustini vita cap.16. *Felix unus erat ex numero eorum*, *quos Electos dicunt Manichæi*, *qui Hipponem venerat*, *eundem seminaturus errorem*. Verisimilis admodum est suspicio PP. Maurinorum in Augustini vita lib.3. cap.7. num.3. pag.83. tom.XI, hunc Felicem presbyterum illum Manichæorum esse, quem Manichæi, post Fortunati fugam, Hipponem occulte miserant, Fortunati cladem restauraturum, ad quem est Augustini epistola 79, ad cujus calcem num.1. pag.141. tom.2. hæc sunt Augustini verba Felicem illum satis aperte demonstrantia: *Denuntio tibi in nomine Christi*, *ut si paratus es*, *solve quæstionem*, *in qua defecit præcessor tuus Fortunatus*. *Et ita hinc ierat*, *ut non rediret*, *nisi cum suis disputatione collata*, *invenerit quid contra respondere posset disputans cum fratribus*. *Si autem ad hoc non es paratus*, *discede hinc*, *& noli pervertere vias Domini*, *& illaqueare*, *& venenis inficere animas infirmas*, *ne*, *adjuvante dextera Domini nostri*, *quod non putaveras*, *erubescas*.

Beausobrii mendacium de Felice Manichæo.

De Felice Manichæo verum Augustini, & Possidii judicium. De Felice Manichæo judicium Maurinorum PP. Beausobrii judicio contrarium.

Felix Manichæorum Electus satis eruditus & expolitus in hæresi Manichæa.

bescas. Ex his autem perspicuum exploratumque fit, non tardum, non rudem, non hebetem, multoque minus saxum, vel truncum fuisse Felicem, qualis a Beausobrio describitur, sed unum ex numero Electorum, & fortasse Presbyterorum, atque idcirco satis expolitum, & eruditum in hæresi Manichæa, qualem esse oportebat, quem Hipponem mitterent Manichæi ad reparandam profugi Fortunati cladem, eundemque errorem, ut dicitur, disseminandum. Quod si responsiones Felicis infirmæ sunt, & ineptæ, id non est vitium inepti hominis & infirmi, sed Manichæa doctrinæ maxime absonæ, & absurdæ.

De Fortunato Manichæorum presbytero Beausobrii judicium mendax.

VII. At, Beausobrio judice loco supra commemorato, Fortunatus Manichæorum presbyter, in ea quam habuit cum Augustino disceptatione, longe se Felice doctiorem demonstravit. Doctissimum apud Beausobrium hominem videamus. Interrogatus ab Augustino disp. 2. contra Fortun. num. 36. pag. 78. tom. 8. *Quid opus erat tanta mala animam pati, per tantum tempus, donec mundus finiatur; cum Deo, a quo dicitis missam, nocere nihil possit?* Ad hanc interrogationem audiamus, quid Beausobrii Doctor Fortunatus respondeat: *Quid ego*, inquit, *dicturus sum?* nimirum: *Nescio, quid dicam*. O virum doctissimum Beausobrii laudibus omnino dignum? Cui protinus Augustinus: *Ego novi non te habere quid dicas*. Ad extremum se collaturum quæstionem cum suis gregalibus dixit, quibus non sibi satis facientibus, se reversurum promisit, & saluti animæ suæ consulturum. Discessit, & adhuc reditus ejus expectatur. At in responsionibus Fortunati, inquit Beausobrius, lumina quædam apparent, quæ Manichæorum doctrinam maxime illustrant. Nihil profecto minus. Quin potius spississimæ in his tenebræ se manifestant, quibus enititur quantum potest, Manichæorum deliria occultare, ut legenti patebit. At enim, pergit Beausobrius, Deum inviolabilem esse, incorruptibilem, inaccessibilem Fortunatus fatetur. Quid ni fateatur? Id enim commune erat omnium Manichæorum. Quamvis enim ex eorum doctrina necessario consequeretur, Deum & violabilem esse, & corrupti-

Fortunatus ab Augustino se superatum fatetur.

Fortunatus, ut Manichæi ceteri, secum ipse pugnat disputans de Natura Dei.

rupti-

ruptibilem; tamen cum aures christianæ tantam impietatem ferre non possent, secum ipsi pugnando, Deum inviolabilem esse & incorruptibilem dicere cogebantur. Audiatur S. Doctor in ipso primæ suæ cum Fortunato disputationis vestibulo num. 1. pag. 67. tom. 8, *Summum*, inquit, *errorem puto, Omnipotentem Deum ex aliqua parte violabilem, aut coinquinabilem, aut corruptibilem credere. Hoc vestram hæresim affirmare scio, non quidem verbis, quibus nunc usus sum: nam & vos interrogati, confitemini, Deum esse incorruptibilem, & omnino inviolabilem, & incoinquinabilem; sed cum cœperitis cætera exponere cogimini eam corruptibilem, penetrabilem, & coinquinabilem profiteri. Dicitis enim aliam nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum rebellasse: Deum autem Omnipotentem, cum videret quanta labes & vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid adversæ genti opponeret, & ei resisteret, misisse hanc virtutem, de cujus commixtione cum malo, & tenebrarum gente, mundus sit fabricatus.* Quid ad hæc Fortunatus respondit? Fatetur talem esse Manichæorum doctrinam. *Quia te medium*, inquit, *fuisse nostrum scio, idest, inter Manichæos administrasse, ista sunt principia fidei nostræ.* Itaque, ex Manichæorum doctrina, quæ Augustinum inter & Fortunatum in disputatione subtilius limata est, necessario consequitur, Deum violabilem esse. Nullum est igitur Beausobrii argumentum, quo, contra Augustinum pro Fortunato contendit partes luminis, humanas scilicet animas, in Manichæorum doctrina particulas Dei esse non posse, quoniam in Manichæorum sententia inviolabilis Deus est, animæ vero violabiles sunt.

Beausobrii mendacium de callido Augustini consilio in disceptatione cum Fortunato.

VIII. Callidum Augustini consilium in decertatione quam habuit cum Manichæorum presbytero Fortunato Beausobrius eodem loco temere prædicat, quod superiorem aggressoris locum callide sibi usurpaverit S. Doctor, solasque defensoris partes Fortunato reliquerit. Id more suo mentitur. Etenim auditores, qui frequentissimi ad disceptationem illam convenerant, ipsi sunt, qui hanc agitandam quæstionem proposuerunt, Utrum duæ sint sempiternæ naturæ, altera bona,

mala altera? Audiatur S. Doctor disput. 1. contra Fortun. num. 19. pag. 73. tom. 8. *Ut discuteremus*, inquit, *duarum naturarum fidem impositum est ab iis, qui nos audiunt*. Itaque S. Doctor in proposita a populo controversia, quid ipse sentiat confestim aperit, quidque de ea Fortunatus censeat, interrogat. *Ego*, inquit, *jam errorem puto, quem antea veritatem putabam, utrum recte existimem, te præsente audire cupio*. Id autem non aggressoris, sed defensoris est partes sibi suscipere. Contra vero Fortunatus, cum quæstio de Manichæorum fide sibi esset maxime periculosa, convertere eam subdole contendebat in quæstionem de Manichæorum moribus ad cultum divinum pertinentibus. Noverat enim Augustinum, utpote olim non Manichæorum Electum, sed Auditorem tantùm, atque idcirco ab Electorum perquam occultis mysteriis exclusum, nihil fere de Manichæorum moribus in cultu Dei vel objicere, vel reprehendere posse. Cui Augustinus ibidem n. 2. pag. 68. *Alia*, inquit, *quæstio est de Fide, alia de moribus; ego de Fide proposui*. Et infra n. 3. pag. 69. *Serva*, inquit, *si placet quæstionem de moribus, ut inter Electos vestros discutiatur, si discuti potest. Mihi fides data est a vobis, quam hodie improbo. De ipsa proposui: ad propositum meum mihi respondeatur*. In quæstione de origine animæ, quam Fortunatus Augustino proposuit: *Excellens homo Augustinus*, inquit eodem loco Beausobrius, *optime novit facilius esse difficultates proponere, quam dissolvere*. Ad hanc Beausobrii dicacitatem respondeo, Fortunatum subterfugia semper a proposita sibi controversia captantem, hanc verbis ambiguis proposuisse Augustino quæstionem: *Anima Dei est, an non?* cui præclarissime Augustinus respondit num. 11. *Ego quidem quod interrogasti dicam: tantum illud memineris, te noluisse interrogatis meis respondere. Si quæris, utrum a Deo descenderit anima, magna quidem quæstio est: sed sive a Deo descendit, sive non, illud de anima respondeo, non esse Deum; aliud esse Deum, aliud animam*. Magna illa quæstio, de qua hic S. Doctor, non nostra certe, sed Augustini ætate, in hoc vertebatur, Utrum anima nostra sit a Deo per no-

Fortunati callida tergiversatio in disceptatione cum Augustino.

De origine animæ Augustinus incertus.

novam creationem, an a primis parentibus per successivam propagationem? At vero non magna quæstio, sed magnus erat Manichæorum error, Animam partem esse divinæ naturæ, quem errorem maxime absurdum his verbis contra Fortunatum hoc loco Augustinus convellit: *Animam videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ ostendit, mihi, quod anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur: quod nefas est dicere.* Postremo Beausobrius concludit, eos decipi, qui arbitrantur, se in Augustino veram atque sinceram Manichæismi notitiam habere. At multo minus a Beausobrio homine mendacissimo veram atque sinceram habere possumus Manichæismi notitiam, a quo non modo Augustinus, sed cæteri fere omnes scriptores veteres, qui data opera de Manichæis, vel contra Manichæos scripserunt, quique Manichæorum ætate floruerunt, prorsus dissentiunt.

Naturam animæ non esse naturam Dei Augustinus contra Fortunatum demonstrat.

Beausobrii mendacium de fallaci Manichæismi apud Augustinum historia.

DISSERTATIO II.

De Beausobrii mendaciis in historia de nomine, atque persona Manichæi.

I. SAnctus Augustinus lib.19.contra Faustum cap.22. pag.231.tom.8. causam narrat, unde factum sit, ut auctor Manichæorum, qui antea Manes lingua Persica vocabatur, Manichæus postea apud Græcos ejus discipulos sit appellatus. Ecce verba S. Doctoris: *Manes lingua patria vocabatur; sed vos ut apud Græcos nomen insaniæ vitaretis, velut declinato & prolongato nomine, quasi fusionem addidistis, ubi amplius laberemini. Sic enim mihi quidam vestrum exposuit, cur appellatus sit Manichæus, ut scilicet Græca lingua, tanquam manna fundere videretur; quia Græce fundi χεῖν dicitur: ubi quid egeritis nescio, nisi ut expressius vobis somniaretis insaniam. Neque enim addidistis in parte priore nominis unam litteram*

Manes lingua Persica, Græca Manichæus, cur idem homo sit appellatus.

ram, ut agnosceretur manna, sed addidistis in posteriore duas syllabas, non appellantes Mannichæum, sed Manichæum, ut nihil aliud vobis, tam prolixis, & variis sermonibus suis, nisi insaniam fundere sonaret. Eadem S. Doctor confirmat & supplet lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46, quæ Manichæorum est, pag. 10. tom. 6. ubi hæc litteris commendavit: *Manichæi a quodam Persa extiterunt, qui vocabatur Manes, quamvis & ipsum, cum ejus insana doctrina cepisset in Græcia prædicari, Manichæum discipuli ejus appellare maluerunt, devitantes nomen insaniæ. Unde quidam eorum quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminata M littera Mannichæum vocant, quasi manna fundentem.* Carpit hic more suo Augustinum Beausobrius lib. 1. p. 1. Histor. Dogmat. Manich. cap. 6. pag. 73, & 74. tom. 3. Contenditque hæresiarcham illum, nunquam Manetem, sed Manichæum appellatum fuisse, nec nisi fictam, & commentitiam fabulam esse illam nominis permutationem, Manetis scilicet in Manichæum. Quod ut obtineat, provocat ad Acta Archelai, quamvis ille, multis in locis, ubi sibi contraria sunt, audacter repudiet. Initio, inquit, epistola Manichæi ad Marcellum, quæ in Archelai extat actis, se Manichæum appellat; eodemque nomine Marcellus initio suæ responsionis eum nominat. Præterea, quando Tyrbo Manichæi discipulus in actis commemoratis de suo Magistro loquitur, Manichæum illum appellat.

Beausobrii mendacia insignia de Manetis, & Manichæi nomine.

II. Arbitror Beausobrium cæcis simul & surdis, utràque scilicet videndi simul & audiendi facultate captis, historiam suam conscripsisse, qui neque legere ipsi per se, neque ab aliis audire possunt, quæ in scriptoribus ab eo productis continentur. Tyrbo Manetis discipulus interrogatus ab Archelao & Marcello de universa Magistri sui doctrina, his verbis narrationem suam exorditur, *Si fidem* MANETIS *discere a me vultis, audite.* Hæc Tyrbonis narratio Græco-Latina in Archelai Actis, quorum pars potissima est, continetur, pag. 9. num. 7. editionis Zacagni, qua editione ipsemet Beausobrius, ut fatetur, utitur: eo autem loco Græcè Μάνης, Latinè *Manetis* legitur, minimè vero *Manichæi*. Præterea in teme-

temerè a Beausobrio citatis Archelai Actis, in quibus interlocutores sunt Manes & Archelaus, ubique invenitur scriptum, *Manes dixit*, nullibi vero, *Manichæus dixit.* Itaque mirari satis non possum incredibilem Beausobrii impudentiam & temeritatem, quem venditare nobis non puduit mendacium tam certum, tam perspicuum, tam exploratum. Rursum Beausobrius, qui secum ipse pugnat, in sua Manichæismi, & Manichæi historia epistolam Manetis citat, a Floro inventam, & a Juliano vulgatam, quæ apud Augustinum extat lib.3. Oper. imperf. num.172. pag.828.tom.10. Hæc autem epistola, a Beausobrio citata, his inscribitur verbis, MANES *Apostolus Jesu Christi filiæ Menoch*. Postremo immemor eorum, quæ hoc loco de Manetis & Manichæi nomine disputaverat, quandoque in opere suo ipsemet Beausobrius hominem illum non Manichæum, sed Manetem appellat. Quare laudari satis non potest tritum illud pervulgatumque silentium, *Mendacem oportet esse memorem*. At epistola Persæ illius ad Marcellum, quæ in Actis Archelai continetur, his verbis inscribitur, *Manichæus Marcello*. Epistola vero Marcelli ad eumdem, *Marcellus Manichæo*. Item hæresiarchæ hujus epistola, quæ ab ejus discipulis *Fundamenti* est appellata, hanc inscriptionem præsefert, *Manichæus Apostolus Jesu Christi*. Quid inde? Nihil aliud profecto, nisi Græcos, Latinosque interpretes ob celebritatem utriusque nominis, modo apud Persas Manetem, modo apud Græcos Manichæum unum eumdemque hominem promiscue appellasse. *Archelaus*, teste Hieronymo lib. de vir. illustr. cap.72. pag.899.tom.2.edit.Veron., *Episcopus Mesopotamiæ, librum disputationis suæ, quam habuit adversus Manichæum exeuntem de Perside, Syro sermone composuit, qui translatus in Græcum habetur a multis*. Archelai Græcus interpres modo patria Persarum, modo peregrina Græcorum voce hæresiarcham illum appellat. Postremo verisimile admodum est Manetem, abiecto servili nomine, quo in servitute Curbicus appellabatur, splendidum, maximeque honorificum sibi fecisse nomen, quale apud Persas erat nomen

Beausobrius secum ipse pugnat in nomine Manetis, & Manichæi.

Manes & Manichæus idem homo promiscue appellatus.

Archelai acta Syriaca, nonnisi Græca extabant ætate Hieronymi.

Manetis, non Manichæi nomen cur sibi fecerit Manes?

nomen Manetis. Etenim Chaldæorum lingua, qui Persis finitimi sunt, Man vas significat. Manes igitur apud Persas fortasse perinde erat, atque pretiosum sapientiæ vas, & receptaculum. Contra vero incredibile prorsus est, hominem Persam, non Persarum proprio, sed peregrino Græcorum nomine Manichæum appellari se voluisse. Hactenus de Beausobrii mendaciis, quæ ad nomen Manetis pertinent. Quamquam hæc jocosa Beausobrii mendacia appellari possunt. Ad graviora igitur de Manichæi persona progrediamur.

Manichæum se Paracletum dixisse Augustinus, veteres Patres, veteres anathematismi, & Manichæi ipsi testantur.

III. Quod ad Manichæi venditatam personam pertinet, S. Augustinus apertis perspicuisque verbis testatur, Manichæum se Spiritum Sanctum esse, se Paracletum esse affirmasse; quem tanquam Paracletum, tanquam Spiritum Sanctum, a Christo Domino missum, ejus discipuli palam & publice prædicabant. Jam vero Augustinus expendens illa Manichæi verba, quibus ejus epistolam, quam Fundamenti dicunt, inscribitur, *Manichæus Apostolus Jesu Christi*, hæc de Manichæo habet lib. contr. epist. Fund. cap.6. num.7. pag.112. tom.8. *Illa superbia mater omnium hæreticorum impulit hominem, ut non missum se a Paracleto vellet videri, sed ita susceptum, ut ipse Paracletus diceretur. Sicut Jesus Christus homo, non a Dei Filio missus est, sed ita susceptus, ut ipse esset Dei Filius: sic se ille voluit a Spiritu Sancto, quem Christus promisit, videri susceptum; ut jam cum audimus Manichæum Spiritum Sanctum, intelligamus Apostolum Jesu Christi, idest, missum a Jesu Christo, qui eum se missurum esse promisit.* In hac sententia de Magistro suo discipulos Manichæi fuisse multis locis Augustinus affirmat. Lib.22. contra Faustum cap.18. pag.326. tom.8. hæc habet: *Cum lucem istam Solis & Lunæ miraremini, talia omnia vobis divina finxistis, auctore illo vaniloquo, quem decepti & deceptores Paraclitum dicitis. Proinde nullo modo valentes ostendere, quomodo sit ille Paraclitus.* Lib.1.de Act.cum Felic.Manich.cap.9.pag.338.tom.8. hæc sunt verba Felicis Manichæorum Electi: *Venit Manichæus cum prædicatione sua, & suscepimus eum secundum quod Christus dixit, Mitto vobis Spiritum Sanctum ...*

ideo

ideo suscepimus Manichæum. Et quia venit Manichæus, & per suam prædicationem docuit nos hoc credimus, quia ipse est Paraclitus. Cui S. Doctor ibid. cap. 19. pag. 339. respondet: *Dixisti inde te probare Manichæum esse Apostolum Christi, quia Paraclitum venturum promisit Christus Spiritum-Sanctum: & quia non invenires quando venerit quem Christus promisit, hinc te credere ipsum esse Manichæum*. Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 13. tom. 8. hæc de Manichæis narrat: *Promissionem Domini Jesu Christi de Paraclito Spiritu-Sancto in suo hæresiarcha Manichæo dicunt esse completam*. Lib. 13. contra Faustum cap. 17. pag. 187. tom. 8. *Cum Christus*, inquit, *promiserit suis, missurum se Paracletum, per hanc promissionis occasionem, hunc Paracletum dicentes esse Manichæum*. Præter Augustinum Archelaus, qui cum Manete ipso decertavit, Epiphanius, Cyrillus Jerosolymitanus, Leo Magnus, Eusebius, aliique plures, omnes ad unum constanter affirmant, Manetem se Spiritum-Sanctum a Christo Domino missum discipulis suis venditasse. Ad hæc vetustissimi accedunt Græci anathematismi, quibus cum Manete, ejusque discipulis, exsecrabilem hanc blasphemiam ejerare compellebantur, qui ab hæresi Manichæa ad Catholicam se recipiebant Ecclesiam. Apud Cotelerium tom. 1. PP. Apostolic. not. ad recogn. S. Clemen. lib. 4. pag. 543. edit. Amsteled. talis extat anathematismus: *Anathemate ferio Manetem, seu Manichæum, & Cubricum, qui se ausus est Paracletum & Apostolum Jesu Christi appellare*. Apud Tollium Insign. Itiner. Ital. pag. 137. edit. Traject. hujusmodi anathematismus legitur: *Exsecror eos, qui Spiritum-Sanctum, quem Dominus se missurum promiserat, infelicem esse Manetem dicere sustinuerunt. Neque verum Paracletum veritatis Spiritum confitentur, aut agnoscunt, qui Sanctis Christi Discipulis & Apostolis die quinquagesima supervenit*.

IV. Quid ad hæc Beausobrius? *Augustini*, inquit, *misereor, cum angustias video in quas eum impugnandi Manichæi amor detrudit*. Hæc ille Histor. dogmat. Manich. p. 2. lib. 1. cap. 2. num. 4. pag. 256., & 257. tom. 1. Ego vero,

Beausobrii mendacia, & calumniæ contra Augustinum, quod

docuerit Manichæum se Paracletum dixisse.

vero, ut liberè dicam, Beausobrium ferre non possum, cum ejus mendacia lego, quæ ab eo accusandi Augustinum, & defendendi Manichæos amor, quin potius dira libido extrudit. Quamquam misereri Beausobrium necesse est, non unius Augustini, sed omnium fere scriptorum veterum, qui uno ore fatentur, Manichæum Spiritum Sanctum se prædicasse, eundemque tanquam Spiritum Sanctum a suis discipulis prædicatum esse. Sed ad Augustinum me refero. Cujusnam, non dicam audaciæ, sed dementiæ Augustinum fuisse, arbitrabimur, qui publicè, palam, & passim impietatem perquam exsecrabilem, eamque falsam Manichæis exprobraverit; de cujus falsitate redargui facillime poterat, quin Manichæorum ullus unquam, vel uspiam reclamaverit; quid dico, quin reclamaverit, ut eam Felix Manichæorum Electus in publica disceptatione, coram frequentissimo populo libera voce affirmaverit? at Manichæus, inquit, Jesu Christi Apostolum ubique se nominat, nullibi vero Apostolum Paracleti. Græcè *Apostolus* est idem ac latinè *Missus*. Itaque si Paracleti Apostolum, idest, si se a Paracleto missus Manichæus dixisset, eoipso, se Paracletum esse negasset. Quia vero se Paracletum esse prædicabat, ideo se Apostolum Jesu Christi, nimirum se Paracletum missum a Jesu Christo dicebat. At, inquit, ipsemet Augustinus imbecillitatem agnoscens argumenti sui, lib. contra Epist. Fundam. cap.7. num.8. pag.112. tom.8. fatetur se nescire, *Utrum se missum, sive susceptum a Paracleto Manichæus affirmet*. O insigne mendacium hominis impudentissimi! Ecce genuina S. Doctoris verba, quibus dilemma suum contra Manichæos concludit: *Quapropter quoniam sive missum, sive susceptum a Paracleto se Manichæus vester affirmet, nihil horum poterit obtinere*. Hæc Augustini verba nec dubitantis, neque nescientis sunt, sed insolubili prorsus dilemmate Manichæos constringentis. Si enim Manichæus se a Paracleto missum affirmat, jam non Jesu Christi, qualem se dicit esse, sed Paracleti Apostolus est. Quod si Paracleti est Apostolus, idest, si missus a Paracleto est, Paracletus, a quo missus est, esse non potest. Sin autem

Beausobrii mendacium de Augustino nescientе, utrum Manichæus se Paracletum dixerit.

se

se susceptum a Paracleto affirmet, negare non potest, hominem Jesum a Filio Dei susceptum. Si enim Paracletus potuit hominem Manichæum suscipere, quin ab eo coinquinaretur, potuit profecto hominem Jesum suscipere Dei Filius, quin ab eo contaminaretur; quod impie ac præfractè cum discipulis suis Manichæus negabat. Hanc autem esse S. Doctoris sententiam locum integrum legenti patebit. Vides igitur hominis fraudolentissimi & mendacissimi fraudem, atque mendacium. Urget homo vafer, & inquit, Manichæum Pauli exemplum esse imitatum, qui Jesu Christi se, non Spiritus-Sancti Apostolum nominat. At Paulus dicendo se Apostolum Jesu Christi, se hominem esse dicebat missum a Jesu Christo. Contra vero Manichæus, testibus non modo Patribus antiquissimis, sed ipsismet Manichæis, dicendo se Apostolum Jesu Christi, se Paracletum esse dicebat missum a Jesu Christo. Una utriusque vox, sed non ejusdem vocis apud utrumque significatio. At Manichæus affirmabat Dei naturam, & carnem conjungi simul non posse. Manichæus igitur se a Spiritu-Sancto susceptum prædicare non poterat. Superior illa quidem erat Manichæorum doctrina, qua secum ipsi pugnabant. Omnium quidem hæreticorum commune est simul pugnantia docere. Hinc Augustinus, loco supra commemorato: *Cur*, inquit, *hominem susceptum a Spiritu Sancto Manichæum, non putatis turpe, natum ex utroque sexu prædicare: Hominem autem susceptum ab Unigenita sapientia Dei, natum de Virgine credere formidatis? Si caro humana, si concubitus viri, si uterus mulieris non potuit* (in Manichæo) *inquinare Spiritum-Sanctum; quomodo potuit uterus Virginis inquinare Dei Sapientiam?* Vides objectam ab Augustino Manichæis doctrinæ repugnantiam, qua se triumphare Beausobrius existimat.

Manichæus non eo modo quo Paulus se Jesu Christi Apostolum nominavit.

Manichæi ipsi sibi repugnant affirmantes Manichæum a Paracleto; & negantes hominem Jesum a Filio Dei susceptum.

V. Præterea Beausobrius testimonium Augustini contra Augustinum producit ex lib. de util. creden. cap. 3. num. 7. tom. 8. ubi hæc habentur: *Nosti enim, quod auctoris sui Manichæi personam in Apostolorum numerum inducere molientes dicunt, Spiritum-Sanctum per ipsum ad nos advenisse.* Item ex lib. 7. contr. Faus. cap. 2. pag. 153. tom. 8.

Beausobrius malitiose Augustinum interpretatur de Manichæis dicentibus Spiritum-Sanctum ad nos per Mani-

chæum advenisse, & in Manichæo fuisse.

tom.8. *Spiritus-Sanctus hoc sciebat qui erat in Manichæo.* Verba Manichæorum sunt. Atqui si, Manichæis testibus ab Augustino productis, Spiritus-Sanctus ad nos per Manichæum venit, si Spiritus-Sanctus erat in Manichæo, iisdem testibus, Manichæus non erat Spiritus-Sanctus. Hæc Beausobrius Histor. Dogmat. Manich. p.2..lib.1. cap.2. num.XI. pag.266. tom.1. O miseram, o puerilem mendacis hominis animadversionem! Dicimus, & rectissime dicimus, Filium Dei per Jesum Christum ad nos advenisse, num idcircò dicimus, Jesum Christum Dei Filium non esse? Dicimus, & rectissimè dicimus, Dei Filium in Jesu Christo esse, num idcirco negamus Jesum Christum Dei Filium esse? Ex eo igitur, quod Manichæi dixerint Spiritum-Sanctum ad nos per Manichæum venisse; & Sanctum Spiritum in Manichæo fuisse, perversissimè infertur, eos idcirco negasse, Manichæum Spiritum-Sanctum esse. Addit Beausobrius ibidem pag.267., & 268. Augustinum dubitasse, utrum se Manichæus Paracletum dixerit, an vero ministrum Paracleti. Id autem se eruere Beausobrius affirmat ex illis Augustini verbis lib.13.contr.Fauft.cap.17.pag.187. tom.8. *Cum Christus promiserit suis, missurum se Paracletum, per hanc promissionis occasionem, hunc Paracletum dicentes esse Manichæum, vel in Manichæo.* Omnino, inquit, discrepant inter se duæ istæ propositiones, *Paracletus fuit in Manichæo; Manichæus fuit Paracletus*: quemadmodum aliæ duæ similis generis propositiones, *Spiritus-Sanctus fuit in Sancto Petro; Sanctus Petrus fuit Spiritus-Sanctus.* Jam vero insigne Beausobrii mendacium est de Augustino dubitante, num Manichæus se Paracletum dixerit. Etenim S. Doctor clara & libera voce locisque pluribus narrat, tanquam rem sibi penitus notam & exploratam, tum Manichæum se, tum discipulos ejus magistrum suum Paracletum dixisse. Quatuor selecta, eademque præclarissima testimonia hac de re protuli ex libris Sancti Doctoris decerpta, superiore numero III. Ad ea Augustini verba ex libro 13. contra Faustum, quibus Beausobrius contendit, dubitasse Augustinum, utrum se Manichæus, discipulis ejus testibus, Paracletum

Beausobrii mendacium de Augustino dubitante, Num Manichæus se Paracletum dixerit.

cletum dixerit, respondeo, Incredibile prorsus est, Augustinum libro 13. contra Faustum de illa re dubitasse, quam libro 22. contra eumdem Faustum sine ulla dubitatione tanquam certissimam, atque exploratissimam affirmavit. Hæc enim habet commemorato lib.22. contra Faustum cap.18. pag.326. tom.8. *Cum lucem istam Solis, & Lunæ miraremini, talia nobis omnia divina finxistis, auctore illo vaniloquo, quem decepti, & deceptores Paraclitum dicitis. Proinde ullo modo valentes ostendere, quomodo sit ille Paraclitus.* Quis ergo sibi suaderi poterit Augustinum in unà eademque disceptatione, contra unum eundemque Faustum, de una eademque re certum se simul dixisse, atque incertum. Tales profecto repugnantiæ in Augustinum cadere omnino non possunt. Itaque verba illa, *Hunc Paracletum dicentes esse Manichæum vel in Manichæo*, non dubitantis Augustini sunt, sed narrantis. Etenim ex Manichæis alii dicebant Paracletum esse Manichæum; alii verò, esse in Manichæo. Qui aptius ad errorem suum loquebantur, dicebant, Paracletum esse Manichæum, idest, in sola figura & imagine Manichæi; Quemadmodum dicebant, Filium Dei esse hominem Jesum, idest, in sola figura & imagine hominis, qui dicebatur Jesus. Qui vero minus aptè ad errorum suum loquebantur, dicebant, Paracletum esse in Manichæo, quibus verbis dabatur locus interpretandi, Paracletum non in sola figura & imagine, sed etiam in Manichæi esse natura, quemadmodum nos Catholici dicimus, Filium Dei esse in humana Jesu Christi natura; quod consentaneum non erat Manichæorum errori. Verumtamen sicut non pugnant secum hæ duæ catholicæ veritates, sed optimè inter se consentiunt, nimirum, Filius Dei est in Christo Domino, Christus Dominus est Filius Dei; ita non pugnant secum, sed inter se consentiunt hæ duæ Manichæorum hæreticæ falsitates, Paracletus est in Manichæo, Manichæus est Paracletus. Quod autem pertinet ad Sanctum Petrum, Spiritus-Sanctus fuit in Sancto Petro non per physicam, sed per moralem cum eo conjunctionem. Hinc rectissimè dicitur, Spiritus-Sanctus fuit in Sancto Petro; perversissimè autem diceretur, Sanctus Petrus fuit Spiritus-Sanctus.

Manichæum Paracletum esse, Paracletum in Manichæo esse, in quo sensu dixerint Manichæi.

VI. Po-

Beausobrii mendacium de Augustino, quod censuerit, cum Manichæus esset tam Manichæum quam Christum Dominum purum & merum hominem esse.

VI. Postremo, eodem loco supra commemorato, Beausobrius concludit, Augustinum, quamdiu Manichæus fuit, tam Manichæum, quam Christum Dominum, purum & merum hominem existimasse. Ad hæc respondeo, Augustinum, quamdiu Manichæus fuit, purum & merum hominem Manichæum censuisse, purum & merum est Beausobrii mendacium. Etenim Augustinus, quamdiu Manichæus fuit, non aliud de magistro suo Manichæo censere potuit, quam ceteri omnes Manichæi de eo censuerunt. Atqui ceteri omnes Manichæi, Augustino supra producto teste locupletissimo, censuerunt magistrum suum Manichæum Paracletum esse; Ergo Augustinus, quamdiu Manichæus fuit, censuit magistrum suum Manichæum Paracletum esse. Rursum, Augustinum, quamdiu Manichæus fuit, purum & merum hominem Christum Dominum censuisse, purum & merum alterum est Beausobrii mendacium, ab ipsismet Manichæis tanquam mendacium exsibilandum, qui omnes ad unum, ne hominem quidem esse Christum Dominum prædicabant, sed purum & merum hominis simulacrum; quod Beausobrius ipse immemor illius proverbii, *Mendacem oportet esse memorem*, aliis locis fatetur. Quid autem de Christo Domino, quamdiu Manichæus fuit, Augustinus censuerit, ipsemet verbis his lib. 5. confess. cap. 10. num. 20. pag. 84. tom. 1. declarat: *Ipsum Salvatorem nostrum Unigenitum tuum, tamquam de massa lucidissimæ molis tuæ, porrectum ad nostram salutem ita putabam, ut aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam ejus nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem, & non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Nunc spirituales tui blande & amanter ridebunt me, si has confessiones legerint. Sed tamen talis eram.* Qui ergo fieri potest, ut Augustinus, eo tempore quo Manichæus erat, purum & merum hominem Christum Dominum esse censeret, qui eo tempore, nec hominem quidem esse, nec esse posse putabat? At dixerit fortasse quispiam, Augustinum

lib. 7.

lib.7. Confes. cap.19. num.25. pag.103. tom.1. fatetur se censuisse Christum Dominum merum, & purum hominem esse. Non repugno, sed fateor. At enim in hunc errorem prorsus contrarium Manichæorum errori primum Augustinus incidit anno trigesimo primo ætatis suæ, idest, tribus elapsis annis postquam a Manichæis discesserat, nec Manichæus amplius erat, & annis duobus antequam fieret catholicus, quod contigit anno ætatis suæ tertio supra trigesimum. Quæ enim eo loco, idest lib.7. Confessionum ab Augustino narrantur, ad annum pertinent primum supra trigesimum vitæ ejus, quando, ipsomet teste, nec Manichæus, nec Catholicus erat. Factum igitur satis est Beausobrianis mendaciis in his, quæ Manichæi nomen atque personam spectant.

DISSERTATIO III.

De Beausobrii mendaciis in his quæ spectant obscœnissimam Manichæorum fabulam.

De Manichæorum perquam impia, & obscena fabula certissima testimonia.

I. OBscenissimam, celeberrimam, & maxime impiam, atque exsecrabilem Fabulam a Manichæo excogitatam, & traditam Augustinus testis locupletissimus multis locis narrat, atque confirmat; eamque publicè & palam, & verbis & scriptis, Manichæis non modo non reclamantibus, sed etiam confitentibus, exprobat. Et primo quidem lib.20. contra Faustum cap.6. pag.238. tom.8. hæc narrat de Sole, quem navim esse pulcris puellis, & pueris onustam Manichæi delirabant: *Illud est intolerabiliter sceleratum, quod de ipsa navi puellas pulcras & pueros proponi dicitis, quorum formosissimis corporibus inardescant principes tenebrarum, ad feminas masculi, & ad masculos feminæ; ut in ipsa flagranti libidine, & inhianti concupiscentia, de membris eorum, tamquam de tetris sordidisque compedibus Dei vestri membra solvantur.* Rursum lib.de nat.Boni cont.Manichæos cap.44. pag.365. tom.8. eadem his verbis de Manichæis narrat: *Dicunt virtutes lucis transfigurari in masculos pulcros, & opponi feminis gentis tenebrarum; & easdem rursus virtutes lucis transfigura-*

trari in feminas pulcras, & opponi masculis gentis tenebrarum, ut per pulcritudinem suam inflamment spurcissimam libidinem principum tenebrarum, & eo modo vitalis substantia, hoc est, Dei natura, quam dicunt in eorum corporibus ligatam teneri, ex eorum membris per ipsam concupiscentiam relaxatis, soluta fugiat, & suscepta vel purgata liberetur. Hoc infelices legunt, hoc dicunt, hoc audiunt, hoc credunt, hoc in libro septimo Thesauri eorum (sic enim appellant scripturam quamdam Manichæi, ubi istæ blasphemiæ conscriptæ sunt) ita positum est. Affert huc Augustinus fragmentum ingens ex libro septimo operis Manichæi, quod Thesaurus inscribitur, quem locum summatim quidem, sed ipsismet Manichæi verbis exhibeo, quæ talia sunt: *Tunc beatus ille Pater suas virtutes, quæ in clarissima hac navi habentur, partim specie puerorum investium parere jubet generi adverso feminarum, partim virginum lucidarum formâ generi adverso masculorum. Hoc autem viso decoro illarum ardor, & concupiscentia crescit, atque hoc modo vinculum solvitur, vivaque anima, quæ in eorumdem membris tenebatur, hac occasione laxata evadit.* Præterea S. Doctor lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. *Esse autem*, inquit, *in eis navibus*, ideft in Sole & Luna, *sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas gentis adversæ, & rursus in feminas, ut illiciant masculos ejusdem gentis adversæ; & per hanc illecebram commota eorum concupiscentia, fugiat de illis lumen, quod membris suis permixtum tenebant, & purgandum suscipiatur ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria reportandum.* Postremo lib. 2. de Actis cum Felic. Manich. cap. 7. pag. 348. tom. 8 turpissimam hanc turpitudinem in publico, solemnique judicio his verbis Manichæis exprobrat: *Dicitis, quod audire nefas est, sed ad vos confundendos & forte salvandos tacere non possumus, ut purgetur inde pars Dei, dicitis in nave lucis, quam Solem appellatis, facientes injuriam Creatori Solis, & ipsi Soli, quem sic dicitis factum, ubi tanta turpitudo celebretur: dicitis enim illic positum Deum, virtutes suas convertere in masculos ad irritandum concupiscentias*

tiam Dæmonum feminarum ; & eosdem rursus convertere in feminas, ad irritandum concupiscentiam Dæmonum masculorum ; ut cum Dæmoniis injiciunt libidinem, accensis in formas confictas a Deo, relaxentur membra eorum, & sic evadat pars Dei quæ ibi fuerat colligata. Hoc tantum opprobrium, hoc tantum sacrilegium credere ausi estis, & prædicare non dubitatis. Felix objectam sibi ab Augustino teterrimam hanc turpitudinem a Manichæis traditam, non modo eam non negavit, sed coram universo populo confessus est, eamque cum ejus auctore Manichæo exsecratione solemni his verbis est exsecratus ibid. cap. 22. pag. 356.: *Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, & doctrinam ipsius, & spiritum seductorem qui in illo fuit, qui dixit, Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse, & eam tam turpiter liberare, ut virtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina, & ipsas iterum in masculos contra feminina Dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius suæ partis configat in eternum globo tenebrarum. Has omnes, & ceteras blasphemias Manichæi anathemo.* Ad hæc accedit testimonium ex libro de Fide contra Manichæos, qui Evodio Uzalensi, Augustino perquamfamiliari, tribuitur ; & extat in Appendice ad tomum VIII. S. Augustini. Is cap. 14. pag. 27. illud ipsum fragmentum ex libro septimo Manichæi Thesauri, quod Augustinus exhibuit libro de Natura boni, iterum exhibet, in quo superior Manichæi obscenitas continetur. Adest denique testimonium ab anathematismis petitum, qui Manichæis ad Ecclesiam venientibus pronuntiandi præscribebantur, quos ex veteri Codice Lugdunensi Sirmondus edidit tom. 1. Concilior. Galliæ pag. 210, quorum quintus ex ipsissmet fere Manichæi verbis ex libro VII. Thesauri decerptis partim constructus hujusmodi est. *Qui credit principes tenebrarum ligatos esse in Cœlo, habentes colligatam in angustiis atque angoribus vitalem substantiam, hoc est, partem Dei : & eo modo liberari de membris eorum, cum beatus Pater, qui lucidas naves habet diversoria & habitacula, idest, Solem & Lunam, virtutes suas transfigurat in feminas pulcras, quas opponit concupiscendas masculis principibus tenebrarum ; & in masculos pul-*

cros, quos opponit concupiscendos feminis principibus tenebrarum, ut per ipsam concupiscentiam solvatur ex eis vitalis substantia, idest, pars Dei ex eorum membris liberata purgetur, anathema sit.

Beausobrii mendacia de horribili fabula ab Augustino Manichæis falso attributa.

VII. Quid ad hæc Beausobrius? Quod ad Augustinum pertinet, Opinio, inquit, horribilis est, falso ab Augustino Manichæis attributa. Hæc ille. In Præfat. ad p.2. Histor. Dogmat. Manich. pag.230. tom.2. At unde habes horribilem hanc opinionem falso ab Augustino Manichæis fuisse attributam? Qvoniam, inquit eodem loco, incredibile prorsus est, Augustinum tantæ turpitudinis a Manichæis traditæ conscium, quam, licet Manichæorum Auditor tantum, ignorare certe non poterat, cum in manibus libros Thesauri haberet, incredibile, inquit, est Manichæam sectam novem annos secutum esse, eamque defendendam ac suadendam pro viribus, tam longo tempore, suscepisse. At longe incredibilius est Augustinum episcopum, summæque apud omnes sanctitatis, auctoritatis, atque prudentiæ virum, tot libris a se usque ad extremum fere spiritum promulgatis, qui plurimorum manibus terebantur, adversariis suis Manichæis, quibus referta erat Africa, & quibuscum confligebat, falso crimine, atque per summam calumniam, opinionem horribilem, tanquam a Manichæis excogitatam, attribuisse, quam ejus discipuli, rem fictam & commentitiam esse, dumtaxat negando, poterant demonstrare, nisi dicamus, Augustinum ab anno CCCC, usque ad annum CCCCXXVIII. idest, usque ad biennium ante suum obitum, quibus hæc litteris commendavit, non solum mendacem, & calumniatorem, qualem nobis Beausobrius omnium hominum mendacissimus, & calumniosissimus sanctum Doctorem exhibet, verum etiam prorsus insanum, & mentecaptum fuisse. Quid? quod Augustinus in publico solemnique judicio, cui frequentissime aderant cum catholicis Manichæi, horribilem hanc opinionem his exprobravit, quam Beausobrius Augustinianam calumniam esse impudentissime affirmat? Extant apud Augustinum legitima, & genuina acta cum Felice Manichæo a pu-

Beausobrii calumnia horribilis contra S. Augustinum evidentissime exploditur.

a publicis notariis, adstante populo, excepta, in Ecclesia Pacis, & in publicis tabulis relata, quæ diem habent, & Consulem, quorum est hoc exordium: *Honorio Augusto sextum, septimo Idus Decembris*, idest anno CCCCIV. die 7. Decembris Augustini episcopatus anno IX. De his autem Actis hæc Augustinus posteritati mandavit lib. 2. retract. cap. 8. tom. I. *Contra Manichæos, quemdam nomine Felicem, præsente populo, biduo in Ecclesia disputavi. Hipponem quippe venerat eundem seminaturus errorem. Unus enim erat ex Doctoribus eorum, quamvis ineruditus liberalibus disciplinis, sed tamen versutior Fortunato. Gesta sunt Ecclesiastica, sed inter meos libros computantur.* De publicis iisdem Actis Possidius Calamensis in Augustini vita cap. 16. pag. 180. in Append. ad tom. X. S. Aug. hæc litteris commendavit. *Cum quodam etiam Felice, de numero eorum, quos Electos dicunt Manichæi* (Augustinus) *publice in Hipponensi Ecclesia, Notariis excipientibus, disputavit, populo adstante: & post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus, frustrata vanitate, & errore hujus sectæ, ad nostram conversus est fidem, atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura.* Jam vero ad atrocissimam illam Augustini, Beausobrio auctore, calumniam, fieri omnino non poterat, quin vehementissime Felix commoveretur, ad eamque exardescens magna voce exclamaret, Mentiris, Augustine, mentiris: nunquam & nuspiam hæc Manichæus docuit: nunquam & nuspiam hæc nos Electi credidimus. Contra vero Felix ad hæc nihil omnino respondet, obmutescit, tacet, & alio protinus sermonem convertit; perinde ac si ad turpissimam illam sectæ suæ notam surdus omnino fuisset. Hoc Felicis silentium, etiam si cetera desint, satis superque est ad demonstrandam confirmandamque fœdissimam Manichææ fabulæ obscenitatem. Quid, quod Felix Augustini argumentis ab errore revocatus, non modo objectam sibi turpitudinem non negavit, sed publice & palam coram universo populo confessus est, eamque exsecratione solemni a publicis Notariis excepta, ejeravit? Hæc tandem publica gesta, publicis tabulis, a Notariis

Felicis Manichæi cum Augustino disputantis acta publica summæ auctoritatis sunt.

tariis publicis consignata his Augustini atque Felicis subscriptionibus confirmata sunt, atque corroborata. *Augustinus episcopus his in Ecclesia coram populo Gestis subscripsi. Felix his Gestis subscripsi.*

Augustino Manichæorum Auditori verisimile est ignotam fuisse obscenissimam Manichæorum fabulam.

III. At incredibile prorsus est Augustinum talem sectam secutum esse, quæ horribilem obscenitatem illam docebat. Quid si eam penitus ignoravit? At verisimile maxime est Augustino, cum Manichæorum Auditor dumtaxat esset, turpitudinem illam omnino ignotam fuisse. Certum est enim Augustinum, ut Auditores ceteri Manichæorum, exsecranda Electorum mysteria, maximeque nefariam illorum Eucharistiam omnino ignorasse. Urgebat Fortunatus S. Doctorem, quocum publice disceptavit, ut siquid contra Manichæorum mores, atque in cultu religionis haberet, palam ediceret. Hæc ille disp. 1. num. 3. cap. 68. tom. 8. Ad hæc Augustinus: *De moribus*, inquit, *vestris plane scire possunt, qui Electi vestri sunt. Nostis me non Electum vestrum, sed Auditorem fuisse.* Mox de ignota sibi eorum Eucharistia hæc habet: *Eucharistiam audivi a nobis sæpe quod accipiatis: tempus autem accipiendi cum me lateret, quod accipiatis, unde nosse potui?* Profecto si Auditores Manichæorum exsecrandam Eucharistiæ illius turpitudinem rescivissent, vel omnes, vel eorum plerique ab eis defecissent. At eadem omnino ratio est de teterrima, & maxime impia fabula illa a Manichæo excogitata. Ne igitur Auditores a Manichæa secta discederent, verisimile admodum est, Manichæorum Electos tum nefariam Eucharistiam, tum fabulam illam nefariam Augustino Auditori occultasse. Præterea Augustinus non prius quam anno quadringentesimo, quo contra Faustum scripsit, turpitudinem illam Manichæis exprobravit. At ab anno tercentesimo septuagesimo octavo, quo contra Manichæos Augustinus scribere incepit, ad annum quadringentesimum, quo primum turpitudinis illius mentionem fecit, duo & viginti anni effluxerunt. At incredibile prorsus est tam diuturno temporis spatio, totque libris a se contra Manichæos editis, semper Augustinum abstinuisse ab ea turpitudine

ne Manichæis objicienda, si ab eo tempore, quo Auditor erat, ipsi nota fuisset. Urget Beausobrius: Turpitudo illa, Augustino auctore, continetur septimo libro Thesauri, qui in manibus erat omnium Manichæorum. Augustino igitut Manichæorum Auditori ignota minime erat. Nego librum Thesauri non in solis Electorum, sed in manibus etiam Auditorum fuisse. Bis tantum in omnibus suis contra Manichæos controversiis Thesauri librum Augustiuus commemorat. Primum anno CCCCIV, episcopatûs sui anno IX, idest, lib. de Act. cum Fel. Manich. cap. 5. pag. 347. tom. 8. Iterum anno CCCCV, episcopatûs sui anno X, idest, lib. de Nat. Boni contra Manich. cap. 44. pag. 365. tom. 8. Probabile igitur est Thesauri librum diligentissime a se conquisitum, non prius in manus Augustini venisse, quam factus esset episcopus; quoniam si ab Electis, a quibus custodiebatur, hujusmodi libri copia facta Augustino fuisset, non dubito, quin jam ab anno trecentesimo septuagesimo octavo, quo contra Manichæos scribere incepit, Manichæis eum objecisset. Fatetur quidem Augustinus traditam sibi, cum Auditor esset Manichæi epistolam, quæ dicitur Fundamenti, idque affirmat lib. contra epistolam Manichæi cap. 5. num. 6. pag. 3. tom. 8. At de credito sibi libro Thesauri cum Auditor Manichæorum esset, nunquam & nuspiam mentionem facit. Itaque, ut potestas Sibyllinos libros legendi & interpretandi primum Tarquinii Superbi lege apud solos Sacerdotes duumviros erat, deinde apud solos decemviros, tandem apud solos quindecemviros, a quibus in subterranea Capitolii cella, & in arca lapidea custodiebantur; ita verisimile admodum est, simile quid constitutum fuisse de arcano libro Thesauri a solis Electis custodibus legendo, & in arcanis eorum mysteriis usurpando. At de nefario delirio illo, *Hoc infelices legunt*, inquit Augustinus, *hoc dicunt*, *hoc audiunt*, *hoc credunt*. Quid inde? Nihil aliud profecto, nisi Manichæorum Electos custodes credulos fabulæ illius fuisse, quin eam suis Auditoribus communicarent. Finge tibi catholicum hominem horridam Calvini doctrinam de Prædestinatione, & Reprobatione Cal-

Thesauri librum; Manichæi opus, verisimile admodum est Augustino Manichæorum Auditori fuisse ignotum.

Thesauri liber solis Electis notus, ut Sibyllini libri paucis quibusdam Romæ Sacerdotibus noti erant.

Calvinianis objicere, & exprobrare, is aptiſſimis uteretur verbis dicendo, *Hæc infelices legunt, hæc dicunt, hæc audiunt, hæc credunt*. Num idcirco ex his verbis poſſet quiſpiam inferre, doctrinam hanc Calvinianam non ſolis Calvinianis Paſtoribus, miniſtris, presbyteris, ſed univerſo Calviniano populo, ſed Calvinianis ruſticis, & mulierculis notam eſſe? Nihil profecto minus. Nec tota traditur Chriſtiano populo catholicæ Eccleſiæ doctrina, quam ſcire non expedit chriſtianis rudibus & illiteratis; tamen ſiquis dicat: *Hæc catholici legunt, hæc dicunt, hæc audiunt, hæc credunt*, rectiſſime, aptiſſimeque loquitur, quo nihil aliud ſignificatur, niſi talem eſſe doctrinam catholicam: exempli gratia de Trinitate, de Incarnatione, de Gratia, de Prædeſtinatione, quæ tamen chriſtianæ plebi non tota traditur.

Auguſtinus Manichæorum Auditor incredibilibus Manichæorum fabulis fidem adhibuit.

IV. Sed eſto Auguſtinum, quo tempore Manichæorum Auditor erat nefariam fabulam illam cognoviſſe, eſto fidem eidem adhibuiſſe. Quid tum? Nonne Auguſtinus Manichæorum Auditor alia plura Manichæorum deliria perquam impia, perquam abſona, perquam abſurda ſe credidiſſe teſtatur? Pauca quædam attingo: *Senſim, atque paulatim*, inquit lib.3. Confeſ. cap.10. num.18. pag.68. tom.1. *perductus ſum ad eas nugas, ut crederem ficum plorare, cum decerpitur, & matrem ejus arborem lacrimis lacteis. Quam tamen ficum ſi comediſſet aliquis ſanctus, alieno ſane non ſuo ſcelere decerptam, miſceret viſceribus, & anhelaret de illa Angelos, immo vero particulas Dei gemendo in oratione atque ructando, quæ particulæ ſummi & veri Dei ligatæ fuiſſent in illo pomo, niſi Electi ſancti dente & ventre ſolverentur*. Huic Manichææ fabulæ tam impiæ, tam abſonæ, tam ridiculæ plenam ſe exhibuiſſe fidem Auguſtinus, cum Manichæus eſſet, ingenue fatetur. Quam impie vero cum Manichæis de Dei natura ſentiret, quem molem quamdam corpoream eſſe late diffuſam arbitrabatur, cui putabat oppoſitam molem alteram tetram atque deformem, quam malam naturam eſſe Deo adverſariam cenſebat, his Auguſtinus verbis a Manichæis elapſus deplorat lib.5. Confeſ. cap.10. num.19. & 20. pag.84. tom.1. *Cum de*

Deo

Deo meo cogitare vellem, cogitare nisi moles corporum non noveram, neque enim mihi videbatur esse quidquam quod tale non esset: ea maxima & prope sola causa erat inevitabilis erroris mei. Hinc enim & mali substantiam quamdam credebam esse talem, & habere suam molem tetram & deformem, sive crassam quam terram dicebant, sive tenuem atque subtilem, sicut est aeris corpus, quam malignam mentem per illam terram repentem imaginantur. Et quia Deum bonum nullam malam naturam creasse qualiscumque pietas me credere cogebat, constituebam ex adverso sibi duas moles utramque infinitam, sed malam angustius, bonam grandius. Et ex hoc initio pestilentioso me cetera sacrilegia sequebantur. Præterea annos natus viginti sex, vel septem, ut Augustinus ipse fatetur, hanc de Dei & animæ suæ natura, cum Manichæus esset, impiam, absurdamque opinionem habebat, quam his verbis significat lib.4.Confes.cap.16.num.15.tom.1. *Quid mihi proderat putanti, quòd tu Domine Deus veritas corpus esses lucidum & immensum, & ego frustum de illo corpore?* Et rursum ibidem multo majori, quam deplorat perversitate cap.15. num,26. *Quid autem superbius, quam ut assererem mira dementia me id esse naturaliter, quod tu es? Et contendebam magis incommutabilem tuam substantiam coactam errare, quam meam mutabilem sponte deviasse.* In his ergo fabulis plusquam anilibus, in his deliriis plusquam senilibus, & impietatibus prorsus incredibilibus secernendus est Augustinus ab Augustino, nimirum Augustinus adultus, & ætate constanti ab Augustino adolescente, & ætate inconstanti, Augustinus Rhetor ab Augustino Theologo, Catechumenus a Fideli, Hæreticus a Catholico, pius ab impio, ignarus a docto, continens a voluptario, illuminatus a cœco. Quibus animadversis malitiosa illa Beausobrii admiratio cessabit, Qui fieri potuit, ut in ea secta Augustinus maneret, quæ turpitudines tales docebat! Qui fieri potuit ut contra catholicos talem sectam defenderet! At contra quos catholicos? nimirum rudes, simplices, & imperitos acerrimo ipse ingenio, & eloquentia præstans. Audiatur lib. de duab.

Ani-

Animab. cap.9. num.11. pag.61. tom.8. *Quædam*, inquit, *noxia victoria pene mihi semper in disputationibus proveniebat, differenti cum christianis imperitis*.

Beausobrii contra Augustini narrationem infirma admodum argumenta.

V. Validioribus armis narrationem sancti Doctoris de obscenissima maximeque impia Manichæorum fabula adoriri se Beausobrius gloriatur lib.6. c.8.pag.388. & 389. tom.2. Histor. Dogmat. Manich. At validiora hæc arma non sunt nisi plumbei pugiones. Maria, inquit, apud Manichæum sancta quidem femina erat, sed eam negabat Christi Domini matrem esse, quòd indignum putaret Dei Verbum habitasse in utero feminæ, naturali via ex feminæ utero prodiisse, humanoque corpori copulatum esse. Multo igitur magis nec credere, nec scribere poterat Manichæus, substantiam & majestatem Divinam, ut ajunt Evodius & Augustinus, habitasse corpora dœmonum masculorum & feminarum, eamque cum eorum substantia ligatam fuisse, ex eaque evasisse modo omnium fœdissimo & obscenissimo. At hoc Beausobrii argumentum, siquid probat, illud dumtaxat probat, delirum illum Manichæum senem in sua illa perquam ridicula, & impia fabula consentaneum sibi non esse, sed secum ipsum pugnare. Hoc autem vitium commune est omnium hæreticorum, eorumque maxime, qui incredibiles fabulas ut Manichæi venditarunt. Quamquam ab intestina secum ipse pugna aliquo modo hac de re vindicari Manichæus potest. Etenim apud Manichæos non omnes partes divinæ naturæ ejusdem erant rationis, sed disparis, atque dissimilis. Deum enim corpoream lucem esse Manichæi docebant, cujus partes dispares inter se, atque dissimiles essent, qualem nos lucem oculis nostris perspicimus. Alia enim lux Solis est, alia Lunæ, alia Stellarum, alia lucernæ, alia denique cicindelæ: *Lucem istam corpoream*, inquit de Manichæis Augustinus lib.de Hæres.ad Quodvultdeum hær.46.pag.11.tom.8.*animantium mortalium oculis adjacentem, non solum in his navibus* (in Sole, & Luna) *ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam*.

Manichæus, ut ceteri hæretici, secum ipse pugnat.

Deum lucem corpoream esse Manichæi docebant non ejusdem, sed diversæ rationis.

Jam

Jam vero apud Manichæos Verbum Dei lux erat purissima ac nitidissima, eaque de causa indignum putabant, ut conjunctione materiæ, quod apud eos fièri necesse erat, coinquinaretur. Hinc Augustinus lib.5. Confes. cap.10. num.20. pag.84. tom.1. de se quondam Manichæo loquens: *Ipsum*, inquit, *Salvatorem nostrum Unigenitum tuum, tanquam de massa lucidissimæ molis tuæ, porrectum ad nostram salutem putabam... Talem itaque naturam ejus nasci non posse de Maria Virgine arbitrabar... Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum*. At longe alia apud Manichæos erat ratio de extremis & debilioribus partibus lucis suæ, quas Deus necessitate compulsus, ut sibi consuleret, devorandas tradidit principibus tenebrarum, quibuscum permistas, & confusas esse dicebant, quæ gradibus claritatis atque nitoris distabant longissime a puritate & splendore lucis illius, qua Dei Filium constare affirmabant. Quinetiam in ipsamet Trinitate gradus lucis Manichæi statuerunt, teste Fausto Manichæorum episcopo apud Augustinum lib.20. cap.2. pag.237. tom.8, cujus hæc verba sunt: *Nos Patris quidem Dei Omnipotentis, & Christi Filii ejus, & Spiritus Sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus Numen; sed Patrem quidem ipsum lucem incolere credimus summam ac principalem, quam Paulus aliàs inaccessibilem vocat: Filium vero in hac secunda ac visibili luce consistere... Virtutem quidem ejus in Sole habitare; Sapientiam vero in Luna; nec non & Spiritus-sancti, qui est majestas tertia, aeris hunc omnem ambitum sedem fatemur ac diversorium... Hæc nostra fides est*. Quod autem Maria apud Manichæum sancta femina fuerit, unum est ex insignioribus apud Beausobrium mendaciis. Manichæus epistola ad Marcellum, quæ extat in Act. Manich. num.5. pag.6. edit. Zacagn. sic de Maria loquitur? *Utinam nec Unigenitum Dei Filium Christum Dominum, qui de Patris sinu descendit, Mariæ cujusdam muliérculæ filium esse* (Catholici) *dicerent*. Manichæo de seipso teste, Maria nonnisi muliercula quædam est: contra vero, Beausobrio de Manichæo teste, Maria apud Manichæum sancta femina est.

Manichæi cur negaverint Dei Verbum assumpsisse corpus humanum.

Manichæorum absurda de Trinitate doctrina.

Beausobrii mendacium de veneratione Manichæi erga Mariam Virginem.

Græcorum Patrum silentium de Manichæorum obscenitate ab Augustino narrata levissimum est Beausobrii argumentum.

VI. Alterum argumentum, quo Beausobrius commemorato loco Augustinum adoritur, Græcorum Patrum Augustino antiquiorum silentium est, qui obscenissimam illam Manichæorum fabulam ab Augustino testatam tacent omnino. At argumentum hoc negativum est, genere ac natura sua non parum infirmum ac debile, quod idcirco apud æquos criticæ artis cultores non magni ponderis est. Si divinare licet, credo obscenitatem illam maximè tetram & impiam, ut ignota Augustino fuit usque ad anum cccc., Episcopatûs sui anno IX., quo primum illam commemorat post tot editos contra Manichæos libros, ita Græcis Patribus Augustino antiquioribus, qui contra Manichæos scripserunt, eatenus non fuisse perspectam. Certum est enim Manichæos summam adhibuisse curam ac diligentiam, ut secretiorem doctrinam suam, & arcana mysteria penitùs occultarent. Testis est Petrus Siculus, sagacissimus Manichææ fabulæ investigator, quique Tribicæ cum Manichæis Armenis novem menses, ut ipse de se fatetur, versatus est, & quibuscum sæpenumero disputavit. Is de disciplina arcani, qua severissimè doctrinam suam Manichæi occultabant, libro de vana, & stolida Manichæorum hæresi hæc litteris commendavit pag. 816. *Manichæorum fuliginosa, cænosaque, spurcissimaque secta ab ipsismet hæreticis alto silentio colitur, & observatur*. Et paulo infra: *Id maximè*, inquit, *student, ne sacra sua & hæreses passim omnibus, etiam suis, non dico peregrinis, sed familiaribus enuntient. Cum paucis illa tantum, & quos in impietate plus ceteris sciunt præmovisse communicant*. Priscillianistæ propago, & soboles Manichæorum fuerunt, apud quos talis arcani lex sancita erat: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. De quibus Augustinus lib. 2. retract. cap. 60. pag. 45. tom. 1. hæc habet: *Priscillianistæ hæresim suam non solum negando, atque mentiendo, verum etiam pejerando existimant occultandam*. Verisimile est igitur Manichæorum Electos teterrimam illam, & obscenissimam fabulam Græcis Patribus, suis acerrimis adversariis, tam cauta diligentia occultasse, ut ad eorum notitiam pervenire nequaquam potuerit.

Manichæorum summa solertia in sua doctrina, suisque mysteriis occultandis.

Priscillianistæ Manichæorum soboles summo studio, etiam pejerando, impietates suas occultabant.

VII. Po-

VII. Postremo Beausobrius loco commemorato Augustinum redarguit, quod in ea narratione sua totam Manichæorum sententiam permutaverit, & unum factum alteri facto substituerit. Factum enim, inquit, quod Tyrbo apud Zacagnium pag. 14. narrat, ad causam pluviarum pertinet, & est hujusmodi; *Princeps ille magnus producit nebulas ex semetipso, ut obscuret in ira sua omnem mundum, qui cum tribulatus fuerit plurimum, sicut homo sudat post laborem, ita & hic Princeps sudat ex tribulatione sua, cujus sudor pluviæ sunt*. Ad hanc Beausobrii calumniam nego Augustinum in ea narratione de obscenissima Manichæorum fabula quidquam permutasse, nego quidquam adulterasse, nego factum unum alteri facto substituisse. Duæ sunt Manichæorum fabulæ ambæ perquam impiæ, & obscenæ. Una, quam hìc detruncatam Beausobrius prodit, ad causam pertinet imbrium, & nebularum. Altera de qua Augustinus, ad rationem pertinet separandi naturam divinam a natura dœmonum, quæ in Manichæorum fabula simul permistæ sunt. De causa imbrium & nebularum, Manichæo auctore, audiatur Tyrbo Manichæi discipulus a Beausobrio productus apud Zacagn. de Act. Archel. pag. 13. cujus hæc verba sunt. *Virgo quædam decora & exornata, elegans valde furto appetit principes* (tenebrarum) *qui sunt in firmamento a vivente spiritu educti, & crucifixi, quæ cum apparuerit maribus femina decora apparet, feminis vero adolescentem speciosum & concupiscibilem demonstrat, sed principes quidem cum eam viderint exornatam, amore ejus in libidinem moventur, & quia eam apprehendere non possunt, vehementer instigantur amoris incendiis excitati, rapti sunt enim libidinis calore: cum enim currentibus post eam anxie effecti fuissent, virgo subito nusquam comparuit*. Hinc imbres, hinc nebulæ, hinc pestilentiæ ex copioso sudore, ex ira, ex furore principum tenebrarum virginem illam frustra insectantium. Quid obscenius, quid impius, quid Deo indignius excogitari poterat, quandoquidem virgo hæc, auctoribus Manichæis, ad Dei naturam pertinet, cujus pars quædam est atque emanatio, atque idcirco Deus ipse est, ut Manichæo-

Beausobrii mendacium de Augustino permutante, & adulterante Manichæorum sententiam.

Manichææ doctrinę maximam impietatem, & obscenitatem, præter Augustinum, Tyrbo Manichæi discipulus, & Cyrillus Jerosolymitanus testantur.

nichæorum fabula fert. Paulo aliter, ſed non abſimili obſcenitate, rem narrat Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. VI. pag. 39. edit. Touttee, ubi hæc de Manichæis habet; *Audent dicere eſſe quamdam in cœlo ſpecioſam virginem cum juvene formoſo: eos, quo tempore cameli aut lupi, ſua fædæ cupidinis tempora habere. Itaque hiberno tempore hunc in virginem inſano furore incurrere; illam vero fugere ajunt; iſtum perſequi, atque inde ſudorem emittere, quo ex ſudore imbrem exiſtere. Hæc in Manichæorum libris ſcripa ſunt. Ea nos legimus, dum narrantibus noluimus fidem adhibere.* Talis erat apud Manichæos pluviarum obſceniſſima cauſa, quam Beauſobrius reticet, ſimilis omnino obſceniſſimæ illi cauſæ, de qua Auguſtinus, cujus beneficio, auctoribus Manichæis, obſceniſſimo modo, pars naturæ divinæ a natura dœmonum ſeparatur. Cum igitur de maxima obſcœnitate, & impietate cauſæ a Manichæo excogitatæ ſumma conſenſione inter ſe conveniant Tyrbo, Cyrillus, & Auguſtinus; effectuum differentia, nec Auguſtini narrationem elevat, nec Beauſobrii provocationem ab Auguſtino ad Tyrbonem, Græcoſque Patres adjuvat, ut ab infamia obſcenitatis & impietatis eatenus inauditæ Manichæi liberentur.

DISSERTATIO IV.

De Beauſobrii mendaciis, quæ ad cauſam pertinent, cur Deus in Manichæorum ſententia animas in materiam immiſerit.

Manichæi docuerunt, Deum neceſſitate oppreſſum bonas animas huc miſiſſe.

I. CAuſam, cur Manichæorum Deus animas in materiam immiſerit, pluribus locis Auguſtinus, ut fert Manichæa hæreſis, affert. Et primo quidem lib. de vera relig. cap. 9. num. 16. pag. 562. tom. 1. auctoribus Manichæis, narrat, *Gentem tenebrarum quodam tempore adverſus Deum rebellaſſe, Deum autem cum aliud facere non haberet, & quomodo aliter poſſet reſiſtere, non inveniret, neceſſitate oppreſſum miſiſſe huc animam bonam, & quamdam particulam ſuæ ſubſtantiæ, cujus commiſtione,*

ne, atque miscela hostem temperatum esse somniant, & mundum fabricatum. Item lib. contr. Fortun. Manich. disput. 2. num. 1. pag. 67. tom. 8. *Dicitis*, inquit, *aliam nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum rebellasse. Deum autem Omnipotentem cum videret, quanta labes & vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid adversæ genti opponeret misisse huc virtutem, de cujus commistione cum malo, & gente tenebrarum mundus sit fabricatus ... Hoc ego nefas puto credere, Deum omnipotentem aliquam adversam gentem timuisse, aut necessitatem esse passum, ut nos in ærumnas præcipitaret*. Rursum lib. de Agone christiano cap. 4. num. 4. pag. 180. tom. 6. de Manichæis hæc habet: *Dicunt ante mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellavit, in quo bello credunt miseri omnipotentem Deum non aliter sibi potuisse consulere, nisi partem suam contra eam mitteret. Cujus gentis principes, sicut illi dicunt, devoraverunt partem Dei, & temperati sunt, ut posset mundus de illis fabricari ... Quæ membra Dei dicunt esse commista tenebrosis visceribus principum illorum, ut eos temperarent, & a furore compescerent*. Julianus apud Augustinum non repugnantem, sed ut mox videbimus consentientem, lib. 1. Oper. Imperf. num. 49. pag. 671. tom. 10. eadem de Manichæis his verbis narrat: *Pugnasse quidem cum principe tenebrarum Deum lucis, Manichæus finxit, & credidit, addiditque ejus captivam teneri in hoc orbe substantiam: sed tantam infelicitatem colore pietatis nititur excusare, affirmans eum quasi bonum pro patria dimicasse civem, atque ideo objecisse membra, ne perderet regna*. Augustinus autem libro eodem sub num. 120. pag. 706. eadem his verbis confirmat. *Manichæi fingunt Deum crudeliter infirmum, qui partem suam, substantiam suam, membra naturæ suæ dilanianda & contaminanda hostibus tradidit, a quibus vastitatem sibi imminere cernebat*. Itaque, Augustino teste, Manichæorum Deus necessitate compulsus, metuque coactus, ut sibi consuleret, rebusque suis provideret, suaque regna ab imminente vastitate servaret, animas, partes naturæ suæ, in materiam, qua gens tenebrarum constat, immisit.

II. Re-

Beausobrius inique Augustinum reprehendit, quod dixerit, Manichæos docuisse, Deum necessitate oppressum bonas animas huc misisse.

II. Repugnat hic more suo Augustino Beausobrius, atque contendit, Manichæos perspicue negare, quod Augustinus affirmat. Etenim Fortunatus apud Augustinum disp.2. num.27. pag.77. tom.8. *Non necessitate*, inquit, *sed voluntate Deum misisse animam*. Hanc esse Manichæorum sententiam Damascenus docet, cujus hæc verba sunt; *Dicunt* (Manichæi) *Deum, cum sciret materiam sibi bellum inferre, voluntarie permisisse, ut materia sibi aliquod detraheret, ex eo quod ad se pertinebat.* Hæc Beausobrius Histor.Dogmat.Manich. lib.6. cap.2. pag.308.num.3.tom.2. Ergo Augustinus, auctore Beausobrio, eò dementiæ devenit, ut passim & publice Manichæis exprobraret impietatem fictam & commentitiam, quam, auctore eodem, a se Manichæi rejecerunt. At, quæso te, quinam sunt Manichæi isti? Fortunatus est, inquit. Equidem arbitrabar, Fortunatum unum hominem singularem esse, quem modo intelligo Manichæorum esse legionem. Cum hac ergo Beausobriana Manichæorum legione congredior. Augustinus disputationem primam cum Fortunato exorditur ab impietate illa, quam Manichæis exprobrat. Qua recitata his verbis narrationem concludit: *Hoc ego nefas puto credere, Deum Omnipotentem aliquam adversam gentem timuisse, aut necessitatem esse passum, ut nos in ærumnas præcipitaret*. Quid ad hæc Fortunatus? *Ista sunt*, inquit, *principalia fidei nostræ*. Fatetur ergo non negat, quod Augustinus exprobrat. Præterea S.Doctor disput.2. num.26. & sequentibus sic Fortunatum interrogat. *Si Deo noceri non poterat, quare huc nos misit?* Cui Fortunatus, *Si necessitas fuit mittendi animam, meritò est & voluntas liberandi eam*. Tum Augustinus, *Premitur ergo Deus necessitate?* Ad hæc Fortunatus in maximum ab Augustino horribilis impietatis discrimen adductus, pedem refert, quodque affirmaverat, negat; Et, *Noli*, inquit, *ad invidiam excitare id quod dictum est, quòd non necessitati facimus subditum esse Deum, sed voluntarie misisse animam*. Hæc sunt Fortunati verba, non ea quæ Beausobrius supra corrupit. Tum Augustinus ad publicum notarium conversus, *Recita*, inquit, *quod*

Fortunatus fatetur Deum necessitate oppressum bonas animas huc misisse.

Fortunatus ab Augustino coactus, quod affirmaverat negat, Deum scilicet necessitate non voluntate animas huc misisse.

quod supra dictum est: *Et recitatum est*, *Si autem necessitas fuit mittendi animam*, *merito est voluntas liberandi eam*: Mox ad populum S. Doctor conversus: *Audivimus*, inquit, *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est & voluntas liberandi eam. Tu ergo dixisti, Fuisse necessitatem mittendi animam. Sed si modo voluntatem vis dicere, & hoc addo. Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miserias.* Itaque tanquam admotis tormentis extorsit a Fortunato Augustinus contrariam hanc Manichæorum do-ctrinæ confessionem: *Non necessitate facimus subditum esse Deum, sed voluntarie misisse animam*. Patefactum est igitur Beausobrii de Fortunato mendacium. Quod pertinet ad Damascenum hæc ejus Græca verba sunt Dialog. contra Manichæos pag.440. edit. Lequien. ἑκὼν συνεχώρησεν ἁρπαγῆναι τὶ αὐτῦ ἀπ' αυτῆς: ideſt de verbo ad verbum, *Deum voluntarie permisisse rapi quid sui a se*. Itaque, Damasceno auctore, metuens Deus, φυβηθεὶς, impendentem sibi a materia, seu a tenebrarum gente vastitatem, voluntarie quidem, non tamen libere a timore gravissimo, atque idcirco necessitatem inducente timore, permisit rapi quid sui a se, partem scilicet naturæ suæ. Confirmatur igitur auctoritate Damasceni quod Augustinus de Manichæorum fabula dixerat, *Deum necessitate oppressum*, timore scilicet vehementissimo, *misisse huc animam bonam*. At Beausobrius inveterata sibi consuetudine sic fraudolenter Damascenum interpretatur: *Voluntarie Deum permisisse, ut materia sibi aliquid detraheret ex eo quod ad se pertinebat*. Nimirum ut persuadeat, in Manichæorum sententia, quod materia detraxit, Dei partem non esse.

De anima cur a Deo missa juxta Manichæos Damascenus cum Augustino consonet.

Beausobrius maliti0se interpretatur Græca Damasceni verba.

III. Urget Beausobrius loco supra commemorato pag.308. & 309, & demonstrare nititur, Deum in Manichæorum sententia, nec metu, nec necessitate, nec impotentia, nec tandem ut salvam faceret boni sui partem, partem alteram dæmoni tradidisse. Quod ut obtineat, Simplicium producit in Epitectum pag.164. cujus auctoritatem Augustini anteponit auctoritati. Item Damascenum Dialog. contr. Manich. pag.456. Tandem Manichæum ipsum apud Augustinum lib.1. contr.

Beau ſobrius inique præfert auctoritatem Simplicii gentilis philoſophi auctoritati Auguſtini Doctoris Eccleſiæ.

contr. Felic. cap. 19. pag. 343. tom. 8. Jam vero apud Beauſobrium longe majoris auctoritatis eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria Simplicius homo ſuperſtitione gentilis, ſchola Peripateticus, Chriſtianæ religionis hoſtis acerrimus, Scriptor ſæculi VI, quam Auguſtinus, catholicus epiſcopus, Eccleſiæ Doctor egregius, diuturnus olim Manichæus, mox invictiſſimus Manichæorum expugnator, præclariſſimuſque ſæculi V. Scriptor. Vides impudentiſſimam Calviniani hominis audaciam. Quamquam Simplicii verba, qualia Beauſobrius producit, non repudio, quæ ſunt hujuſmodi: *Malum cum ad boni confinia appropinquaret, Deus qui impedire voluit ne ultro progrederetur, ſuiipſius partes aliquas ei projecit, & ut Manichæi ſe explicant, aliqua membra ſua, ideſt, Animas. Deus hac occaſione ſe geſſit, ut Imperator exercitus, qui videns hoſtem contra ſe irruentem, nonnunquam partem unam ſui exercitus devovet, ut partem alteram ſalvam faciat.* At enim hæc Simplicii narratio non modo non prodeſt, ſed maxime obeſt Beauſobrio.

Simplicius a Beauſobrio pro ſe citatus eum mendacem manifeſte declarat.

Negat Beauſobrius in Manichæorum ſententia humanas animas partes eſſe Divinæ naturæ, a Deo traditas principio malo. At hoc illud eſt, quod hic præclariſſime Simplicius affirmat. Docet enim, auctoribus Manichæis, Deum tradidiſſe principio malo ſuipſius partes & membra, quæ animæ noſtræ ſunt. Μ'ερη ἑαυτȣ̃ καὶ μίλη τὰς ψαχὰς ȣ̃σος. Negat Beauſobrius Manichæos credidiſſe, Deum vel impotentia, vel metu, vel neceſſitate, vel tandem ut ſalvam faceret boni ſui partem, partem alteram dæmoni tradidiſſe. At omnino contraria de Manichæis narrat Simplicius. Illud enim Imperatoris exemplum a Manichæis uſurpatum præclariſſime mendacem impudentiſſimum Beauſobrium declarat. Etenim Imperator, qui irruentium contra ſe hoſtium impetum ſuſtinere non poteſt, non niſi impotentia, metu, ac neceſſitate coactus devovet hoſtibus exercitus ſui partem unam, ut partem alteram ſalvam faciat. Quare ſi, auctoribus Manichæis, eo modo ſe geſſit Deus, quo Imperator in exemplum adductus, profecto impotentia, metu, & neceſſitate coactus ea ratione ſe geſſit.

ſit. Verba autem Damaſceni, qualia Beauſobrius deſcribit, hæc ſunt ex Dialog. contr. Manichæos pag. 430. *Bonus Deus non tradidit malitiæ partem aliquam ſui boni, niſi ut eam domaret.* Jam vero germana & genuina verba Damaſceni produco, quæ ſunt hujuſmodi: Φοβηθεὶς ἵνα μὴ κατακυριεύσωσι τȣ͂ τόπȣ αὐτȣ͂, τȣ͂το ἐποίησεν, ἵνα διὰ τῆς μοίρας, ἧς παρέδωκε, κατακυριεύσῃ τῆς κακίας. Scilicet: *Metuens Deus, ne gens tenebrarum dominaretur ditioni ſuæ, fecit hoc, ut per partem quam tradidit, dominaretur malitiæ.* Itaque juxta Manichæam fabulam, qualem Damaſcenus refert Dialog. contr. Manich. pag. 430. tom. 1. edit. Lequien, Deus metu perculſus, ne tenebrarum principes regnum ſuum occuparent, partem ſui cum ipſis permiſcuit, ut per eam commiſtionem eorum malitiæ dominaretur, ne iterum poſſent bellum inſtaurare, atque in ſuum regnum rurſum irrumpere. Verba igitur Damaſceni mendacem & fraudolentum Beauſobrium declarant. Tandem hæc ſunt Manichæi verba, ex ejus epiſtola Fundamenti excerpta, & ab Auguſtino in diſput. cum Felic. Manich. lib. 1. cap. 19. pag. 343, & 344. tom. 8. recitata, atque a Beauſobrio pro ſe, cum ſint contra ſe, ſtultiſſime allata. *Lucis vero beatiſſimæ Pater, ſciens labem magnam ac vaſtitatem, quæ ex tenebris ſurgeret, adverſus ſua ſancta impendere ſæcula, niſi quod eximium ac præclarum ac virtute potens numen opponat, quo ſuperet ſimul ac deſtruat ſtirpem tenebrarum, qua extincta perpetua quies lucis incolis pararetur.* Quibus recitatis Auguſtinus ad Felicem converſus: *Dic*, inquit, *quid iſta gens tenebrarum, quam videtur Deus timuiſſe, ne magna labes & vaſtitas ex tenebris in regna ejus irrueret, nocere poterat Deo?* Ad hæc nihil Felix reſpondit, ſed aliò ſermonem tranſtulit. Cum autem eadem Auguſtinus urgeret, tum Felix: *Dilationem*, inquit, *peto, ut poſſim reſpondere.* Ex his autem Manichæi verbis, ineptiſſime a Beauſobrio citatis, eruitur, Deum timuiſſe impendentem regnis ſuis labem & vaſtitatem ob irruptionem gentis tenebrarum, & hoc timore perculſum miſiſſe, quod Manichæus modo numen, modo virtu-

Damaſcenus a Beauſobrio citatus mendacem eum eſſe demonſtrat.

Manichæi verba a Beauſobrio producta de mendacio eum redarguunt.

virtutem appellat, ideſt partem ſui, eamque cum tenebrarum gente permiſcuiſſe, ne gens illa iterum bella moveret, & in ſuum regnum irrumperet. Mendaciſſimum igitur ipſum ſe prodit Beauſobrius, ſuiſque ſe laqueis obſtringit, dum probare contendit teſtimoniis ſibi contrariis, Deum nec impotentia, nec metu, nec neceſſitate, nec tandem ut ſalvam faceret boni ſui partem, partem alteram tenebrarum genti in Manichæorum ſententia tradidiſſe.

Manichæus docuit Deum duplici de cauſa miſiſſe animam in materiam: prima, ut ſibi conſuleret; altera, ut materiam frænaret.

IV. Cauſa mittendi animam in materiam, pergit Beauſobrius loco ſupra commemorato, Manichæo auctore, Dei voluntas fuit, ut poneret ordinem ubi nullus ordo, ut materiam domaret, ut in ipſa mali cauſa malum deſtrueret. Hanc vero fuiſſe Manichæi ſententiam ipſa ejus verba declarant epiſtola ad Filiam ſuam Menoch apud Auguſtinum lib.3.Oper.Imperf.n.186. pag.832.tom.10., quæ ſunt hujuſmodi: *Prima anima, quæ a Deo luminnis manavit, accepit fabricam iſtam corporis, ut eam fræno regeret*. Idipſum Fortunatus affirmat apud Auguſtinum diſp.2. ſub num.33. pag.78. tom.8., cujus hæc verba ſunt: *In contraria natura eſſe animam diximus, ut contrariæ naturæ modum imponeret*. Similia Alexander Lycopolita, ſimilia Joannes Damaſcenus narrat. Hæc Beauſobrius. Ad hæc reſpondeo, duplex, Manichæo auctore, Dei fuiſſe conſilium, quo animam, partem naturæ ſuæ, materiæ tradidit, eique permiſcendam dimiſit. Prima atque potiſſima cauſa fuit, ut in ea materiæ, ſeu tenebrarum gentis in regnum ſuum irruptione, ſibi conſuleret, rebuſque ſuis provideret. Quod ſub numero 1. præclariſſimis, hiſque non paucis teſtimoniis, demonſtratum eſt. Altera cauſa fuit, ut tenebrarum gentem, ſeu materiam, ex qua gens illa tota conſtat, frœno regeret, ut ejus furorem compeſceret, ut aliquem ei modum imponeret. Quamquam hæc altera cauſa ad primam illam refertur, nimirum, ne gens tenebrarum, qualem materiam eſſe dicebant; ab omni ſoluta vinculo, ſuoque juri, ac poteſtati relicta, bellum iterum inſtauraret, iterumque in regnum lucis irrumperet.

V. Re-

V. Reprehendit Beausobrius Philosophos, & veteres Patres, maxime vero Augustinum in Hist. Dogmat. Manich. lib.6. cap.4. pag.334, 335, & 336. tom.2, quòd Manichæo ejusque discipulis exprobraverint, in eorum sententia de animarum immissione in materiam, earumque punitione, vel impotentiæ, vel imprudentiæ, vel malitiæ Deum accusari. Sed impudenter, temere, atque inique eos reprehendit. Jure enim meritoque Philosophi, veteres Patres, maxime vero Augustinus Manichæo, ejusque discipulis exprobrarunt, quod in perridicula illa, & maxime impia a Manichæo excogitata fabula vel impotentem, vel imprudentem, vel malitiosum fecerint Deum, qui, utilitatis suæ causa, utque sibi consuleret, cum impetum tenebrarum gentis sustinere non posset, sanctissimas, & innocentissimas animas, partes, & membra naturæ suæ, nullius prorsus sibi culpæ conscias, seducendas ac depravandas tradiderit tenebrarum genti, quin in earum potestate esset nec illecebris, nec sævitiis gentis hujusmodi obsistere: quarum plurimæ, propter crimina, quæ cavere non poterant, in tenebrarum globo perpetuo essent cruciandæ. Sed audiatur S. Doctor lib.20. contr. Faustum cap.17. pag.245. tom.8, qui sic Manichæos in eorum sententia alloquitur: *Quid enim mali apud illum commiseratis, ut in pœna ista nunc ad eum gematis, quem non propria voluntate peccando deseruistis, sed ab illo dati estis hostibus illius, ut pax regno ejus comparetur? Nec saltem sicut obsides dari solent, cum honore custodiendi: nec sicut pastor ad capiendam bestiam tendit insidias: pecus enim suum solet ponere in illa captoria tendicula, non membrum suum, & plerumque ita, ut ante bestia capiatur, quam pecus lædatur. Vos autem membra Dei dati estis hostibus, non valentes eorum a Deo vestro compescere feritatem, nisi eorum contaminati feditate, non habentes peccatum proprium, sed hostili veneno tabefacti*. Item lib.1. Oper. Imperf. sub num.120. pag.706. tom.10. *Manichæi*, inquit, *fingunt Deum crudeliter infirmum, qui partem suam, substantiam suam, membra naturæ suæ dilanianda & contaminanda hostibus tradidit, a quibus vastitatem sibi immi-*

Beausobrius inique & impudenter reprehendit veteres omnes fere scriptores hæresis Manichæorum.

Manichæi, teste Augustino, quem fingunt Deum, & infirmum, & injustum, & crudelem faciunt.

nere cernebat. Præterea lib.22.contr. Fauſtum cap.22. pag.266. tom.8. *Si ergo iſtis*, inquit, *membris Dei veſtri, velut animæ humanæ ac rationali, eſſet, ut dixi, peccandi vel non peccandi liberum arbitrium, recte fortaſſe pro gravibus criminibus illo globi ſupplicio plecterentur: nunc libertatem voluntatis illas particulas* (animas) *habuiſſe dicere non poteſtis, quam totus Deus ipſe non habuit: quia ſi eas non mitteret in peccatum, totus a tenebrarum gente pervaſus peccare cogeretur*. Tandem lib.13.contra Fauſtum cap.6. pag.182. tom.8. *Quid fecit*, inquit, *anima miſera ut in globo tenebrarum perpetuo vinculo puniatur, quæ non ſuo vitio, ſed alieno maculata, Deo ſuo deficiente, mundari non potuit, quo mittente polluta eſt*.

Beauſobrius inique in Auguſtino reprehendit doctrinæ infirmitatem & inconſtantiam.

VI. Ad hæc Beauſobrius loco ſupra commemorato reſpondet, mirari ſe non animadvertiſſe Auguſtinum nihil facilius eſſe, quam ut ejus omnes difficultates contra ejus ſyſtema retorqueantur. Mox malitioſe ſimulans ſe excuſare Auguſtinum, quamquam excuſatione, quæ omni accuſatione deterior eſt, Forſitan, inquit, eo tempore non in ea ſententia Auguſtinus erat, in qua poſtea fuit, quando certamen habuit cum Pelagianis. Certum tamen eſt, inquit, Auguſtinum in ſuis contra Pelagianos diſceptationibus quædam poſuiſſe principia, quæ cum ejus ſyſtemate non bene cohærent. Quodnam autem apud Beauſobrium eſt hoc Auguſtini ſyſtema contra Pelagianos, repugnans ejuſdem doctrinæ adverſus Manichæos? Non aliud profecto, Beauſobrio auctore, niſi peccatum originale ab Auguſtino contra Pelagianos affirmatum, in quod omnia Auguſtini tela contra fabulam Manichæam intorta, quammaxime poteſt, retorquere nititur Beauſobrius. At peccatum originale non Auguſtini ſyſtema eſt, ſed univerſæ Eccleſiæ, ipſiuſque Auguſtini certa doctrina. In hac Eccleſiæ doctrina de peccato originali, in qua Auguſtinus fuit, quando pugnavit cum Pelagianis, jam pridem fuerat, cum decertaret cum Manichæis. Nihil contra Manichæos Auguſtinus docuit, quod non cohæreret cum Eccleſiæ doctrina de peccato originali, quemadmodum

Originale peccatum conſtanter ab Auguſtino & contra Pelagianos & contra Manichæos affirmatum.

modum nihil contra Pelagianos affirmavit, quod Manichæis faveret, negantibus arbitrium liberum a necessitate peccandi. Si modo Pelagius, Cæleſtius, Julianus viverent, maximas haberent Beauſobrio gratias, quòd velis equiſque, ut ajunt, contra doctrinam Eccleſiæ de peccato originali pugnaverit. Sed jam videamus quid Cæleſtianis ſuis interrogatiunculis ad labefactandam Eccleſiæ doctrinam de peccato originali novus hic Pelagianus moliatur, quas ab eo conciſas conciſis reſponſionibus concido. *Nonne*, inquit, *Deus eſt, qui animas creat*? Profecto Deus. *Nonne illas innocentes creat*? Deo creante, innocentes, Adam peccante, non innocentes. *Nonne in hæc corpora immittit*? Non in hæc corpora immittit, ſed in his corporibus creat. *Quin ullum antea voluntarium peccatum commiſerint*? Quin ullum antea voluntarium peccatum commiſerint voluntate ſua; ſecus vero voluntae primi parentis, poſterarum voluntatum arbitra. *Nonne culpa fiunt obſtrictæ ſtatim atque corpori conjunguntur, quod propagatione trahunt ex Adam*? Statim atque corpori conjunguntur, non a corpore, ſed in corpore culpa fiunt obſtrictæ, non perſonali, ſed originali. *Nonne major animarum hujuſmodi numerus ſine ullo deinceps remedio æterna perit ruina*? Major profecto numerus, partim propter ſolum originale, ut pueri infantes decedentes ſine baptiſmo, partim propter ſolum perſonale, ut adulti baptizati, partim propter originale ſimul & perſonale, ut adulti infideles. *Num in earum electione poſitum eſt ex nihilo ſui vel prodire vel in eo remanere, humanumque corpus animare vel non animare*? Hæc omnia non in animarum electione, ſed in ſola libera Dei poteſtate poſita ſunt. *Suane defectione ſunt originali peccato contaminatæ*? Non ſua perſonali, ſed originali ſua defectione originali peccato contaminantur. *Partemne aliquam in defectione Adami habuerunt*? Non perſonalem, ſed originalem partem in Adami defectione habuerunt. *In earumne poteſtate erat defectionem illam vel prævenire, vel impedire*? Nequaquam in perſonali, ſed in originali earum poteſtate erat & prævenire, & impedire defectionem.

Peccatum originale contra Beauſobrium, novum Pelagianum demonſtratur.

nem illam. *Potueruntne a contagione sui se præservare?* Potuerunt quidem, verumtamen non personali, sed originali dumtaxat potestate, a contagione sui se præservare. Fregimus igitur atque compressimus restauratos a Beausobrio Pelagianos conatus contra Catholicæ Ecclesiæ de peccato originali doctrinam: quibus omnino extinguendis satis superque esse debet testimonium illud Apostoli ad Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Itaque hæc est Ecclesiæ, & Augustini doctrina de peccato originali: *Peccavit Adam, & omnes in eo animæ peccaverunt.* At in fabula Manichæa nec Manichæorum Deus peccavit, nec animæ, divinæ illius naturæ partes, peccaverunt. Ergo in Ecclesiæ doctrina de peccato originali, nulli divinæ perfectioni repugnat, quod in pœnam originalis peccati plectantur animæ, quæ peccaverunt in Adam. Contra vero in fabula Manichæa multis repugnat Dei perfectionibus, ut diris afficiantur suppliciis innocentes animæ, quæ nihil in Deo suo, cujus partes erant, peccaverunt.

VII. Multas Manichæorum responsiones congerit Beausobrius lib. 6. histor. Manich. cap. 4. pag. 338, & 339. tom. 2, quibus Augustini, aliorumque scriptorum veterum argumenta contra traditam a Manichæis immissionem animæ in materiam eludat, quas lectoribus, utrum satis idoneæ probabilesque fuerint, dijudicandas dimittit. Hac facultate nobis a Beausobrio concessa utor, & dico, Manichæorum responsiones illas ineptas esse, improbabiles, infucatas, inconstantes, fallaces. Responsio Manichæorum, Beausobrio teste, 1. Non quòd mali aliquid sibi timeret Deus animas tradidit principibus tenebrarum. Deus enim, in Manichæorum sententia, inviolabilis est: *Cum eis dicimus*, inquit Evodius lib. de Fide contra Manich. cap. 35. pag. 30. apud Aug. in append. ad tom. 8. *Quid factura erat Deo gens tenebrarum, si nollet cum illa pugnare? Dicunt, nihil fieri potuit Deo incorruptibili.* Ad hanc responsionem dico, Manichæos re vera docuisse, Deum tradidisse animas

Manichæi dicebant Deum sibi timentem, & consulentem tradidisse animas principibus tenebrarum.

mas principibus tenebrarum, quòd regni sui vastitatem ob eorum irruptionem timuerit: ex quo necessario consequebatur Deum violabilem esse. Id autem cum qualicumque pietate auditores ferre non possent, secum ipsi pugnando, negabant violabilem esse Deum. Omnium enim hæreticorum commune est secum pugnantia docere, quod malæ causæ insigne argumentum est. Hæc est Augustini objectio in exordio primæ disputationis suæ cnm Fortunato Manichæorum presbytero pag.67. num.1. tom.8. *Summum errorem puto omnipotentem Deum ex aliqua parte violabilem credere. Hoc vestram hæresim affirmare scio, non quidem verbis, quibus nunc usus sum: nam & vos interrogati confitemini Deum esse omnino inviolabilem, sed cum cæperitis cetera exponere, cogimini eum corruptibilem, penetrabilem, & coinquinabilem profiteri. Dicitis enim aliam nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum rebellasse: Deum autem omnipotentem cum videret quanta labes & vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid adversæ genti opponeret, & ei resisteret, misisse huc virtutem, de cujus commistione cum malo & tenebrarum gente mundus sit fabricatus. Hinc esse quod hic animæ bonæ laborant, serviunt, errant, corrumpuntur, ut necessarium haberent liberatorem, qui eas ab errore purgaret, & a commistione solveret, & a servitute liberaret.* Hæc est summa universi systematis, seu potius universæ fabulæ Manichææ. Qua recitata hoc de ea fert Augustinus judicium: *Hoc ego nefas puto credere, Deum omnipotentem aliquam adversam gentem timuisse, aut necessitatem esse passum, ut nos in ærumnis præcipitaret.* Quid ad hæc Fortunatus? His continuo verbis confirmat, quæ de Manichæorum sententia Augustinus narraverat. *Quia te medium fuisse nostrum scio, id est inter Manichæos administrasse, ista sunt principalia fidei nostræ.* Prima igitur, Beausobrio auctore, Manichæorum ad objectiones Augustini responsio, nec primum est, nec ultimum erit Beausobrii mendacium.

Manichæis verbis negabant, re ipsa affirmabant, Deum violabilem esse.

VIII. Responsio Manichæorum, Beausobrio teste, II. Deum non necessitate, sed voluntate misisse animam,

Fortu-

Fortunatus enim apud Aug. disp. 2. pag. 77, & 78. tom. 8. *Non necessitate*, inquit, *sed voluntate Deum misisse animam. Non necessitati facimus subditum esse Deum, sed voluntate misisse animam*. Item disp. 1. sub n. 8. Pag. 70. hæc habet; *Si voluntate Patris descendit Christus in passionem & mortem, & nos*. Rursus ibidem pag. 73. *Anima*, inquit, *missa ad voluntatem Dei consignandam*. Ad hæc dico, Fortunatum perspicuis expressisque verbis primùm affirmasse, Deum necessitate, nimirum vehementi timore perterritum ob irruptionem gentis tenebrarum, ut sibi rebusque suis consuleret, misisse animam in materiam, ideſt, partem naturæ suæ tenebrarum genti, cum ea permiscendam, tradidisse. Hæc enim perspicua verba Fortunati sunt disp. 2. pag. 77. *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est & voluntas liberandi eam*. Cui Augustinus: *Premitur ergo Deus necessitate?* Tum Fortunatus: *Jam hoc est*, inquit, *Noli ad invidiam excitare id quod dictum est, quòd non necessitati facimus subditum esse Deum, sed voluntate misisse animam*. Ad hæc Augustinus ad Scribam conversus: *Recita*, inquit, *quod supra dictum est*. *Et recitatum est*: *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est & voluntas liberandi eam*. Quibus recitatis: *Audivimus*, inquit S. Doctor, *Si autem necessitas fuit mittendi animam, merito est & voluntas liberandi eam. Tu ergo dixisti, fuisse necessitatem mittendi animam. Sed si modo voluntatem vis dicere, & hoc addo: Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miserias*. Dixit quidem Fortunatus & Christum, & animas nostras missas esse voluntate Patris; sed in Manichæorum fabula missus est Christus voluntate Patris, ut nos liberaret a captivitate gentis tenebrarum, in quam, ut sibi consuleret, nos ipse conjecit. Animæ vero nostræ missæ sunt voluntate Patris, ut se liberaret ab irruptione gentis tenebrarum. Dixit præterea, Animam missam ad Dei voluntatem consignandam, id est, ad exequendam Dei voluntatem frœnando furorem gentis tenebrarum, ne posset iterum bellum movere, iterumque in suum regnum irrumpere.

Fortunatus primo affirmat, secundo negat Deũ necessitate, non voluntate misisse animam.

IX. Re-

IX. Reſponſio Manichæorum, Beauſobrio teſte, III. Ad creaturam non pertinet cauſas & rationes conſiliorum ejus a Creatore ſuo intelligere, quod vetat Apoſtolus: *Quæritur a nobis*, inquit Fortunatus apud Aug. diſp. 2. num. 26. pag. 77. tom. 8. *Quare huc anima miſſa fuerit. Quod in eo manifeſtum ſit, quod ait Apaſtolus* (Rom. 9. 21.) *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, cur me ita formaveris?* At hæc Fortunati reſponſio ineptiſſima eſt, nullumque in impietatibus illis locum habere poteſt, in quibus Deo tribuuntur actiones, quæ ejus ſapientiæ, bonitati, potentiæ, atque iuſtitiæ omnino repugnant. Talis eſt in Manichæorum fabula Dei actio illa, qua ut ſibi conſuleret, innocentes animas partes naturæ ſuæ genti tenebrarum tradidit, ab ea ſeducendas, & depravandas. Figmentum autem illud, de quo Paulus Apoſtolus, innocens nequaquam eſt, utpote ex ea argilla, quæ originali peccato vitiata eſt; multoque minus pars eſt divinæ naturæ.

Manichæorum fabula utpote repugnans attributis Dei, ſuſtineri non poteſt inſcrutabilibus judiciis Dei.

X. Reſponſio Manichæorum, Beauſobrio teſte, IV. Catholicorum ſyſtema eiſdem ſubiacet difficultatibus, quibus ſyſtema Manichæorum. Etenim ſyſtema catholicum, vel ignarum, vel crudelem arguit Deum, ſi talem arguit Manichæorum ſyſtema. Quod Fortunatus his verbis exprobrat Auguſtino diſp. 2. num. 28. pag. 78. tom. 8. *Nos dicere aſſeveras crudelem eſſe Deum, mittendo animam: feciſſe vero Deum hominem, & inſufflaſſe in eum animam, quam utique præſcivit in futuram miſeriam involvi, & beneficio* (ideſt cauſa) *malorum non poſſe hereditati repræſentari. Hoc aut ignorantis eſt, aut dantis animam, ad hæc mala, quæ ſupra memorata ſunt.* Ad hæc dico, in primæ animæ creatione, ut Eccleſia Catholica docet, nullum omnino crudelitatis veſtigium, quinimmo præclariſſimam ſuavitatis, caritatiſque divinæ imaginem apparere. Etenim creavit Deus animam primam in corpore perfecto, nulla penitus labe vitiato, ac ſine ulla reſiſtentia prorſus ſubiecto prædominantis animæ imperio, quo ſumma facilitate, & jucunditate poterat primus homo beneficio originalis juſtitiæ ab omni prorſus peccato ca-

De Anima Catholicorum ſyſtema ſanctiſſimum, Manichæorum turpiſſimum.

cavere, ſuaviſſimaque, atque perpetua felicitate, ſine ullo labore ac dolore, ſine ullo angore & ſolicitudine, ſine ullo mortis metu gaudere. Contra vero in Manichæorum ſyſtemate, Deus, ut ſibi conſulat, tradit innocentiſſimam animam, partem naturæ ſuæ æternæ naturæ malæ, quam ab ea prævidet neceſſario ſeducendam & depravandam, & ſic vitiatam & depravatam, quin in ejus poteſtate fuerit vel liberari, vel expiari, æterno tenebrarum globo excruciandam affigit. Prævidit quidem Deus primam animam peccaturam, & in ſumma deinceps miſeria futuram, ſed omnino libere ſine ulla non modo neceſſitate, ſed etiam ſine ulla proclivitate & propenſione ad peccandum, eam peccaturam, & in peccati pœnam juſtiſſimam in magna miſeria deinceps futuram prævidit. Contra vero in Manichæorum ſyſtemate prævidit Deus animam, partem naturæ ſuæ, quam, ut ſibi conſuleret, in poteſtatem tradidit principum tenebrarum neceſſario non libere peccaturam, & ſine ullo peccati merito, utpote neceſſarii, in magna miſeria futuram; quod a ſumma Manichæorum Dei crudelitate, & immanitate vindicari non poteſt. Maxima igitur impudentia Beauſobrius mentitur, doctrinamque Eccleſiæ catholicæ temere infamat, affirmando ſyſtema catholicum eiſdem ſubiacere difficultatibus. quibus ſubiacet ſyſtema Manichæorum.

XI. Reſponſio Manichæorum, Beauſobrio teſte, V. Carnem ſolam non eſſe liberam, quoniam natura ſua mala eſt: at vero anima, quæ ſua natura eſt bona, poteſtatem habet reſiſtendi malo, quod ſi non fiat, *Ideo dignas illas animas fieri tali ſupplicio, quod errare ſe a priore lucida ſua natura paſſæ ſunt, & inimicæ lumini ſancto extiterunt*, ut eſt apud Aug. lib. 21. contr. Fauſt. cap. 16. pag. 257, & 258. tom. 8. Ad hæc dico, carnem quidem non eſſe liberam, non quòd natura ſua mala eſt, in quo Manichæi delirabant; ſed cum expers rationis ſit, libertatis etiam expertem eſſe neceſſe eſt. At neque anima in Manichæorum hæreſi libera eſt, nec poteſtatem habet, poſt ſui conjunctionem cum contraria natura mala, reſiſtendi malo, *Hoc nos dicimus*, in-

Anima juxta Manichæos poſt conjunctionem ſui cum materia libera non eſt, nec poteſtatem habet reſiſtendi malo.

inquit Fortunatus Manichæorum presbyter apud Aug. disp.2. pag.75. tom.8, *quod a contraria natura anima cogitur delinquere*. Utrum vero animæ illæ, cum partes essent divinæ naturæ conjunctæ, invitæne, an vero Deum suum servare volentes, errare se passæ sint a priore lucida sua natura, & inimicæ lumini sancto extiterint, ex Manichæi verbis erui non potest; verumtamen, si invitas eas Deus tenebris tradidit, injustus fuit Deus ut eas cogeret, inquit eo loco Augustinus, si autem volentes ab irruentibus tenebris Deum liberare, ingratus est, ut damnet. Sed audiatur integer S. Doctoris locus: *Dicit*, inquit, *Manichæus in epistola Fundamenti*, Ideo dignas illas animas fieri tali supplicio, quòd errare se a priore lucida sua natura passæ sunt, & inimicę lumini sancto extiterunt, *Cum eas in illum errorem, quo ita tenebrarentur, ut inimica lux luci fieret, ipse miserit: si invitas, injustus, ut cogeret; si volentes, ingratus, ut damnet*. Mendacium igitur Beausobrii est, Manichæos libertalem animæ, ejusque potestatem resistendi malo, in statu conjunctionis ejus cum tenebris, non negasse.

XII. Responsio Manichæorum, Beausobrio teste, VI. In Manichæi systemate de immissione animæ in materiam, naturamque malam, vindicari Deum ab omni crudelitate; quandoquidem Manichæus apud Acta Archelai eadem ad has vindicias usus similitudine est, quam Augustinus ipse ad eundem finem adhibuit. Mirari satis non possum Beausobrii impudentem audaciam, & effrænatam temeritatem. Is Acta Archelai cum Manichæo, quamquam a Cyrillo Jerosolymitano, ab Epiphanio, a Hieronymo, ab Heracliano Calcedonensi, ab Isocrate, a Petro Siculo, a Photio, a Lambecio, a Valesio, a Zacagnio vindicata & probata, attamen in Pręfat. ad Histor. Manich. pag.6. item lib.1. cap.53.num.3. pag.112. tom:1. ea rejicit, repudiat, explodit, exsibilat tanquam puram & meram fabulam a Græco scriptore editam, sexaginta fere annis post Manichæi mortem, eo consilio, ut Manichæum confutaret, & tanquam in Manichæo oppresso, triumphum orthodoxæ fidei de Manichæismo adscriberet.

Beausobrii improbitas modo repudiantis, modo recipientis eadem Acta Archelai.

Hoc autem loco, mutato consilio, & incredibili temeritate, Manichæi testimonium ex Archelai actis excerptum in rem suam producit. Hanc sibi licentiam peritissimus criticæ artis magister, & ab omni studio partium alienus, qualem assidue se venditat, Beausobrius attribuit, qua testes eosdem, ubi commodos sibi arbitratur, probat; ubi autem incommodos, improbat. Jam vero Manichæi verba a Beausobrio deprompta ex Archelai actis pag. 41. edit. Zacagn. talia sunt: *Dæmon similis est Leoni, qui se in Pastoris gregem insinuat. Quod cum cognoverit Pastor altam effodit foveam, hædum apprehendit, quem dimittit in foveam. Leo, qui hædo potiri vult, eumque vorare se in foveam præcipitat, ex qua evadere nequit. Tunc Pastor vinculis Leonem constringit, & modum invenit liberandi hædum, qui simul est cum Leone.* At hæc similitudo, a Manichæo inducta ad vindicandum Deum suum ab immanissima crudelitate, quammaxime discrepat ab ejus sententia, in qua Deus non agnos suos, sed animas partes naturæ suæ, non ut eis provideret, sed ut sibi consuleret, devorandas tradidit, tanquam leonibus principibus tenebrarum. Quod eandem persequens similitudinem Archelaus, in ea celebri disceptatione Manichæo objecit, & exprobravit his verbis pag. 42. *Ridiculum jam autem illud est si agnum, quem retinebat in finibus, Pastor extimescens Leonis ingressum, proiecit eum devorandum & dicitur, quia in futurum salvabit eum. Quomodo non totum hoc ridiculo plenum est? Nam & in hoc etiam judicium adimitur, Deus enim satanæ animam tradidit in perditionem ab eo assumendam. Quando enim Pastor hoc fecit? Nonne David de ore Leonis vel Ursi eruit eum? Hoc dicimus propter quod ait, De ore Leonis, aut de ventre ejus potest educere, quod jam ille devoravit.* Contra vero similitudo ab Augustino inducta & a Beausobrio callide detruncata, tota est ad demonstrandum Manichæorum Deum crudelem, qui contraria prorsus ratione se gessit cum membris suis ab ea, qua bonus Pastor utitur pro agnis suis. Ecce integra S. Doctoris verba lib. 21. contr-Faust. cap. 17. pag. 245, tom. 8. quibus

Manichæi fraus ad vindicandum Deum suum ab omni crudelitate.

In Manichæorum fabula vindicari non potest Deus ab injustitia, & crudelitate.

bus sic Manichæos alloquitur: *Ab illo dati estis hostibus ipsius, ut pax regno ejus compararetur. Nec saltem sicut obsides dari solent cum honore custodiendi: nec sicut Pastor ad capiendam bestiam tendit insidias. Pecus enim suum solet ponere in illa captoria tendicula, non membrum suum; & plerumque ita, ut ante bestia capiatur, quam pecus lædatur. Vos autem membra Dei dati estis hostibus non valentes eorum a Deo vestro compescere feritatem, nisi eorum contaminati fæditate, non habentes peccatum proprium, sed hostili veneno tabefacti.* Vides igitur malam Calviniani hominis fidem, fraudes, mendacia.

XIII. Responsio Manichæorum, Beausobrio teste, VII. Animarum jactura, Manichæo auctore, quæ materiæ illecebris consenserunt, non est futura æterna; quoniam post probationes diversas omnes animæ in regnum luminis sunt recipiendæ: *Salvabitur omne genus animarum, & restituetur, quod perierat proprio gregi*, inquit Manichæus apud Acta disceptationis cum Archelao pag. 40, & 41. Itaque ab omni crudelitatis specie vindicatur Deus in Manichæi systemate de immissione animarum in materiam. Mentitur etiam hic more suo Beausobrius, affirmando Manichæos æternam animarum jacturam, atque supplicia non docuisse. Docebant enim non omnes, sed plerasque animas a tenebris separandas, atque in regnum lucis, a quo præcisæ fuerunt, revocandas esse. Reliquas vero animas, quæ a tenebris separari non potuerunt, æterno tenebrarum globo instar integumenti atque corticis adhærescentes, in perpetuis futuras esse cruciatibus. Hæc Augustinus, hæc Theodoretus, aliique plures testes locupletissimi narrant. Augustino contenti erimus uno. Is lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. pag. 13. in fine. tom. 8. hæc testatur de Manichæorum deliriis: *Substantiam istam mali, finito isto sæculo, post conflagrationem mundi in globo quodam tamquam in carcere sempiterno esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper, & adhæsurum quasi coopertorium, atque tectorium ex animabus natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari.* Tale deli-

Manichæi docuerunt æternam animarum jacturam, atque æterna supplicia.

delirium exprobrans Manichæis S. Doctor lib.13. contra Faustum cap.6. pag.182. tom.8. *Quid fecit*, inquit, *anima misera, ut in globo teuebrarum perpetuo vinculo puniatur, quæ non suo vitio, sed alieno maculata, Deo suo deficientc, mundari non potuit, quo mittente polluta est? Hæsitantibus vobis, & quid respondeatis non invenientibus, conspuuntur tam multi, & tam grandes, & pretiosi codices vestri*. Et rursum ibidem pag.188. *Projicite*, inquit, *libros Manichæi, quibus testibus credidistis lucem pugnasse cum tenebris, quæ lux ipse Deus erat, & ut posset ligare lux tenebras, prius esse lucem a tenebris devoratam, & ligatam, & inquinatam, & dilaniatam, quam vos manducando recreatis, & solvitis, & purgatis, & sanatis, ut vobis merces retribuatur, ne, cum illa quæ liberari non potuerit, in globo æterno damnemini*. Manichæus igitur, apud Archelaum loco supra citato, non docuit, omnes omnino, sed plures dumtaxat animas ex omni animatorum corporum genere salvandas esse, nimirum exceptis illis, quæ cum purgari & separari a tenebrarum gente nequiverint, instar innati corticis, perpetuo adhærebunt tenebrarum globo, ne tenebræ regnum lucis amplius invadere valeant.

XIV. Talem fuisse Manichæi, Manichæorumque doctrinam, qualis se manifestat in eorum supra productis responsionibus, Beausobrius loco supra commemorato, contendit: idque confirmat Fortunati verbis apud Augustinum disp.2. num.33. pag,78. tom.8. quæ sunt hujusmodi: *Nihil nocere Deo jam diximus, & in contraria natura esse animam diximus, ideo ut contrariæ naturæ modum imponeret: modo imposito contrariæ naturæ, sumit eamdem Deus. Ipse autem dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem sumendi eam. Hanc Pater mihi dedit potestatem ponendi animam meam, & sumendi eam. Deus ergo, qui loquebatur in Filio. de qua anima diceret? Constat esse animam nostram, quæ in his corporibus habetur, quod de ejus voluntate venerit, & de voluntate ipsius iterum assumatur*. At hæc Fortunati verba non vindicant Manichæorum Deum ab horribili crudelitate, quæ ab infinita Dei bonitate prorsus abhor-

Fortunatus ad objectam sibi Dei crudelitatem in Manichæi sententia, se superatum fatetur, & Hippone profugit.

abhorret. Quod cum Augustinus vehementissime contra Fortunatnm urgeret, is ad extremum, ne verbum quidem, quod faceret ad objectam sibi horribilem impietatem, se habere his verbis confessus est: *Quid ergo dicturus sum?* Cui continuo Augustinus; *Et ego*, inquit, *novi non te habere quid dicas: & me cum vos audirem in hac quæstione nunquam invenisse quod dicerem, & inde fuisse admonitum divinitus, ut, illum errorem relinquerem, & ad fidem catholicam me converterem, vel potius revocarem, ipsius indulgentia, qui me huic fallaciæ semper inhærere non sivit. Sed si confiteris te, non habere, quod respondeas, omnibus audientibus, & recognoscentibus, quoniam fideles sunt, catholicam fidem, si permittunt & volunt, exponam.* Ad hæc Fortunatus se consultum iturum dixit sectæ suæ primarios Doctores, quibus ad quæsita non respondentibus, se rediturum, doctrinamque catholicam auditurum promisit. Sed datam fidem fefellit. Hippone profugit, nec se deinceps Hipponem recepit. Atque hic Fortunatus is est egregius, Beausobrio auctore, Manichæismi defensor, quem Calvinianus homo summis laudibus in cœlum effert. Ut autem præclarissime appareat in commemorata Manichæa fabula, qua dicitur Deus, cui nihil nocere potest, tradidisse animas partes naturæ suæ principibus tenebrarum contra se pugnantibus, non vindicari Deum ab immani crudelitate, fingamus, quando Apoc. 1.27.8. *Factum est prælium magnum in cælo*; cumque *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo*; fingamus, inquam, Deum, cui nihil nocere potest, tradidisse bonos Angelos malis angelis, cum eis permiscendos, eorumque contagione vitiandos, & excruciandos, partim perpetuo, partim diuturno temporis spatio; idque ad eum finem, ut modum imponeret malis angelis, quis non videat in hoc exemplo crudelem exhiberi Deum? Atqui talis crudelitas in commentitia Manichæorum fabula se manifestat, eoque major, quod in ea, non Angelos suos, sed animas partes naturæ suæ dicitur Deus

In Manichæorum fabula vindicari non posse Deum ab horribili crudelitate, aptissima similitudine demonstratur.

Deus tenebrarum principibus tradidiſſe. Et hanc adeo tetram & exſecrabilem fabulam, jampridem exploſam, exſibilatamque, audet iterum Beauſobrius in ſcenam producere, eamque tot conquiſitis mendaciorum pigmentis infucare!

DISSERTATIO V.

De Beauſobrii mendaciis, quæ ad naturam animæ pertinent, qualem Manichæi docuerunt.

Animas hominum particulas eſſe divinæ naturæ Manichæi cum antiquis Pythagoricis docuerunt.

I. HUmanas animas partes eſſe divinæ naturæ, ex eaque excerptas atque præciſas, humanis corporibus permiſtas eſſe capitaliſſimus error Manichæi, ejuſque diſcipulorum fuit, qui jampridem ex longe antiquiori fonte, nimirum ex Pythagora, Pythagoriciſque philoſophis defluxerat. Cato apud Tullium lib. de ſenect. p. m. 369. *Audiebam*, inquit, *Pythagoram, Pythagoricoſque, incolas pene noſtros, qui eſſent Italici phyloſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina delibatos animos haberemus.* De Manichæorum ſententria, præter ſcriptores ceteros, teſtis locupletiſſimus eſt Auguſtinus. Is lib, 2. de morib. Manich. cap. 11. num. 21. pag. 540, tom 1. hæc Manichæos alloquens habet: *Animam Deum eſſe dicitis, vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non ſit, quæ pars Dei dicitur.* Item lib. de vera relig. cap. 9. num. 16. pag. 562. tom. 1. hæc de Manichæis teſtatur. *Duas animas eſſe in uno corpore exiſtimant. Unam de Deo, quæ naturaliter hoc ſit quod ipſe, alteram de gente tenebrarum.* Rurſum lib. de duab. animab. cont. Manich. cap. 12. num. 16. pag. 63. tom. 8. hæc narrat de Manichæis: *Duo animarum genera eſſe dicunt, unum bonum, quod ita ex Deo ſit, ut non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo factum eſt, ſed de ipſa ejus omnino ſubſtantia pars quædam proceſſiſſe dicatur; alterum autem malum, quod nulla prorſus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendumque commendant: & ideo illud ſummum bonum, hoc vero ſummum malum eſſe prædicant: atque iſta duo gene-*

nera

nera fuisse aliquando discreta, nunc esse commista. Postremo aliis plurimis prætermissis lib.1. retract.cap.15. pag.17. tom.1. hæc in extrema sua senectute S. Doctor posteritati mandavit: *Scripsi adhuc presbyter contra Manichæos de duabus animabus, quarum unam dicunt partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus: & quæ sit Deo coæterna, & has ambas animas, unam bonam, alteram malam in uno homine esse delirant; istam scilicet malam propriam esse carnis dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum, illam vero bonam ex adventitia parte Dei, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque utramque miscuerit: & omnia quidem bona hominis, illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt*. Tot testimoniis, tam perspicuis, tam exploratis, tam certis sancti Augustini Beausobrius Manichæorum patronus more suo repugnat, atque contendit, nunquam & nuspiam Manichæos docuisse humanas animas partes esse divinæ naturæ, ut videre est lib.6. Histor. Dogmat. Manich. cap.5. a pag.339. usque ad pag.356. tom.2. At incredibile prorsus est Augustinum perpetua firmitate & constantia, assidue, publice, & palam Manichæis exprobrasse sententiam ab eorum doctriua, ut Beausobrius inquit, prorsus alienam; eamque maxime impiam, & exsecrandam: eoque magis, quòd de falsitate, mendacio, & calumnia ab adversariis suis Manichæis redargui facillime poterat. Jam vero ad trutinam Beausobrii argumenta revocemus: quo facto, nullius ea neque ponderis, neque momenti esse facile intelligemus, utpote quæ calumniis undique, atque mendaciis redundant.

II. Et primo quidem provocat Beausobrius ad Acta Archelai, in quibus Tyrbo Manichæi discipulus testatur, humanas animas non esse nisi particulas quinque cœlestium elementorum, quibus Mater vitæ, Manichæo auctore, armavit, & induit primum hominem, quibus armis & vestimentis, ut Augustinus narrat, tenebrarum principes cum primo homine confligentes potiti sunt, eaque devoraverunt. Iterum Beausobrius incredibili plane impudentia objicit Acta Archelai, quæ to-

ties tanquam fabulam fictam, & commentitiam explo-serat: quodque incredibilius est Tyrbonis auctoritatem producit, qui proxime præcedentibus verbis clara voce testatur, Docere magistrum suum Manetem humanas animas partes esse divinæ naturæ. Percunctantibus enim Archelao & Marcello de Manetis sententia hæc Tyrbo respondet Act. Archel. pag.9. num.7, edit. Zacagn. *Si fidem Manetis discere a me vultis breviter audite. Hic duos colit Deos innatos, ex semetipsis extantes, æternos, unum uni adversantem, & alterum quidem bonum, alterum autem malum introducit. Lux uni nomen imponit, & alteri tenebras. Et lucis quidem partem esse animam, quæ in hominibus est; tenebrarum autem, corpus.* Itaque Tyrbone teste, auctore autem Manete, humana anima pars lucis est; lux vero Deus est. Ergo Tyrbone teste, auctore vero Manete, anima humana pars est divinæ naturæ. Deinde pergit narrare Tyrbo Manichæi fabulam de pugna tenebrarum cum luce, de commistione lucis cum tenebris, de homine illo primo, de Matre vitæ, de quinque cœlestibus elementis, quibus Mater vitæ primum hominem pugnaturum cum tenebris armavit. At homo ille primus, Mater illa vitæ, quinque illa cœlestia elementa, arma, & vestimenta illa hominis primi, aliud quidpiam apud Manichæos non erant, nisi divinæ partes naturæ, Testis est ipse Faustus Manichæorum episcopus, quem Augustinus producit lib.11. cap.3. pag.158. tom.8. de quo hæc S. Doctor refert; *Ille autem* (idest Faustus) *annuntiat nescio quem primum hominem, nec de terra terrenum, nec factum in animam viventem, sed de substantia Dei, idipsum existentem, quod Deus est, membra sua, vel vestimenta sua, sed arma sua, idest quinque elementa, cum & ipsa nihil aliud essent, quam substantia Dei, in tenebrarum gente mersisse, ut inquinata caperentur.* Ex hoc Augustini loco, qui totus ipsi contrarius est, consueta sibi fraude & inveterata nequitia, non citat Beausobrius nisi paucula verba illa: *Vestimenta ejus, arma ejus*, quæ nec ipsi etsi detruncata prosunt, adversantibus sibi ceteris prætermissis.

Animam partem esse divinæ naturæ Tyrbone teste, Manichæus docuit.

III. A

III, A Tyrbone, a quo de mendacio arguitur, ad Fortunatum se Beausobrius transfert. Dicit Fortunatum disp. 1. pag. 69. affirmare : *Omnem emanationem divinam incorruptibilem esse*. Atqui animæ humanæ vitiis corrumpuntur, & in deterius commutantur. Ergo, Fortunato auctore, emanationes divinæ non sunt, atque idcirco auctore eodem partes non sunt divinæ naturæ. Respondeo, hæc sunt Fortunati verba loco a Beausobrio citato; *Quod nihil ex sese corruptibile Deus proferat, nec tenebras, nec dæmones, nec satanam, nec aliquid adversum in regno ejus reperiri possit*. Fortunatus igitur hîc affirmat, Malam non esse naturam ullam, nec ullo corruptam, & depravatam vitio, qualem ex sese Deus profert, atque idcirco malam non esse naturam animæ, nec ullo corruptam, & depravatam vitio ex Deo prodivisse : malam autem esse dæmonum, satanæ, & tenebrarum naturam, quæ idcirco in regno Dei esse non potest. Hæc autem optime conciliantur cum eo, quod animæ humanæ, auctoribus Manichæis, partes sint divinæ naturæ. Hanc esse Fortunati sententiam ex ejus verbis colligitur disp. 2. pag. 74. quibus planius sic explicat mentem suam: *Quæ ab ipso diximus facta esse* UT *opifice Deo*, UTI *ab ipso creata & genita incorruptibilia haberi*. Docet igitur Fortunatus, animas in quantum ex opifice Deo sunt, in quantum ex Deo ortæ & genitæ, in quantum partes sunt divinæ naturæ cohærentes, incorruptibiles & inviolabiles esse: in quantum vero a Deì natura præcisæ, & commistæ cum tenebris, a quibus peccare coguntur, violari, & corrumpi: *Inviti peccamus*, inquit eodem loco, *& cogimur a contraria, & inimica nobis substantia*. Et rursum pag. 75. *Hoc nos dicimus*, inquit, *quod a contraria natura anima cogitur delinquere*. Disputationem secundam his exorditur Fortunatus verbis: *Dico quod nihil mali ex se proferat Deus omnipotens, & quòd quæ sua sunt incorrupta maneant, uno ex fonte inviolabili orta & genita*. His autem verbis nihil aliud Fortunatus significat, nisi nullum malum a Deo produci, nec ullam ab eo fieri naturam malam. Ad hæc continuo Augustinus:

Animas, in quantum a Deo manant, cujus partes sunt, incorruptibiles vitiis esse; in quantum commistæ cum tenebris ab his necessario corrumpi, & violari Fortunatus docuit.

ſtinus: *Et noſtra*, inquit, *fides hæc eſt, quod malorum genitor non ſit Deus, neque ullam naturam fecerit malam*. Quoniam vero Fortunatus cum ceteris Manichæis ſentiebat animas divinæ naturæ partes, commiſtione cum materia, & cum tenebris, vitiis violari atque corrumpi, continuo Auguſtinus contrarias Manichæorum, & Catholicorum ſententias his verbis dijudicandas proponit: *Prudentium eſt æſtimare & fidelium, quæ ſit fides purior, & majeſtate Dei dignior. Illa* (Manichæorum) *ubi aſſeritur vel virtus Dei, vel pars aliqua Dei, vel ſermo Dei poſſe commutari, violari, corrumpi, ligari; an ea,* (Catholicorum) *ubi dicitur, & omnipotentem Deum, & omnem ipſius naturam, & ſubſtantiam nulla parte umquam poſſe corrumpi*. Ad hæc Fortunatus ne verbum quidem fecit, quo a Manichæorum doctrina ſententiam de humanis animis naturæ divinæ partibus propulſaret.

Beauſobrii ſententia mendax de Felice Manichæorum Electo.

IV. Reprehendit Beauſobrius Felicem, quocum Auguſtinus publice diſceptavit, cujus inſcientiæ, temeritati, & habitæ ex tempore diſputationi attribuit, quod apud Auguſtinum lib. 1. de Act. cum Fel. Manich. cap. 18. pag. 343. tom. 8. dixerit, & animas, & elementa cœleſtia, & regnum lucis ejuſdem eſſe cum Deo ſubſtantiæ, quod nullus Manichæorum probabit. At falſo injuria, temere, conquiſitiſque undique mendaciis hæc dicentem Felicem Beauſobrius reprehendit. Felix enim Auguſtino teſte lib. 2. Retract. cap. 8. tom. 1. *Unus erat ex Manichæorum doctoribus, quamvis ineruditus liberalibus diſciplinis, ſed tamen verſutior Fortunato*. Teſte vero Poſſidio in Auguſtini vita cap. 16. *Ex numero eorum erat, quos Electos dicunt Manichæi, qui Hipponem venerat eundem ſeminaturus errorem*. Felix igitur, utpote Manichæorum Electus, & Doctor, non prorſus illiteratus & rudis, ſed ſatis eruditus erat in Manichæorum doctrina. Quod autem ſubito, & de improviſo Felix diſputaverit cum Auguſtino, alterum eſt Beauſobrii mendacium. Etenim meditatus antea & bene præparatus, armatuſque Manichæi, & Manichæorum libris, maxime vero epiſtola Fundamenti, Felix ad

Felix in Manichæorum doctrina ſatis eruditus.

Felix meditatus, & præparatus cum Auguſtino diſceptavit.

ad certamen cum Augustino descendit. Audiatur S. Doctor lib. 1. de Act. cum Felic. Manich. cap. 1. pag. 334. tom. 8. his verbis Felicem alloquens. *Hesterno die scis te dixisse, quod possis defendere scripturas Manichæi, & asserere, quòd veritatem habeant*. Et rursum ibidem cap. 12. pag. 340. *Cum hesterno die libellum Curatori dederis, & publice clamitaveris cum codicibus tuis te paratum esse incendi, si aliquid mali in ipsis fuerit inventum*. Profecto qui tanta præfidentia & audacia ad certamen suos adversarios vocat, qui ad conflictum descendit armatus Manichæis codicibus, maxime vero celeberrima Manichæi epistola Fundamenti, qua in eo congressu pugnatum est, is nec tyro nec rudis in Manichæa palæstra, nec imparatus, nec de repente manus cum Augustino conseruit. At incredibile videtur docuisse Manichæos & humanas animas, & elementa cœlestia, & regnum lucis Deum esse. Quid tum? Longe incredibilius est docuisse Spinosam, *Omnia Deum esse*. Et tamen docuit. Nec defuerunt, & fortasse non desunt, qui tale delirium profiteantur. Num idcirco incredibilis hæc absurditas, & longe major, quam absurditas Manichæorum, abalienanda est a Spinosa? Quis est enim, quem lateat, veteres præsertim hæreticos incredibiles omnino fabulas, maximeque exsecrabiles docuisse?

Spinosæ doctrina multo incredibilior doctrina Manichæorum.

V. Pergit Beausobrius mendaciis, & calumniis insectari Augustinum cum Patribus ceteris, quibus non facilem adhibendam fidem contendit in omnibus, quæ de hæreticis, eorumque doctrina narrant. Augustinus lib. 2. de Act. cum Felic. Manich. cap. 1. pag. 345. tom. 8. testatur Manichæos docuisse: *Deum miscuisse naturæ dæmonum polluendam, & ligandam partem suam, quæ hoc est, quod ipse*. Hanc autem sententiam, tanquam Augustini mendacium & calumniam, Beausobrius a clientibus suis Manichæis propulsat. At vero non Augustinus, quod non modo dictu, sed etiam cogitatu maxime est nefarium, sed impudentissimus mendax, & calumniator maxime temerarius hoc ipso loco Beausobrius est. In ea publica celeberrimaque disce-

Beausobrius temere de mendacio, & mala fide Augustinum, & ceteros Patres accusat.

Manichæus docuit, Deum miscuisse naturæ demonum polluendam partem naturæ suæ.

ptatione, quam Augustinus habuit cum Felice Manichæorum Electo, adstante populo, publicisque scribis disceptantium verba in publicas tabulas referentibus, Honorio Augusto sextum Consule, prid. Id. Decembr. idest, anno Christi 404. die duodecima Decembris, exhibita a Felice est famosa illa Manichæi epistola, quæ ob Manichææ doctrinæ firmitatem, epistola Fundamenti a Manichæis est appellata. Hanc legendam in eo publico & frequenti conventu his verbis Felix proposuit: *Ista epistola Fundamenti est. Ipsa legatur.* Tum Augustinus initio hujus epistolæ lecto: *Quoniam*, inquit, *fateris hanc esse epistolam, ubi doctrinæ vestræ initium, medium, & finis continetur, hoc initium quam sit sacrilegum, ubi Deum dicitis pugnasse contra gentem tenebrarum, & miscuisse naturæ dæmonum polluendam & ligandam partem suam; quæ hoc est quod ipse, tam sacrilegum est, ut ferri vix ab audientibus possit, hoc objicitur primo sectæ vestræ; sive initium hoc voces, sive medium, sive finem non valde id curo; hoc tamen de hac epistola, quam fateris esse Manichæi lectum esse non negas: hoc vobis objicitur, hoc defende si potes, ut ad alia veniamus.* Constat igitur: *Deum miscuisse naturæ dæmonum polluendam & ligandam partem suam, quæ hoc est, quod ipse*, non Augustini calumniam, sed Manichæi sententiam, in ejus epistola Fundamenti contentam, atque ex eadem epistola patefactam, & Felici ab Augustino assidue objectam, & exprobratam, quam Manichæi esse sententiam nunquam Felix ausus est negare, quinimmo tandem aliquando post multas tergiversationes, diverticula, & subterfugia coactus est fateri; *Manichæus dicit, quia polluta est pars Dei.* Ibidem cap. 20. pag. 353. in fine. Ergo perspicuum exploratumque est mendacem & calumniatorem esse Beausobrium, qui consueta sibi temeritate affirmare audet, Nunquam & nuspiam Manichæos dixisse, vel cogitasse impietatem, quam eis Augustinus adscribit, & exprobrat. Itaque non Patribus, ut impudens homo loquitur, sed Beausobrio fides nulla adhibenda est, cum de Manichæis, aliisque hæreticis, eorumque doctrina nobis aliquid narrat.

Beausobrii insignis calumnia & mendacium contra Augustinum, & ceteros sanctos Patres.

VI. Nun-

VI. Nunquam Manichæos docuiſſe animam partem eſſe divinæ naturæ ex eo contendit Beauſobrius, quod docuerint Deum indiviſibilem eſſe. At hoc unum eſt ex innumerabilibus Beauſobrii mendaciis. Lucem corpoream, quæ indiviſibilis profecto non eſt, Dei eſſe naturam apertiſſime Manichæi docuerunt, teſte Auguſtino lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ.46. quæ Manichæorum eſt hæreſis, pag. 11. tom.8. de quibus hæc narrat. *Lucem corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non ſolum in his navibus*, (in Sole, & Luna) *ubi eam puriſſimam credunt, verum etiam in aliis quibuſque lucidis rebus, ubi ſecundum hos tenetur admiſta, crediturque purganda, Dei dicunt eſſe naturam*. Arbitror Auguſtinum novem annos Auditorem Manichæorum ab eis intellexiſſe, quid ſtatuerent de natura Dei, quod omnis religioſi cultus principium primum eſt. At Fortunatus apud Auguſtinum diſp.1. pag.69. affirmat, Verbum eſſe ſimile Deo, quod de Anima negat, atque idcirco negat animam partem eſſe divinæ naturæ. Ad hæc dico, Anima in corpore humano, quamvis in Manichæorum ſententia, pars Dei ſit, tamen contagione materiæ, ut fert hæreſis Manichæorum, vitiatur, atque idcirco Dei amittit ſimilitudinem, quin Dei naturam amittat. Fortunatus autem, etſi verbis ambiguis, ne capiatur, ſatis tamen ſignificat animam Dei partem eſſe. Sic enim Auguſtinum interrogat: *Anima Dei eſt, an non?* Tum Fortunati ſententiam aſſecutus ſtatim Auguſtinus reſpondet: *Illud de Anima reſpondeo, Non eſſe Deum, aliud eſſe Deum, aliud animam. Nam ſi anima ſubſtantia Dei eſt, ſubſtantia Dei corrumpitur*. Tum Fortunatus Auguſtinum negantem ex ſubſtantia Dei eſſe animam his verbis reprehendit, *Ex ſubſtantia Dei negas eſſe animam*. Ad extremum apertiſſime ſententiam ſuam, quamvis fortaſſe imprudens, de natura animæ his verbis ibidem pag.71. Fortunatus indicat: *Duæ ſunt ſubſtantiæ in hoc mundo, quarum eſt una corporis, alia vero æterna Patris omnipotentis, quam Dei eſſe credimus*. Atqui, Fortunato ipſo auctore, ſubſtantia animæ non eſt ſubſtantia corporis: Ergo

Manichæi docuerunt lucem corpoream Dei eſſe naturam.

Anima juxta Manichæos contagione materiæ vitiatur, & Dei amittit ſimilitudinem, quin Dei naturam amittat.

Animam ex ſubſtantia Dei eſſe Fortunatus ſignificat.

Ergo auctore eodem, ſubſtantia animæ æterna Patris omnipotentis ſubſtantia eſt, quam Manichæi credunt Dei eſſe ſubſtantiam. Urget Beauſobrius, ipſumque Auguſtiuum teſtem appellat, qui lib.3. Oper. Imperf. num.186. tom.10. hæc de Manichæi ſententia litteris commendavit: *Animam primam Manichæus dicit a Deo lucis manaſſe, & accepiſſe iſtam fabricam corporis, ut eam fræno ſuo regeret.* Non igitur polluendam, & ligandam naturæ dœmonum Deus animam miſcuit. Ad hæc reſpondeo, Nullus eſt, qui contendat, Manichæum in ſua epiſtola Fundamenti docuiſſe, Deum ad hunc finem animas partes naturæ ſuæ materiæ conjungendas tradidiſſe, ut a materia vitiarentur, atque polluerentur. Illud eſt quod dicimus cum Auguſtino, Manichæorum Deum, cum certiſſime ſciret animas partes naturæ ſuæ conjunctione ſui cum materia neceſſario vitiandas & polluendas, nihilo tamen minus, ut ſibi rebuſque ſuis etiam in futurum conſuleret, materiæ permiſcendas animas tradidiſſe, ut materiæ furorem frænarent, ne iterum ſibi bellum inferret, ſuumque lucidum regnum invaderet. Qua agendi ratione, & natura infirmum, & voluntate crudelem in animas nullo originali, vel actuali crimine reas, ſe Manichæorum Deus exhibuit. Huc frænum illud refertur, quo regi corpus, atque frænari ab anima, Auguſtino teſte, & Manichæo auctore, Deus Manichæorum voluit.

Animam a Deo lucis manaſſe, ut fræno ſuo regeret corpus, quid ſignificet in Manichæi ſententia.

Beauſobrii inſigne mendacium de quæſtione agitata Fortunatum inter & Auguſtinum,

VII. Beauſobrius iterum ad Fortunatum ſe refert, contenditque in ea celeberrima duorum dierum ſpatio diſceptatione Auguſtinum inter & Fortunatum, agitatam fuiſſe quæſtionem de Origine auimæ. Inſigne hoc Beauſobrii mendacium eſt. Arbitror non ignoraſſe Auguſtinum quæſtionem, quam habuit cum Fortnnato. Ab Auguſtino igitur repetenda eſt. Is lib.1. retract. cap.16. num.1. pag.19. tom.1. hæc de quæſtione cum Fortunato agitata litteris commendat. *Verſatur ibi quæſtio, Unde ſit malum, me aſſerente, exortum fuiſſe hominis malum ex libero voluntatis arbitrio, illo autem* (ideſt Fortunato) *naturam mali Deo coæternam perſuadere moliente.* Contendebat igitur Fortunatus hominis ma-

malum exortum esse ex conjunctione animæ cum natura mala, in quam Deus immisit animam bonam, occasione pugnæ illius commentitiæ, quam habuit cum natura mala. Ad hæc Augustinus, quærit a Fortunato, Cur Deus, qui violari & lædi a natura mala non poterat, in hanc malam naturam, ideſt materiam & tenebrarum gentem, animam innocentem immisit, quam ab ea vitiandam & polluendam necessario noverat? Ad hanc interrogationem Fortunatus molestissimum sibi negotium exhiberi sensit. Quare ad interrogata obmutescens, aliò disputationem detorsit. Hinc Augustinus disp. 1. pag. 70. *Redeo*, inquit, *ad illud brevissimum: Si poterat Deo noceri, non est inviolabilis Deus: si non poterat, crudeliter huc nos misit*. Quid ad hæc Fortunatus? *Anima*, inquit, *Dei est, a non?* Vides effugia & diverticula illaqueati hominis. Cui protinus Augustinus: *Si justum est*, inquit, *ut non interrogatis meis respondeatur, & ego interroger, respondebo*. Et iterum, *Memineris te noluisse respondere interrogatis meis, me autem tuis respondere*. Mox S. Doctor cursim & breviter ad Fortunati diverticulum de origine animæ respondet, eaque responsione refellit etiam hominis Manichæi sententiam de natura animæ: *Illud*, inquit, *de anima respondeo, Non esse Deum; aliud esse Deum, aliud animam... Nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere*. Itaque a capitali quæstione cum Fortunato, Unde hominis malum? facili gradu descensum est ad hanc quæstionem, Cur Deus animam innocentem in naturam malam immisit, quam ab ea natura necessario vitiandam, & polluendam noverat? in qua totum fere biduum consumptum est, maxime vero disputatione secunda diei secundæ, ubi pag. 38. *Ego abs se*, inquit, *iterum, atque iterum quæro, Si Deo nihil nocere poterat, cur huc animas misit?* Tandem aliquando assidue novata, & iterata quæstione oppressus se victum superatumque ab Augustino Fortunatus confessus est, & nihil se habere dixit, quod ad quæstionem, de causa mit-

De causa mittendi animam in materiam controversia præcipua fuit Augustinum inter & Fortunatum.

Fortunatus ad propositam ab Augustino quæstionem diverticula nuncupat.

Animam nec Deum, nec partem Dei esse Augustinus contra Fortunatum tuetur.

Fortunatus se superatum ab Augustino fatetur in quæstione de causa mittendi animam in materiam.

 ten-

tendi animas, assidue sibi propositam responderet. Cui S. Doctor ibidem num. 37. *Et ego*, inquit, *novi non te habere, quid dicas; Et me cum vos audirem in hac quæstione nunquam invenisse quod dicerem*. Exploratissimum igitur, & maxime insigne Beausobrii mendacium est, In ea celeberrima duorum dierum disceptatione Fortunatum inter & Augustinum propositam & agitatam fuisse quæstionem de origine animæ, quam diverticula aucupans Fortunatus obiecit, Augustinus vero cursim & breviter extremisque digitis tetigit.

Animæ juxta Manichæos, cur conjunctæ materiæ; secus autem Verbum divinum?

VIII. Instat Beausobrius. Manichæi negabant Verbi divini Incarnationem, quoniam indignum putabant, Dei naturam cum materia coniungi: quod confirmabant testimonio illo Jo. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Itaque docere non poterant animam, utpote cum materia conjunctam, ad Dei naturam pertinere. In promptu responsio est. Apud Manichæos alia Verbi divini, alia erat animarum ratio, quamvis dicerentur ab eis partes divinæ naturæ. Natura enim Verbi divini in eo longe perfectior est animarum natura, quod illa, ut fert fabula Manichæa, luce perfectissima constat, animarum autem, admodum imperfecta. Item Verbum divinum juxta Manichæos non est missum ad frænandam naturam malam, quæ sibi adhæresceret, sed ad liberandas animas nostras a contagione materiæ, quacum fuerunt coniunctæ, ut coercerent conjunctione sui ferocitatem tenebricosæ materiæ, ne iterum Dei regnum invaderet. Hoc autem consilio optime sibi rebusque suis Manichæorum Deus consuluit. Tandem Manichæi in suis absurditatibus, ut hærericorum plerique, secum ipsi pugnabant.

Animas juxta Manichæos partes esse divinæ naturæ ex disputatione Augustini cum Fortunato demonstratur.

Quod autem Manichæi docuerint humanas animas particulas esse divinæ naturæ ex ipsamet disceptatione Augustini cum Fortunato, ad quam iterum hic Beausobrius audacissime provocat, manifestissime ostenditur, In ea enim Fortunatus affirmat: *Quidquid corpus non est, substantiam Dei esse: Animam esse ex substantia Dei: Venire animam de Dei substantia: Animas a conjunctione materiæ separatas ad propriam substantiam revocari*. Quid ad

ad hæc repugnans Fortunato Auguſtinus? Audiatur : *Illud de anima reſpondeo, Non eſſe Deum, aliud eſſe Deum, aliud animam: Mutatio animæ oſtendit mihi, quod anima non ſit Deus. Nam ſi anima ſubſtantia Dei eſt, ſubſtantia Dei errat. Animam ſic negavi eſſe ſubſtantiam Dei, ut negem illam eſſe Deum.* At, auctore Beauſobrio, criminationes falſæ Auguſtini ſunt iſtæ. At ſi falſæ Auguſtini criminationes ſunt, cur non eas Fortunatus refellit? Cur obmuteſcit? Cur tacet? Cur ne verbum unum quidem contra graviſſimas criminationes facit? At enim, revocari animas ad propriam ſubſtantiam, ut loquitur Fortunatus, nihil eſt aliud, inquit Beauſobrius, niſi ad cœleſtem ſubſtantiam, ad Elementa cœleſtia, ad regnum lucis revocari. Eſto. At, auctoribus Manichæis, cœleſtis ſubſtantia, elementa cœleſtia, regnum lucis, non ſunt niſi Deus ipſe, ſeu divinæ naturæ partes. Quidquid enim, auctoribus Manichæis, terrena hæc materies non eſt, vel Deus eſt, vel pars aliqua Dei. Talem enim rerum omnium diviſionem Fortunatus inſtituit. At hæc elementa cœleſtia in Manichæorum ſententia Deum non eſſe eruitur, inquit Beauſobrius, ex ipſomet Auguſtino, qui lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ.46. quæ Manichæorum eſt hæreſis, pag.11. tom.8. hæc habet: *His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno, & ſubſtantia Dei miſſa eſſe, & in illa pugna fuiſſe permiſta, fumo aera, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum.* Miror Beauſobrium provocare ad Auguſtini teſtimonium, quod ſibi prorſus contrarium eſt. Affirmat enim ibi Auguſtinus bona illa elementa juxta Manichæos eſſe: *De regno & ſubſtantia Dei*, nimirum de ſubſtantia Dei, quæ idem eſt ac regnum Dei. At ſubſtantia & natura Dei una eademque res eſt, diverſis vocabulis ſignificata. Ergo ex S. Auguſtino Manichæi docuerunt bona illa elementa partes eſſe naturæ Dei. Fauſtus Manichæorum epiſcopus, Auguſtino teſte, lib.11. cap.3. pag.157. tom,8. præclariſſimis verbis affirmat, bona illa elementa, *Nihil aliud eſſe, quam*

Elementa cœleſtia, cœleſtis ſubſtantia, & regnum lucis, auctoribus Manichæis, non ſunt, niſi Deus, ſeu partes Dei.

ſubſtantiam Dei. Tyrbo Manichæi diſcipulus, cujus teſtimonio, ubi ſibi commodum putat, Beauſobrius utitur; ubi incommodum, reiicit, apud Zacagnium pag. 10. narrat magiſtrum ſuum Manichæum docere: Bonum Patrem Deum EX SE, ideſt, ex natura & ſubſtantia ſua produxiſſe bona illa elementa, de quibus ſupra Auguſtinus, quæ virtus & Mater vitæ ſunt, quibus elementis hominem primum armavit. Ecce tibi Tyrbonis verba: *Cum cognoviſſet bonus Pater tenebras ad terram ſuam perveniſſe, produxit* EX SE *virtutem, quæ dicitur Mater vitæ, qua virtute circumdedit primum hominem, quæ ſunt quinque Elementa*. At incredibile Beauſobrio eſt Manichæum docuiſſe Dei naturam conſtare ex aere, luce, igne, aqua, & vento, At vero, nonne docuit Spinoſa, omnia eſſe Deum? Nonne ejus diſcipuli, qui jdcirco Pantheiſtæ dicuntur, non modo aerem, lucem, ignem, aquam, & ventum, ſed omnes omnino res Dei dicunt eſſe naturam. Manichæus igitur, quamquam abſurditate minori, Spinoſæ longe capitaliori proluſit.

IX. Urget Beauſobrius pro clientibus ſuis Manichæis, atque contendit, Manichæos dixiſſe quidem animas membra Dei, ſed membra Dei myſtica, quæ vere & proprie partes non ſunt naturæ illius, cujus membra dicuntur; quemadmodum fideles dicuntur membra corporis Chriſti, nimirum myſtica, quæ partes non ſunt conſtituentes corpus naturale Chriſti. Præterea Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum cap. 3. pag. 157. tom. 8. loquens de quinque Elementis regni Dei, appellat illa, *Membra ſua, vel veſtimenta ſua, vel arma ſua*. Atqui veſtimenta, & arma non pertinent ad ſubſtantiam perſonæ, nec partes ejus ſunt. Ergo nec animæ in Manichæorum ſententia, quamvis ab eis Dei membra, etiam Simplicio teſte, dicantur. Reſpondeo, Manichæos appellaſſe animas membra Dei in ſignificatione admodum communi, & pervulgata, qua partes, quibus totum aliquod conſtat, popularibus uſitatiſque verbis, membra appellamus. Sic orationis, ſic navigii, ſic ædificii partes membra vulgo dicuntur. Itaque perin-

Animæ membra Dei a Manichæis dicebantur, quod partes eſſent Divinæ naturæ.

perinde ſe habent membra atque partes rei alicujus. Tullius lib. 3. de Fin. optimus verborum latinorum interpres ipſamet humani corporis membra pro partibus interpretatur: *Membrorum*, inquit; *ideſt partium corporis*, *alia videntur propter eorum uſum a natura eſſe donata*, *ut manus*, *crura*, *pedes*; *alia autem nullam ob utilitatem*, *quaſi ad quendam ornatum*. Simplicius vero, quem nec nominare quidem hoc loco Beauſobrius debuerat, apertiſſime affirmat, Manichæos dicere, animas membra & partes eſſe Dei. Μέρη ἑαυτȣ̃ καὶ μέλη τὰς ψυχὰς ȣ̓̃σας, ὡς φασιν. Quod autem de Auguſtino Beauſobrius affirmat, merum ejus mendacium eſt, quod & ipſum eſt ſibi contrarium. Quare mirari ſatis non poſſum os Beauſobrii duriſſimum, qui ea pro ſe teſtimonia producit, quæ maxime ſibi adverſantur, eaque, quæ Manichæorum ſunt, Auguſtino tribuit. Narratio illa, de qua pauca verba Beauſobrius decerpſit, non Auguſtini eſt, ſed Fauſti Manichæorum epiſcopi, de quo hæc S. Doctor litteris commendavit. *Annunciat* (Fauſtus) *neſcio quem primum hominem*, *nec de terra terrenum*, *nec factum in animam viventem*, *ſed de ſubſtantia Dei*, *idipſum exiſtentem quod Deus*, *membra ſua vel veſtimenta ſua*, *vel arma ſua*, *ideſt*, *quinque elementa*, *cum & ipſa nihil aliud eſſent quam ſubſtantia Dei*, *in tenebrarum gente merſiſſe*. Fauſtus igitur Manichæorum epiſcopus, cui Beauſobrius Auguſtinum ſubſtituit, docet, primum illum Manichæorum hominem, ejus veſtimenta, arma, membra, & elementa quinque omnia hæc nihil aliud eſſe niſi ſubſtantiam Dei, atque ipſum Deum.

Hominem primum, ejus membra, arma, veſtimenta, & elementa quinque ſubſtantiam Dei eſſe Fauſtus docebat.

X. Inſurgit iterum Beauſobrius, & inquit, ſi animæ partes ſunt divinæ naturæ, vitia omnia, errores, perturbationes, & ægritudines animæ, Dei vitia, errores, perturbationes, & ægritudines ſunt. Hoc argumentum aſſidue Auguſtinus contra Manichæos inculcat, quin eorum defenſionem uſpiam ſignificet, de qua tamen dubitari non poteſt. Etenim Manichæi Deum inviolabilem, impeccabilem, impaſſibilem eſſe affirmabant. Felix ab Auguſtino interrogatus lib. 2. de Act.

cum

cum Fel. Manich. cap. 14: pag. 351. tom. 8. *Qui dicit corruptibilem Deum esse, anathemandus est, an non?* Ultro respondet, *Valde*. Hinc Beausobrius infert 1. non potuisse Manichæis attribui exsecrandas illas consecutiones, quas eis Augustinus adscribit. Infert 2., igne & ferro insectandos Manichæos non fuisse propter impietates, a quibus ipsi non minus quam catholici omnes abhorrebant. Jam vero omnia illa vitia & calamitates, quas Beausobrius recenset, in Dei naturam recidunt, si animæ partes sunt naturæ divinæ, ut Manichæi docebant, si ex universa mente divina delibatos animos habemus, ut Pythagoras & Pythagorici affirmabant, si omnia sunt Deus, ut Spinosa, & Spinosistæ tuentur. Has exsecrandas absurditates Augustinus assiduus Manichæorum impugnator jure meritoque eis objicit, atque exprobrat, quin ab his se expedire valeant Manichæi. Hoc Manichæorum silentium putida & inepta admiratione excipit Beausobrius. Illæ etenim consecutiones adeo horribiles & exsecrandæ necessario manant & fluunt ex pestifero illo Manichæorum fonte, scilicet, humanas animas partes esse divinæ naturæ, a qua præcisæ & avulsæ in corpora humana a Deo dicebantur immissæ. Dictitabant quidem Manichæi nec inquinari, nec violari, nec pati posse in sua natura Deum. Si enim talibus vitiis atque calamitatibus obnoxiam Dei naturam fecissent, non ignorabant se communibus odiis & exsecrationibus obruendos. Itaque in maximas angustias se conjecerant Manichæi, a quibus ipsorum presbyter Felix, malo suo a Beausobrio citatus, se expedire non posse, quamvis invitus declarat. Malitiose obtruncatum a Beausobrio Dialogismum expono. Interrogat Augustinus Felicem: *Anathemandus est error, qui dicit, corruptibilem Deum, an non est anathemandus?* Ad hæc Felix, quasi Augustinus surdum interrogasset, *Iterum dic*, respondet. Iterum Augustinus, *Anathemandus est error, qui dicit, corruptibilem Deum, an non est anathemandus?* Tum Felix, *Quæratur*, inquit, *si dicit*. Hic quæstionem juris ad quæstionem facti Felix conatur transferre. Instat tertio Augustinus eadem

Ex animis divinæ naturæ partibus consequuntur exsecrandæ contra Deum sententiæ.

Felix Manichæus Deum incorruptibilem esse sustinere non potest.

eadem interrogando, *Ego*, inquit, *interrogavi*, *qui dicit corruptibilem Deum, anathemandus est, an non?* Neutrum respondet Felix, nec anathemandum esse, nec anathemandum non esse, sed simulat, nondum se Augustini interrogationem percepisse, quem sic interrogat, *Qui dicit corruptibilem Deum, anathemandus est, hoc mihi objicis?* De hoc se interrogare Augustinus confirmat, &, *Hoc*, inquit, *interrogo*. Tum Felix, quasi ignoraverit adhuc, qualem quæstionem sibi Augustinus proponeret, iterum S. Doctorem interrogat, eumque ad aliam quæstionem conatur abducere: *Corruptibilem* inquit, *Deum dicis, an autem quod primo dixisti, quia partem suam dedit adversariis?* Perstat immotus in prima sua interrogatione Augustinus, nec se ad aliam quæstionem deduci sinit, *Interim*, inquit, *quod interrogo responde: Qui dicit, corruptibilem Deum esse, anathemandus est, an non?* Tandem aliquando, tanquam adhibitis sibi tormentis, post inculcatam quinquies eamdem interrogationem coactus est Felix respondere *Valde*. Et hoc est illud *Valde* vix a Felice extortum, in quo pueriliter Beausobrius exultat, atque inepte triumphat, perinde ac si primarium esset Manichæornm dogma, Deum incorruptibilem esse.

XI. Quoniam vero Beausobrius iterum provocat ad Felicem, quem locis aliis sæpenumero explodit, ut eo teste demonstret, nunquam Manichæos docuisse humanas animas Dei partes esse contagione materiæ necessario pollutas, audiat quid Felix Manichæorum Electus & Doctor, quem Fortunato versutiorem Augustinus affirmat, in ea publica disceptatione, quam cum Augustino habuit, adstante populo frequentissimo, in qua lecta est Manichæi epistola, quæ Fundamenti dicitur, audiat inquam, quid Felix de Magistri sui Manichæi doctrina, quæ ad animæ naturam pertinet, testificetur. Hæc sunt verba Felicis cap. 20. pag. 353. *Manichæus dicit, quia polluta est pars Dei, & Christus dicit, quia polluta est anima, & venit liberare illam de pollutione*. Cui protinus Augustinus, *Sed anima*, inquit, *non est pars Dei*. *Nam jam tu confessus es*,

Animam partem esse divinæ naturæ, Manichæo auctore, assidue Felix testatur.

es, quia Manichæus dixit pollutam partem Dei. Tum Felix iterum, quæ dixerat, his verbis confirmat, *Si polluta est anima, quæ ex Deo est, & potest purgari a Christo, qui pro illa venit, & illa pars Dei, quam Manichæus dicit, pollui potest, & mundari per mandatum Dei*. Cui iterum Augustinus repugnans, *Anima*, inquit, *nec Deus est, nec pars Dei. Tu autem Manichæum dicis dixisse pollui partem Dei, quam dicit purgari, ut confirmet quia polluitur*. Animam ex Manichæo & Dei partem esse, & pollutam esse, iterum iterumque Felix confirmat, & inquit, *Si anima ex Deo est, & polluta est, & venit Christus liberare eam, & eam liberavit a peccato, quid culpamus Manichæum, qui dicit partem Dei pollutam esse, & iterum mundari?* Ad hæc S. Doctor, *Anima*, inquit, *non est ex Deo tanquam pars ejus, vel tanquam proles ejus. Quid intersit inter nostram fidem, & vestram perfidiam omnibus manifestum est*. Ad extremum Felix dat manus, seque superatum, & convictum fatetur Augustini argumentis, ejusque se potestati his verbis committit, *Dic jam tu, quid vis faciam?* Itaque ad Augustini exemplum his verbis, quæ publicis tabulis mandata sunt, Manichæum, ejusque hæresim exsecratur: *Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, & doctrinam ipsius, & spiritum seductorem qui in illo fuit, qui dixit Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse*. Ex his autem contra Beausobrium consequitur 1., horribiles illas sacrilegasque sententias jure meritoque tributas fuisse Manichæis de Deo errante, peccante, patiente, utpote quæ necessario profluebant ex impia eorum doctrina de animis naturæ divinæ partibus, & in corpora humana dispersis. Sequitur contra eumdem 2. Manichæos jure meritoque igne & ferro fuisse cohibitos, tum propter humani generis propagationem, ab eis interdictam; tum propter nefaria eorum mysteria, & exsecrandam eucharistiam; tum propter cetera eorum flagitia teterrima, quæ ex pestifera eorum doctrina consequebantur.

Manichæi jure meritoque igne, & ferro cohibiti.

DIS-

DISSERTATIO VI.

De Beausobrii mendaciis in his, quæ ad libertatem in Manichæorum sententia pertinent.

I. SAnctus Augustinus lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 4. pag. 346. tom. 8. verba illa Christi Domini Math. 12. 13. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*, de libero arbitrio hominis interpretatur, quod Manichæi olim negabant, ut modo nostræ ætatis Janseniani cum suis adjutoribus negant. Ecce verba S. Doctoris loco supra commemorato: *Ipsum Dominum audi dicentem, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Hanc Augustini de libero arbitrio divinorum verborum interpretationem audacissimus homo Beausobrius, Histor. Dogmat. Manich. lib. 7. cap. 2. pag. 432., & 433., nota 1. & 2. tom. 2. reprehendit, quod illis Christi Domini verbis Augustinus evidenter abusus fuerit, quibus dumtaxat convincere Judæos Christus Dominus voluit, quod perperam tribuerent fructus bonos arbori malæ, idest, opera ejus bona dæmonibus. Nam *Facere*, inquit, hoc loco idem est ac *Judicare*. Addit, cum Julianus lib. 1. Oper. Imperf. num. 93. hunc locum Augustino objecisset, ilse nihil omnino respondit. Ad hanc Beausobrii calumniam respondeo, non abutitur Augustinus, sed utitur optime eo Christi Domini loco, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, Aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*, quem verissime interpretatur de libero humanæ voluntatis arbitrio. Etenim verba illa quæ Christus Dominus sub allegoria arboris & fructus ad Judæos habuit, perinde se

Liberum arbitrium contra Manichæos ab Augustino demonstratum.

Beausobrii calumnia de Augustino perperam interpretante verba Evangelii.

Augustinus optime interpretatur de libero arbitrio Christi Domini verba.

ſe habent, ac ſi dixiſſet, *In veſtra poteſtate eſt tum bona voluntas, & opus ejus bonum; tum voluntas mala, & opus ejus malum*. Ut enim optime animadvertit Auguſtinus, *Cum Dominus dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam*, poteſtatem ſcilicet aut hoc, aut illud faciendi, non autem naturam mali, neceſſitantem ad malum; nec naturam boni, neceſſitatem ad bonum, quales naturas Manichæi docebant, quibus Janſeniani conſentiunt, docentes indeliberatam delectationem malam neceſſitantem ad malum, & indeliberatam delectationem bonam neceſſitantem ad bonum. Quid enim aliud modus ille loquendi in communi uſurpatione ſignificat, niſi liberam poteſtatem faciendi aliquid, vel non faciendi? Nonne his, quibus optionem, ſeu poteſtatem aliquid eligendi damus, dicere ſolemus, *Aut hoc, aut illud eligite*: *aut hoc, aut illud facite*: quod perinde ſe habet, ac, *In poteſtate veſtra eſt, aut hoc, aut illud eligere*; *aut hoc, aut illud facere*. Contra vero acutiſſimus homo Beauſobrius, exploſa communi verborum ſignificatione, novam, atque reconditam Chriſti Domini verbis adhibet interpretationem. Itaque apud Beauſobrium *facere*, non eſt amplius *facere*, ſed *judicare*. Quando igitur Chriſtus Dominus dixit, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum*; *aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*, nihil aliud auctore Beauſobrio dixit, niſi, *Aut judicate arborem bonam, & fructum ejus bonum*; *aut judicate arborem malam, & fructum ejus malum*. Nimirum, *Aut judicate me bonum, ſi opera mea bona ſunt*; *Aut judicate me malum, ſi opera mea mala ſunt*. O egregium interpretem Divini verbi Beauſobrium! Viden quid boni afferat ſingularis illa licentia, & ſingulare illud hæreticorum jus arbitratu ſuo ſacras litteras interpretandi?

Beauſobrii interpretatio peſſima verborum Chriſti Domini.

II. Quamquam hanc Calviniani Beauſobrii laudem jamdudum præripuit Pelagianus homo Julianus. Is enim eamdem quam Beauſobrius & Auguſtini reprehenſionem, & loci illius adhibet interpretationem. Cum enim Auguſtinus aliàs dixerit, quod & lib. 5. Oper. Im-

Beauſobrii Calviniani interpretatio mala eadem ac interpretatio Pelagiani Juliani.

Imperf. num. 21. pag. 915. tom. 10. confirmat, *Dominus loquebatur de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala; istam bonam, illam malam arborem dicens, quia de bona voluntate opera bona nascuntur, & mala de mala*. His Julianus repugnans, & Beausobrio proludens, *Falleris*, inquit *non ibi Dominus loquitur de duabus voluntatibus, sed de persona sua*. Mox Christi Domini sententiam illam affert, quam copiose contra Augustinum interpretatur eadem prorsus interpretatione, qua contra S. Doctorem abusus est Beausobrius. Ecce tibi verba Juliani, cujus sententiam, suam fecit Beausobrius, *Dominus ait, aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos; aut facite arborem malam, & fructus ejus malos. Id est, aut opera mea vituperate, quæ bona esse infirmitates pulsæ, & restitutæ sanitates loquuntur, ut improbum me operum meorum testimonio comprobetis; aut si hæc tanta beneficia non audetis arguere, reddite bonæ arbori, mihi videlicet, testimonium fructuum meorum*. Mira plane consensio hominis Calviniani cum homine Pelagiano in ea commemorati loci interpretatione. Jam vero utrumque Augustinus & Julianum, & futurum Beausobrium his verbis ibidem pag. 916., & 917. redarguit, *Utrum Dominus duas voluntates, sicut nos dicimus, in duabus arboribus insinuare voluerit, unam bonam, qua bonus est homo, quæ non potest facere opera mala, idest, fructus malos; alteram malam, qua malus est homo, quæ non potest facere opera bona, idest, fructus bonos; an sicut tu dicis de seipso Judæis ista locutus sit, qui nosse volunt, Evangelium legunt, te negligunt*. Deinde plura affert Evangelii testimonia, quibus evidenter demonstrat, Christum Dominum non de se, & operibus suis; sed de voluntate & operibus Judæorum locutum esse, quando ad eos hæc verba fecit, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum &c.* Quibus verbis significavit, in Judæorum potestate esse voluntates eorum vel bonas vel malas; & opera eorum vel bona vel mala, ex bonis malisve eorum voluntatibus exoritura. At nihil Augustinus ad locum illum objectum sibi a Juliano respondit lib. 1. Oper.

Beausobrius, & Julianus mali divinorum verborum interpretes ab Augustino confutati.

Beausobrii mendacium de Augustino non respondente objectis a Juliano.

Oper. Imperf. pag.93. Quid tum? Multa ad eumdem locum lib. 5, respondit & contra exortum Julianum, & contra exoriturum Beausobrium. Quæstio de qua agebatur uno loco postulabat, altero loco Augustini responsionem non postulabat. Levissima hæc Beausobrii animadversio est.

Liberum hominis arbitrium ab Augustino Christi testimonio demonstratum.

III. S. Augustinus disputans pro libero arbitrio, quod Fortunatus Manichæorum presbyter negabat, disput. 2. num. 22. pag. 76. tom. 8. hæc habet. *Ut intelligas istas duas arbores sic esse a Domino positas, ut ibi significetur liberum arbitrium, non naturas esse istas duas arbores, sed voluntates nostras, ipse ait in Evangelio, Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Quis est qui possit facere naturam? Si ergo imperatum est nobis, ut faciamus arborem aut bonam aut malam, nostrum est eligere quod velimus.* Extrema hæc Augustini verba Beausobrius, loco sub num. 11. commemorato pag. 435., & 436., graviter reprehendit, quæ tanquam aculei delicatissimam ejus mentem non modo compungunt, sed etiam lacerant. Religiosus enim homo est Beausobrius, & religioni habet, quod Augustinus dixerit, imperatum nobis a Domino esse, ut faciamus arborem aut bonam aut malam; quoniam nonnisi arborem bonam, bonam scilicet voluntatem, nobis poterat Dominus imperare. Caritas ergo postulat, ut omnes ab ejus animo scrupulos auferamus, omnesque evellamus aculeos. Religioni non habuit Moyses, populum Judæorum alloquens, quo minus diceret Deuteron. 30. 15. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & e contrario mortem & malum.* Item ibidem v. 19. *Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.* Præterea Ecclesiast. cap. 15. 17. & 18. de Deo dicitur, *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, ei dabitur illi.* Quid est hoc Beausobri? Moyses populo sibi commisso proponit vitam & mortem, bonum & malum, benedictionem & maledictionem? Quinetiam Deus ipse

Beausobrius malitiose S. Augustini verba interpretatur.

appo-

apponit homini aquam & ignem, vitam & mortem, bonum & malum? Et, *Ad quod volueris*, inquit, *porrige manum tuam?* Hoc *Porrige* imperativum est, cui consonat Augustinianum illud *Imperatum est*. Sed abstergamus a Beausobrii animo molestias omnes, quæ solicitum illum & anxium habent. Verba illa, illæ formulæ, modi illi loquendi, juxta communem, popularem, & pervulgatam consuetudinem, nihil aliud significant, nisi, in libera hominis potestate positam a Deo esse boni & mali electionem. Itaque Augustinianum illud, *Si imperatum est nobis*, nihil aliud significat, nisi, Si nobis significatum, si declaratum, si denuntiatum a Domino est, in nostra potestate esse voluntatem bonam vel malam, nostrum est eligere utram velimus.

Beausobrii calumnia de Augustino contra Manichæos Pelagianizante, & originalem concupiscentiam negante.

IV. Beausobrius loco supra commemorato pag. 437. inique Augustinum reprehendit, quod disp. 2. contra Fortun. pag. 75., & 76. num. 22. tom. 8. negaverit cum Pelagianis concupiscentiam originalis peccati esse poenam; atque idcirco in suis contra Manichæos disputationibus ad Pelagianos accesserit. Pura & mera calumnia Beausobrii est, Augustinum contra Manichæos disputantem, non aliam docuisse moralem peccandi necessitatem, nisi malam peccandi consuetudinem; atque idcirco sensisse cum Pelagianis, quam experimur in nobis concupiscentiam, nequaquam pœnam esse originalis peccati. Etenim eo ipso loco, quem Beausobrius depromit ad confirmandam calumniam suam evidentissime demonstratur, Augustinum disputantem cum Manichæis, præter malam peccandi consuetudinem, & agnovisse, & docuisse innatam nobis hereditariam concupiscentiam, quæ moralis quædam nobis est peccandi necessitas. Hæc enim sunt S. Augustini verba, a Beausobrio inconsulte citata, in ea quam habuit cum Fortunato Manichæorum presbytero disceptatione: *Postquam primus homo libera voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus*. Jam vero peto a Beausobrio, num post Adæ peccatum omnes nos, qui ab ejus stirpe descendimus,

Concupiscentiam nobis innatam contra Fortunatum Augustinus disputans docet.

in

in malam peccandi consuetudinem præcipitati simus? Negabit id profecto, & necessario quidem Beausobrius negabit. Neque enim pueri infantes, qui ante rationis usum excedunt e vita; neque utentes rationis usu, qui ad extremum usque diem restauratam in baptismo innocentiam retinuerunt; neque quamplurimi, qui quamvis interdum peccaverint, in nulla tamen ullius singularis peccati frequentia sunt volutati, in malam peccandi consuetudinem præcipitati sunt. Ergo necessitas illa, in quam post Adæ peccatum, Augustino teste, præcipitati omnes sumus, non mala peccandi consuetudo est, quæ non est omnium hominum, sed hereditaria ex Adam concupiscentia, in quam omnes, utpote originalis peccati pœnam, sumus præcipitati. Constat igitur Augustinum verbis illis temere a Beausobrio citatis, *Postquam primus homo libera voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus*, non de mala consuetudine, quæ non est omnium, qui ab Adæ stirpe descendunt, sed de innata omnibus cum originali peccato concupiscentia locutum esse.

V. At post hujusmodi verba, inquit Beausobrius, hæc Augustinus continuo persequitur. *Potest unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire verum esse quod dico*. Mox statim affert exempla malæ consuetudinis. Respondeo Augustinum adhibere exempla malæ consuetudinis non ad statuendam necessitatem illam, in quam præcipitati omnes sumus, qui ab Adæ stirpe descendimus: hæc enim non est mala consuetudo, sed mala concupiscentia; sed utitur exemplis illis ex consuetudine mala petitis ad demonstrandam vim, & vehementiam innatæ nobis concupiscentiæ, cui similis est mala consuetudo. Sagacissime autem & prudentissime se gessit S. Doctor cum Manichæis, quibus nec peccatum originale, nec exortam ex eo concupiscentiam intempestive & importune objecit. Neque vero ignorabat peccatum originale, cum calamitatibus quæ ex eo consequtæ sunt, probari non posse nisi auctoritate sacra novi, & veteris Testamenti. At Testamentum ve-

De originali peccato, deque concupiscentia, cur Augustinus contra Manichæos cursim & parce tractaverit.

vetus, tanquam opus principum tenebrarum, universum Manichæi repudiabant: novum autem a Judæis, qui ad christianam religionem venerant, corruptum esse dicebant. Itaque arbitratu suo quod volebant ex eo accipiebant, quod autem nolebant, repudiabant: maxime vero peccatum originale; quoniam auctoribus Manichæis, omnium prorsus malorum causa æterna quædam erat natura mala, ab ipsis temere excogitata. Hoc suum consilium in suis congressionibus cum Manichæis, quo S. Doctor decrevit, abstinere quoad fieri posset a commemorando peccato originali, nobis depromit lib. 1. retract. cap. 9. num. 6. pag. 11. tom. 1. ubi recenset ea, quæ contra Manichæos disputavit lib. 3. de Libero Arbitrio, de qua disputatione hæc habet: *Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris instrumenti, in quibus originale peccatum narratur; & quidquid inde in litteris apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum.* Patefacta est igitur Beausobrii de Augustino calumnia, quod Sanctus Doctor in suis contra Manichæos disputationibus Pelagianis proluserit, substituendo originali concupiscentiæ malam peccandi consuetudinem, quæ sola nobis sit moralis quædam peccandi necessitas.

De libero arbitrio interdum ab Augustino negato eadem Beausobrii, atque Juliani calumnia est.

VI. Instat eodem loco calumniis contra Augustinum Beausobrius, affirmando Augustinum, quamdiu decertavit cum Manichæis arbitrium liberum tutatum esse; & naturæ, quæ rationis est particeps, liberam boni malive faciendi potestatem conservasse; perinde ac si S. Doctor illud ipsum arbitrium liberum, eamque ipsam liberam hominis potestatem contra Manichæos propugnatam, contra Pelagianos negaverit. Nova non est Beausobrii de Augustino calumnia. Eadem jampridem S. Doctori fuerat a Pelagianis illata. Augustino, ejusque discipulis exprobrabat Pelagianus Julianus liberum arbitrium ab eis negatum, quos idcirco Manichæos appellabat. Hæc enim verba Juliani sunt apud Augustinum lib. 2. de Nup. & Concup. cap. 3. num. 7.

pag.

pag.203.tom.10. *Siquis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur. Nc igitur fiant hæretici, fiunt Manichæi.* Refellit continuo Pelagianam calumniam his Augustinus verbis ibidem num.8. *Non est ita ut loqueris quicumque ista dixisti: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium Sed siquis ad colendum recte Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Pelagianus & Cælestianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium utrique] dicimus; non hinc estis Cælestiani & Pelagiani, liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adjutorio Dei, hoc vos dicitis; hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, atque ut nefario vocabulo terreas imperitos dicis, Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi.* Vides hic explosam ab Augustino & Pelagianam, & Beausobrianam calumniam de negato a se in suis contra Pelagianos disceptationibus arbitrio libero: ubi clara voce testatur, se non negare nisi Pelagianum arbitrium, quod liberum Pelagiani affirmabant a necessitate interioris gratiæ ad omnes omnino actus salutares. Iterum Julianus, quem imitatur Beausobrius, catholicos Augustino consentaneos, quos Manichæos appellat, tanquam negantes post Adæ peccatum arbitrium liberum, his calumniatur verbis apud Augustinum lib.1.contr.2.epist. Pelagian. cap.2. num.4. tom.10. *Dicunt illi Manichæi, quibus modo non communicamus, idest, toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, idest, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate ducantur.* Quid ad hanc Pelagiani Juliani calumniam a Beausobrio restauratam Augustinus respondet? Audiatur ibidem sequenti num.5. *Quis nostrum,* inquit, *dicat, quòd primi hominis peccato perierit arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Augustinus igitur cum Pelagianis disputans docet, post Adæ peccatum, non pe-

Liberum arbitrium ab Augustino tum contra Manichæos, tum contra Pelagianos affirmatur.

periisse, nisi libertatem a Deo ornatam cumulatamque dono immortalitatis, & originalis justitiæ, vi cujus liber erat Adam in statu innocentiæ, & a necessitate subeundæ mortis, & tolerandi indeliberatos motus effrænatæ concupiscentiæ.

VII. Quid autem Augustinus senserit de libero arbitrio, quando acerrime decertatum ab eo est cum Pelagianis, nusquam luculentius apparet, quam libro de Gratia & Libero Arbitrio, ad hunc finem edito, ut mentem suam hac de re apertissimis verbis significaret: *Propter eos*, inquit lib. 2. retract. cap. 66. tom. 2. *qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cui titulus est, De Gratia, & Libero Arbitrio*. Jam vero ex his, quæ commemorato libro contra Pelagianos Augustinus docet, tota evertitur Beausobrii calumnia. Hæc enim ibi S. Doctor statuit cap. 2. num. 3. & 4. tom. 10. *Revelavit nobis Deus per scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium, primum quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret: Ipse ab initio* (Ecclesiast. 15. 11.) *fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, si volueris, conservabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque voluerit dabitur ei: Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem, sicut est, Noli vinci a malo, & alia similia; Nempe ubi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo causetur Deum in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat. Neque cum aliquid secun-*

Liberum arbitrium ab Augustino contra Pelagianos pugnante demonstratum.

dum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Conſtat igitur contra Beauſobrii calumniam Auguſtinum cum Pelagianis diſputantem eamdem de libero arbitrio doctrinam retinuiſſe, quam primum tradiderat diſputans cum Manichæis.

Concupiſcentia originalis peccari pœna ab Auguſtino contra Manichæos diſputante traditur.

VIII. Exploſa Beauſobrii calumnia de Auguſtini Manichæiſmo contra Pelagianos diſputantis, me refero ad alteram ejus calumniam de ſancti Doctoris Pelagianiſmo contra Manichæos diſceptantis. Pelagianiſmum Auguſtinus olet, auctore Beauſobrio, in ſuis cum Manichæis diſceptationibus. Unde hoc probas? Quia, ut ex te audio, cum Manichæis pugnans docet, Impotentiam hominis lapſi non oriri, niſi ex mala conſuetudine, quod Pelagianus Julianus docebat. Mentiris. Deprome vel paucula verba, quibus contra Manichæos pugnans, quæ fingis Auguſtinus doceat. Docet quidem contra Manichæos Auguſtinus impotentiam hominis lapſi ſæpenumero oriri ex mala conſuetudine: nunquam vero & nuſpiam docet, non oriri niſi ex mala conſuetudine; quin potius contra Manichæos tradit ex innata nobis concupiſcentia profluere. Num Felix, quocum in acie S. Doctor conflixit, Manichæus non erat? Immo vero Manichæorum Electus & Doctor. Audi igitur contra Felicem Manichæum Auguſtinum non Pelagianum, ſed catholicum integerrimum tribuentem infirmitatem & impotentiam noſtram non ſolum malæ conſuetudini, verum etiam, eoque magis, malæ concupiſcentiæ, ex originali peccato nobis ingenitæ. Etenim lib.2. de Act.cum Felic.Manich. cap.8. pag.348.tom.8. Apoſtoli teſtimonio his verbis docet hereditariam nobis ex originali peccato concupiſcentiam: *Siquid*, inquit, *infirmitatis patiuntur, qui non poſſunt implere, quod volunt, unde Apoſtolus Paulus* (Rom.7.23.) *dicit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: manifeſtum eſt, hoc veniſſe de traduce primi peccati Adam, & de conſuetudine mala.* Eadem S.Doctor ſignificat diſp.2. contra Fortun. Manichæorum presbyterum pag.76. num.22. tom.8., cujus teſtimonium

nium exposui supra sub num.iv. Præterea tres Augustini de Libero Arbitrio libri contra Manichæos sunt. Jam vero lib.3. de Lib.Arb. cap.18. num.51. pag.468. tom.1. congestis Apostoli testimoniis ingenitam nobis concupiscentiam demonstrat, ex qua indeliberati motus in nobis turpes erumpunt: *Unde*, inquit, *sunt illæ voces* (Rom.7. 10.) *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Et illud, Velle, adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud* (Gal.5.17.) *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium*. Similia S. Doctor habet ibidem num.52. Similia sequenti cap.19. num.54. Pura igitur, atque mera Beausobrii calumnia est, qua Pelagianismi notam Augustino inurit, perinde ac si S. Doctor contra Manichæos disputans talem impotentiam hominis non tribueret supplicio hereditariæ in nobis concupiscentiæ, sed malæ dumtaxat peccandi consuetudini.

Peccata omnia animæ non libera, sed coacta Manichæi docuerunt, quod Beausobrius temere negat.

IX. Beausobrius supra commemorato cap.7. Histor. Dogmat. Manich. pag.440. tom.2. inquirit, quo sensu Manichæi dixerint, Animam cogi ad peccandum; deinde quæstionem dirimit affirmando Manichæos eo sensu locutos, quo Paulus ad Rom.7. 10. dixit: *Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*. Item ibidem v.23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati*. Id autem ut obtineat & clientes suos Manichæos a scelere sublatæ funditus libertatis vindicet, non pauca Manichæorum testimonia congerit, sed quæ ipsi maxime obsunt & adversantur, ejusque temeritatem luculentissime manifestant. Etenim ex illis ipsis testimoniis a Beausobrio productis eruitur, Manichæos omnem omnino animæ libertatem, tum quæ a necessitate, tum quæ a coactione dicitur, eamque ad omnes omnino actus turpes & flagitiosos funditus evertisse. Contra vero Paulus locis productis non loquitur, nisi de indeliberatis, & involuntariis motibus concupiscentiæ,

qui in poteſtate noſtra non ſunt, & fiunt in nobis etiam nolentibus & repugnantibus nobis. Jam vero teſtimonia ſingula a Beauſobrio producta expendamus. Fortunatus Manichæorum presbyter apud Auguſtinum diſp.2. pag.74. tom.8. *Inviti*, inquit, *peccamus, & cogimur a contraria & inimica nobis ſubſtantia*. Nullum hic Fortunatus peccatum, nullum ſcelus, nullum flagitium excludit, ad quod non inviti cogamur a contraria & inimica nobis ſubſtantia, nimirum ab anima mala particula æternæ naturæ malæ, quæ auctoribus Manichæis, in nobis eſt ſimul cum anima bona, particula æternæ naturæ bonæ. Item Fortunatus ibidem temere a Beauſobrio citatus pag.75. *Anima*, inquit, *bona factione illius, quæ legi Dei non eſt ſubjecta, peccare videtur, non ſua ſponte*: ſcilicet, Anima bona factione animæ natura ſua malæ, quæ idcirco legi Dei ſubjecta eſſe non poteſt, quidquid peccat, peccare videtur non ſua ſponte, ideſt invita, & coacta peccat. Præterea Secundinus a Beauſobrio male citatus apud Auguſtinum num.2. pag.369. tom.8. hæc habet: *Carnis commiſtione ducitur anima, non propria voluntate*: ſcilicet, Anima hominis bona quidquid peccat, non voluntate propria, ſed commiſtione carnis naturaliter malæ invita & coacta rapitur ad peccandum. Hinc paulo ſupra conſentanea ſententia ſubdit: *Anima non punitur, quia peccavit*. Poſtremo ipſamet Manichæi verba Beauſobrius producit a Juliano contra Auguſtinum objecta lib.3. Oper. Imperf. num.187. pag.832. tom.10, quæ Manichæi ſunt; *Videſne concupiſcentiam mali eſſe originem, per quam miſeræ animæ libidini ſerviunt, non ſponte, quia hoc eſt quod nolente animo gerimus ſolum?* At enim verbis his Manichæus contendit, malam hominis concupiſcentiam, ſubſtantiam eſſe naturaliter malam, quæ cauſa neceſſaria eſt, per quam miſeræ animæ non ſponte ſua, ſed nolentes, atque coactæ libidini ſerviunt, & peccant.

De concupiſcentia Manichæi a doctrina Apoſtoli maxime diſcrepabant.

X. Diſcordiam igitur carnis & ſpiritus ab Apoſtolo ſignificatam verbis illis Galat.5.17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus autem adverſus carnem*: *hæc*

enim

enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis; itemque Rom.7. 19. & 23. aliisque locis, Manichæi interpretabantur de lucta inter duas in homine animas & naturas, bonam unam, partem æternæ naturæ bonæ; malam alteram, partem æternæ naturæ malæ. Cum autem Pelagianus Julianus lib.3. Oper. Imperf. num.178. pag.330. tom.10., Augustino exprobrasset Manichæam illius sententiæ interpretationem, tres exhibet S. Doctor de commemorata discordia sententias: quarum prima est Ambrosii cum Catholica Ecclesia, Pelagianorum altera, tertia Manichæorum. Audiatur: *Discordiam carnis & spiritus esse in hominibus nec nos dubitamus, nec vos, nec Manichæi; sed unde sit in homine uno ista discordia, inde dissensio est; & tres proferuntur in hac dissensione sententiæ, una nostra, vestra altera, tertia Manichæorum. Dicit Ambrosius, hanc discordiam carnis & spiritus per prævaricationem primi hominis accidisse nostræ naturæ. Vos autem dicitis, Ex vi consuetudinis. Manichæi dicunt, Ex commistione duarum naturarum, boni scilicet & mali.* Itaque ex effrænata concupiscentia originalis peccati pœna catholici cum Ambrosio; ex mala peccandi consuetudine Pelagiani; ex commistione duplicis contrariæ naturæ bonæ, atque malæ in uno eodemque homine Manichæi discordiam illam, de qua Paulus, quamque experimur in nobis, exoriri dicebant. Ex hac autem commistione duplicis contrariæ naturæ, duplicis in uno homine animæ, quarum una vi & natura sua bona erat, altera similiter mala, necessario in Manichæorum fabula consequebatur, peccata hominis quædam esse solius animæ malæ; quæ vero animæ bonæ erant, ipsi libera omnino non esse. Quod ad peccata pertinet primi generis, quæ solius animæ malæ sunt, hæc de seipso Augustinus, cum Manichæus esset, testatur lib. 5. Confess. cap.10. num.18. tom.1. *Adhuc enim mihi videbatur non esse nos, qui peccamus, sed nescio quam aliam in nobis peccare naturam; & delectabat superbiam meam extra culpam esse, & cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam meam, quoniam peccabat,*

Peccata hominis quædam esse solius animæ malæ; quæ vero animæ bonæ, ipsi libera omnino non esse, Manichæi docuerunt.

cabat tibi; sed excusare eam amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecum esset & ego non essem. Hanc autem fuisse Electorum sententiam, qui Manichæis ceteris doctrina præstabant, Augustinus lepido dialogismo in Psal. 140. num. 10. tom. 4. confirmat. Audiatur: *Qui sunt isti Electi? Quibus si dixeris, Peccasti, statim illam defensionem impiam, & pejorem ceteris, magisque sacrilegam proferunt. Non ego peccavi, sed gens tenebrarum. Et ipsa peccat, cum tu peccas? Ipsa, quia commistus sum illi. Nos animæ de ipsis membris Dei sumus, sed premimur hìc visceribus gentis tenebrarum, & quidquid peccare dicimur, illa gens peccat:* idest anima mala, quæ pars gentis tenebrarum est. Quod autem pertinet ad peccata animæ bonæ, tunc se peccare Manichæi dicebant, cum natura mali, qualis est anima mala, viribus prævalebat naturæ Dei, qualis est anima bona: *Tunc se peccare dicunt*, inquit Augustinus lib. de Continen. cap. 5. num. 14. tom. 6. *quando natura mali prævalet naturæ Dei. Hæc est Manichæorum immundissima insania.* Eadem Fortunatus, Secundinus, & Manichæus ipse supra commemorati, apud Augustinum confirmant.

De vi & coactione eodem sensu quo Paulus & Augustinus Manichæos locutos esse Beausobrii mendacium est.

XI. Manichæos de vi & coactione eodem sensu locutos esse, quo Paulus & Augustinus Beausobrius contendit loco supra commemorato pag. 440., & 441. Quod ut obtineat hæc Augustini verba ex lib. 1. de Nup. & concupisc. cap. 6. num. 7. pag. 190. tom. 10. affert: *Et aliquando non facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente.* Item ejusdem verba ex lib. 4. contra Julian. cap. 14. num. 65. pag. 406. tom. 10., quæ talia sunt. *Libido sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Ipse vero sapientissimus judex Beausobrius sententiam hanc de vi & coactione pronuntiat: *Quando ratio cedit, non libenter cedit, sed a violentia libidinis trahitur.* Addit Manichæos in hoc errasse, quod putarent malum dæmonem auctorem esse concupiscentiæ. Jam vero, de vi & coactione eodem sensu quo Paulus & Augustinus Manichæos locutos esse, pu-

purum & merum mendacium Beausobrii est. Paulus enim & Augustinus nonnisi indeliberatos concupiscentiæ motus, ob jacturam originalis integritatis, coactos & violentos nobis esse docent. Extant hac de re præclarissima Apostoli testimonia supra commemorata. His multo plura Augustini sunt. Ne autem in re non dubia testimoniis utar non necessariis, unum dumtaxat depromo ex lib. 3. contr. Julian. cap. 13. num. 27. tom. 10. Cum enim dixisset Julianus ad arbitrium honesti hominis pertinere modum concupiscentiæ præscribere, ad hæc Augustinus, *Si modus*, inquit, *appetitus hujus ad arbitrium pertinet honestatis, cujus tandem honesti arbitrium conjugati velit hunc appetitum, nisi quando opus est, commoveri? Et tamen quod vult non potest. Cujus honesti continentis arbitrium velit aliquando hunc appetitum moveri? Et tamen quod vult non potest*. Contra vero Manichæi omnes omnino actiones turpes & flagitiosas, nulla prorsus excepta, quibus animæ libidini serviunt, non spontaneas sed coactas esse affirmabant, easque solas esse, quas animo nolente facimus. Hæc enim verba Manichæi sunt apud Augustinum lib. 3. Oper. Imperf. num. 187. pag. 832. tom. 10. *Videsne concupiscentiam mali esse originem per quam miseræ animæ libidini serviunt non sua sponte; quia hoc est quod nolente animo gerimus solum?* Usum conjugii inter actiones turpes & flagitiosas Manichæus numerabat. Hinc talem usum, Apostolum pessime interpretando, non voluntarium, sed coactum esse perquam absurde dicebat. Hæc enim ibidem num. 177. pag. 829. de conjugibus Manichæus habet: *Animo nolente coeunt. Cujus rei gratia ait Apostolus, Non est volentis, ut subadiatur hoc opus*. Rursum Manichæus ibidem: *Sive bonum*, inquit, *geramus, non est carnis, . . . sive malum geramus, non est animæ*. At enim si non est animæ, & ad animam nequaquam pertinet ullum malum, quod facimus, nulla mala, nulla peccata sunt animæ voluntaria, nulla spontanea. Sed omnia violenta, & coacta. Eadem Fortunatus Manichæorum presbyter frequenter inculcat, ut demonstratum est supra.

XII. Quod

Coactionem a Manichæis propugnatam Augustinus non docuit.

XII. Quod ad testimonia Augustini a Beausobrio deprompta pertinet, quibus Manichæam coactionem probare nititur, refero non detruncatum, sed integrum primum S. Doctoris locum ex lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 6. num. 7. tom. 10. qui est hujusmodi: *Ubi ventum fuerit ut filii seminentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed expectatur, ut ea velut sui juris libido commoveat: & aliquando non facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente*. His verbis nihil aliud Augustinus significat, nisi partes corporis ad procreandum datas ad libidinis potius, quam ad voluntatis imperium excitari. Quid hic de Manichæa coactione, quæ, auctoribus Manichæis, omnes omnino flagitiosas actiones suo subdit imperio? Alterum Augustini testimonium a Beausobrio productum extat lib. 4. contra Julian. cap. 14. num. 65. pag. 406. tom. 10. quod tale est: *Libido sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit*. Ergo ex Augustino a libidine, seu mala concupiscentia ita ad sentiendum impellimur, ut in nostra potestate sit concupiscentiæ consentire vel repugnare. Contra vero in Manichæorum sententia ad consentiendum concupiscentiæ necessitamur; nec in nostra potestate est concupiscentiæ consentire, vel repugnare. Ad illud vero Beausobrii, *Quando ratio cedit, non libenter cedit, sed a violentia libidinis trahitur*, dico deterrimam hanc ejus esse sententiam. Ratio enim, seu voluntas boni malique notitia illustrata, sæpenumero, quinetiam plerumque illecebris voluptatis illecta, libenter libidini cedit, in quo non admodum intolerabilis error Beausobrii est. Quod autem voluntas a violentia libidinis ad consensionem trahatur, tolerari omnino non potest. Nihil enim violentiam inferre voluntati potest. Ad illa Beausobrii verba, *Errabat Manichæus, quia putabat malum dæmonem auctorem & causam esse concupiscentiæ*, respondeo vel errat, vel mentitur Beausobrius affirmando, Manichæum existimasse malum dæmonem auctorem & causam esse concupiscentiæ.

Concupiscentiæ vel consentire, vel repugnare in nostra potestate juxta Augustinum est.

A concupiscentiæ violentia voluntatem ad consensionem trahi absurditas Beausobrii est.

Concupiscentiæ auctorem juxta Manichæos non esse malum dæmonem ex Augustino contra Beausobrium demonstratur.

tiæ. Etenim Manichæus cum discipulis suis docebat, concupiscentiam nihil aliud esse nisi ipsummet malum dæmonem, quem & malam in nobis animam de tenebrarum gente, & æternam naturam mali esse dicebat, humanæ partem naturæ. Cum enim Julianus assidue Augustino exprobraret Manichæorumde concupiscentia sententiam, S. Doctor quæ & qualis esset apud Manichæos concupiscentia; & quantum Catholici a Manichæis discrepent in doctrina concupiscentiæ his verbis declarat, lib. 3. Oper. Imperf. num. 176. pag. 829. tom. 10. *Spiritum concupiscentiæ Manichæi substantiam dicunt esse malam, non vitium substantiæ bonæ*. Item ibidem num. 177., *Nos carnis concupiscentiam non substantiam naturæ malæ esse dicimus, quod dicunt Manichæi; sed dicimus eam esse vitium substantiæ bonæ, quod in nostram naturam per prævaricationem primi hominis versum est, quod dicunt catholici christiani*. Rursum ibidem num. 186., *Manichæus concupiscentiam, quod sæpe inculcatum est, non vitium substantiæ bonæ, sed malam vult esse substantiam*. Tandem tres de concupiscentia sententias Augustinus refert, Manichæorum primam, alteram Pelagianorum, Catholicorum tertiam lib. 2. contr. duas epist. Pelagian. cap. 2. num. 2. pag. 285. tom. 10. *Manichæi*, inquit, *carnis concupiscentiam non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab æternitate malam vituperant. Pelagiani eam tanquam nullum vitium, sed naturale sit bonum insuper laudant. Catholica utrosque redarguit, Manichæis dicens, Non natura, sed vitium est. Pelagianis dicens, Non a Patre, sed ex mundo est*.

XIII. In Manichæorum hypothesi incolumem servari justitiam Dei mendax Beausobrius affirmat lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 2. pag. 441,, & 443. tom. 2. quo nihil alienius e veritate affirmari poterat. Etenim in Manichæorum hypothesi Deus punit animas ab origine innoxias & sanctas propter peccata ipsis prorsus necessaria & involuntaria. Objecerat Felici Augustinus lib. 2. cap. 7. pag. 348. tom. 8. Manichæorum Deum crudelem esse, & immanem, atque idcirco in-

Beausobrii mendacium est, Manichæorum hypothesim in tuto collocare justitiam Dei.

justum, quod animas, quæ nihil mali sua sponte commiserant, tenebrarum globo affigendas & excruciandas perpetuo traderet. *Finis*, inquit, *doctrinæ vestræ quis est? Quis, nisi quia non potuit Deus totum purgare? Et quia non potuit, facturum inde dicitis velut tectorium genti tenebrarum, ut ibi in æternum damnetur quod purgare non potuit, & nihil sua sponte commisit. Ita fit ut Deus vester partem suam misceat infeliciter, purget turpiter, damnet crudeliter*. Quid ad hæc Felix? Confirmat talem esse Magistri sui Manichæi doctrinam, quam Christi exemplo temere & impie vindicare nititur, *Si crudele est*, inquit ibidem sequenti cap. 8., *quod Manichæus dixit, Quia aliqua pars Dei, quæ se purgare non potuit, in globo ligata est; hoc crudele non est, ut Christus qui dixit, Ego propter peccatores veni, modo ad ignem æternum illos mittat, cujus nomen portaverunt?* Itane vero in tuto collocatur justitia Dei affirmando bonam animam particulam boni Dei, quod a Deo suo mundari a labe prorsus non sua nulla ratione potuit, perpetuo tenebrarum globo excruciandam affigi? At hoc illud est, quod Manichæi docebant, quodque Augustinus Fausto Manichæorum episcopo exprobravit lib. 13. cap. 6. pag. 182. tom. 8. *Quid fecit*, inquit, *anima misera, ut in globo tenebrarum perpetuo vinculo puniatur, quæ non suo vitio, sed alieno maculata Deo suo deficiente mundari non potuit, quo mittente polluta est?* Id ipsum Augustinus confirmat libro contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 7. tom. 8., cujus hæc verba sunt. *Manichæi dicunt, Deum genti tenebrarum æternum carcerem præparare, quam dicunt esse inimicam Deo. Et parum est, sed eum etiam sua membra simul cum ipsa gente puniturum esse affirmare non dubitant*. Item lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 13. tom. 8. narrat Augustinus Manichæos docere, *Substantiam istam mali, finito isto sæculo, post conflagrationem mundi, in globo quodam tanquam in carcere sempiterno esse victuram. Cui globo affirmant accessurum semper & adhæsurum quasi coopertorium atque tectorium ex animabus natura quidem bonis, sed*

sed tamen quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari. Manifestum est igitur Manichæos non modo Dei justitiam in tuto non collocasse, sed etiam omnem divinæ justitiæ rationem in infligendis pœnis funditus sustulisse.

XIV. Manicheos docuisse animam in statu gratiæ liberam esse, novis fraudibus & mendaciis Beausobrius contendit lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 2. pag. 442., & 443. tom. 2. Quod ut obtineat, affirmat Fortunatum Manichæorum presbyterum docere, in animæ potestate esse malo resistere, illudque vincere. Item citat pro se Evodium apud Aug. in Append. ad tom. 8. lib. de Fide cap. 5., & 6. pag. 25. Præterea Augustinum lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 3. pag. 346. tom. 8. Tandem Manichæum ipsum apud Augustinum ibidem cap. 5. pag. 347. Ad hæc mendacia dico, in libera hominis potestate esse malo resistere, illudque vincere nec Fortunatus, nec Manichæorum ullus unquam docuit. Fortunatus quidem apud Aug. disp. 2. pag. 74. tom. 8. hæc docet, *Si originem non haberet quod cogitamus delicta facere, non cogeremur ad peccatum venire, vel ad delictum. Nam quia inviti peccamus, & cogimur a contraria, & inimica nobis substantia, ideo sequimur scientiam rerum*. Quid autem præstet hæc rerum scientia his continuo verbis explicat Fortunatus, *Qua scientia admonita anima, & memoriæ pristinæ reddita recognoscit ex quo originem trahat, in quo malo versetur, quibus bonis iterum emendans, quod nolens peccavit, possit per emendationem delictorum suorum, bonorum operum gratia meritum sibi reconciliationis apud Deum collocare*. Itaque hujus beneficio scientiæ, Fortunato auctore, habet quidem potestatem anima dolendi de peccatis præteritis, eaque emendandi; minime vero se continendi a peccatis futuris, in quæ invita cogitur a contraria secum commista natura. Hinc ibidem sequenti pag. 75., *Hoc nos*, inquit, *dicimus, quod a contraria natura anima cogatur delinquere*. Item ibidem, *Patet*, inquit, *quod anima bona factione illius*, (idest animæ malæ) *quæ legi Dei non est*

Libertatem animæ in statu gratiæ Manichæos docuisse novum Beausobrii mendacium est.

Libertas hominis apud Manichæos nulla, sed summa potius necessitas & coactio.

subjecta, peccare videtur, non sua sponte. Profecto si non sua sponte peccat, re vera non peccat, sed dumtaxat peccare videtur. Hæc est præclara Fortunati de libertate doctrina a Beausobrio mirifice laudata. Venio nunc ad Evodium temere & fraudolenter a Beausobrio citatum. Is loco indicato nihil aliud significat, nisi Manichæum libro secundo Thesauri sui nolentem imprudentemque, & eorum, quæ alias sæpe docuerat, prorsus immemorem, sibique turpiter repugnantem, verbis quæ imprudenti nolentique exciderant, libertati animæ suffragatum esse. Ecce Evodii verba a Beausobrio citata: *Ipse etiam Manichæus non potuit nisi fateri, animas quas dicit ad substantiam Dei pertinere, propria voluntate peccare.* Mox Evodius recitatis Manichæi verbis quibus libertas animæ vel a nolente significatur, Manichæos alloquens, *Rogo vos*, inquit, *ubi audiuntur hæc verba, dubitatis adhuc Manichæum adactum esse confiteri, esse peccatum propriæ voluntatis?* Jam vero si adactus est Manichæus, si non potuit nisi fateri peccatum animæ voluntarium, nolens, invitus, imprudens, & secum ipse pugnans hanc veritatem confessus est. Manichæi vero magistri sui doctrinæ adhærentes pertinaciter & præfracte peccata animæ voluntaria negabant. Itaque Evodius recitatis Manichæi verbis, quæ veritas ab eo nolente extorserat, sic Manichæos redarguit. *Et vos dubitatis dicere propria voluntate peccari?* Negatum autem a Manichæis liberum animæ arbitrium his præclarissimis verbis testatur Evodius stulte ac temere a Beausobrio citatus, sequenti cap. 9. commemorati libri de Fide. *Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est: & pœna infligitur justitia Dei, quæ nihil facit injustum. Adversus hæc solita cæcitate Manichæi latrant, & cum convincuntur naturam non esse malum, sed in potestate esse hominis facere bene, aut male; dicunt, non esse animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem suam. Quis enim non clamet, stultum esse præcepta dari ei, cui liberum non est quod præcipitur facere; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias miseri non intelligunt se Deo adscribere.*

Voluntarium esse peccatum, imprudens sibique repugnans quandoque Manichæus significavit.

Liberæ voluntatis animam esse Manichæi negabant.

XV. Quod

XV. Quod ad S. Auguſtinum pertinet, is locis a Beauſobrio commemoratis contra Manichæos liberum negantes arbitrium, ex illis ipſis Manichæi verbis, quæ neſcienti quid loqueretur exciderant, liberi arbitrii hominem eſſe demonſtrat. Etenim, Auguſtino teſte, Manichæus quidem nova fabula a ſe excogitata liberum arbitrium hominis funditus ſuſtulit: at non potuit efficere, quo minus veritas quæ lucet ipſa per ſe, & naturalis notio quæ hominibus omnibus ineſt, interdum arbitrii liberi confeſſionem ab incauto nec volente, nec advertente extorquerent. Audiatur S. Doctor loco a Beauſobrio ſupra producto: *Eſſe*, inquit, *liberum arbitrium, atque inde peccare quemque ſi velit, non peccare ſi nolit, non ſolum in divinis ſcripturis, quas non intelligitis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi veſtri probo. Circumcluſus enim vidit potentiam veritatis contra quam conatus fuerat aliam naturam, quam non fecit Deus, contra Deum inducere, non ſolida veritate, ſed inani phantaſmate: tamen ad confitendum verum de libero arbitrio plus in eo valuit natura humana, in qua eum Deus effecit, quam fabula ſacrilega quam ſibi ipſe confinxit.* Mox S. Doctor locum ipſum Manichæi exhibet ex ejus libro, qui Theſaurus inſcribitur, in quo quamvis nolens, imprudens, & aliud ſpectans, naturæ voce, quæ in ipſo locuta eſt, arbitrium liberum indicavit, & Felicem alloquens, *Audi ergo jam*, inquit, *quemadmodum Manichæus ipſe tam perverſus, tam ſuperbus confeſſus ſit tamen eſſe liberum arbitrium. In Theſauro veſtro ſic certe loquitur, quod & tu ipſe cognoſcis*. Verba autem Manichæi ex ejus Theſauro deprompta arbitrium liberum ſignificantia, ab Auguſtino ibi relata ſunt hæc: *Qui legem ſibi a ſuo liberatore datam plenius ſervare noluerint*. Quibus recitatis ſic continuo proſequitur S. Doctor, *Vides in his verbis confirmatum eſſe etiam a neſciente quid loqueretur liberum arbitrium*. Tandem his verbis S. Doctor Felicem aggreditur, & ceteros omnes Manichæos negantes arbitrium liberum, quos, quamvis invita ipſiuſmet Manichæi confeſſione, redarguit, qua ſibi repugnans dixerat, *Qui ſervare legem*

Libertatis confeſſionem naturalis ratio a Manichæio, etſi nolente extorſit.

noluerint. His objectis, & atque propositis, *Qui servare legem*, inquit, *non vult, in potestate ejus est si velit. Non enim (Manichæus) dixit, non potuerint, sed noluerint. Hoc certe quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum coguntur: Si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt. Si autem nolunt, non utique coguntur ut non faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate est ut nolint, peccatum est sine aliqua necessitate gentis tenebrarum. Hoc agnosce esse peccatum sine necessitate gentis tenebrarum: & inde vides, unde veniant omnes culpæ, unde merita culparum, unde distributiones pœnarum*. Nimirum ex libera hominis voluntate, sine qua nullæ sunt culpæ, nulla culparum merita, nullæ justæ pœnarum distributiones. Patefactæ sunt igitur Beausobrii fraudes atque mendacia, quibus, malitiose productis Evodii & Augustini testimoniis de Manichæi loco, suadere contendit, Manichæos docuisse, animam in statu gratiæ liberam esse.

Necessitas peccandi nulla, qua posita, nulla esset vera culpa, nulla justa pœna.

XVI. Notionem Systematis Manichæorum de libero arbitrio lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 2. pag. 447. tom. 2. tradere se Beausobrius arbitratur; seque hac de re plura demonstrasse censet: & ut homo verecundus est, *Nisi fallor*, addit. Jam vero multa quæ se demonstrasse existimat hoc loco Beausobrius, utpote manifeste falsa nec demonstravit, nec demonstrare unquam potuit. Bene vero, quod exceptionem illam adhibuit, *Nisi fallor*. Fallitur enim 1. affirmando Manichæos agnovisse animam ab origine sua, & in suæ innocentiæ statu potestatem habuisse resistendi malo, illudque vincendi. Profecto nec Deus ipse Manichæorum, cujus partem animam esse dicebant, eam potestatem habuit, qui cum gentis tenebrarum impetum sustinere non posset, ut sibi consuleret, objecit ei animam, partem naturæ suæ, cujus commistione frænaretur furor gentis illius malæ, ne iterum in regnum suum posset irrumpere. Fert enim Manichæa fabula, teste Augustino lib. de vera relig. cap. 9. num. 16. pag. 562. tom. 1. *Gentem tenebrarum quodam tempore adversus Deum rebellasse; Deum autem cum aliud facere non*

Animam in suæ innocentiæ statu potestatem non habuisse resistendi malo, illudque vincendi Manichæi docuerunt.

non haberet, & quomodo aliter posset resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, & quamdam particulam suæ substantiæ, cujus commistione atque miscela hostem superatum esse somniant. Itaque si Manichæorum Deus potestatem non habuit resistendi malo, illudque vincendi; multo magis hac potestate caruit anima bona, quando instar partis ante separationem sui cohærebat Manichæorum Deo. Fallitur 2. affirmando Manichæos censuisse animam post suum lapsum potestatem resistendi malo non omnino amisisse, sed usum dumtaxat hujusmodi potestatis. Si enim anima post suum lapsum, idest, post commistionem sui cum æterna natura mala, ab hac natura coacta, nolens, & invita peccat, non modo potestate resistendi malo, sed usu quoque caret hujusmodi potestatis. At vero animam invitam, nolentem, & coactam ab æterna natura mala, qua cum est permista, peccare, Manichæi, ut sæpenumero demonstravimus, docuerunt. Fallitur 3. affirmando Manichæos censuisse Jesu Christi Evangelium ab hac servitute, idest a peccandi necessitate, animam liberare. Etenim Secundinus Manichæorum Auditor apud Augustinum pag. 369. num. 2. tom. 8. ad quem inepte, stulte, ac temere Beausobrius provocat, hæc sunt quæ docet: *Si cum seipsam cognoverit*, (Anima) *consentiat malo, & non se armet contra inimicum, voluntate sua peccavit. Quam si iterum pudeat peccasse, paratum inveniet misericordiarum auctorem. Non enim punitur quia peccavit, sed quia de peccato non doluit*. Ex his Secundini, rudis & illiterati hominis, teste Augustino, verbis, nihil aliud eruitur, nisi animam, post acceptam beneficio Manichæi Evangelii Manichæam non veritatem sed falsitatem, falsamque sui notitiam, liberam esse libertate a coactione, quoniam, ut inquit, *Sua voluntate peccavit*: non autem liberam esse libertate ab irresistibili necessitate, quoniam: *Non punitur*, ut inquit, *quia peccavit, sed quia de peccato non doluit*. Profecto si libera ab irresistibili peccandi necessitate peccasset anima, non solum quia non doluit, quin etiam, eoque magis, quia peccavit, pu-

Animam post suum lapsum & potestatem & usum resistendi malo amisisse Manichæi docuerunt.

Animam post acceptam notitiam veritatis beneficio Evangelii libere quidem dolere, non autem libere peccare Manichæi docuerunt.

punienda erat. Itaque, Secundino auctore, Jesu Christi Evangelium nequaquam a peccandi necessitate liberat animam, in cujus potestate adhuc non est non peccare, sed dolere dumtaxat quod peccaverit. In his omnibus si non mentitur, ut solet, certe fallitur Beausobrius.

De libero arbitrio a Manichæis negato quæstio agitata est inter illos & orthodoxos,

XVII. Mendaciis referta sunt, quæ Beausobrius persequitur lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 2. pag. 447., & 448. tom. 2. Singula ordinatim refero & refello. Mendacium 1. Manichæos inter & Orthodoxos non agitabatur quæstio de libero arbitrio, quod Manichæus nunquam negavit. Mentitur hic more suo Beausobrius. Augustini libri contra Manichæos editi, & disceptationes cum Manichæis habitæ copiosissimis validissimisque argumentis redundant, quibus S. Doctor contra Manichæos, maxime vero contra Fortunatum, apertissimum humanæ libertatis adversarium, liberum demonstrat arbitrium. In re non dubia paucis testimoniis nec necessariis utor. Lib. 1. retract. cap. 9. num. 3. pag. 9. tom. 1. hæc S. Doctor de suis contra Manichæos editis de libero arbitrio libris testatur: *In his libris dixi pro libero arbitrio, quia illius disputationis causa poscebat*. Præterea lib. 2. retract. cap. 8. pag. 32. tom. 1. hæc habet: *Contra Manichæum quemdam nomine Felicem, presente populo in Ecclesia biduo disputavi. Duo libri sunt, in quorum secundo disputatum est de libero voluntatis arbitrio sive ad malum operandum, sive ad bonum*. In hoc autem lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 3. pag. 346. tom. 8. contra Felicem Manichæorum Electum negantem arbitrium liberum sic disputat: *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis scripturis, quas non intelligitis; sed etiam in verbis ipsius Manichæi vestri probo*. Mox recitatis Manichæi verbis, quibus significatur peccatum voluntarium, quæque imprudenti, nec advertenti, ejusque doctrinæ contraria exciderant, sic contra Felicem concludit: *Vides in his verbis confirmatum esse a nesciente quid loqueretur liberum arbitrium*.

XVIII. Men-

XVIII. Mendacium 2. Manichæi dicebant malum æternæ substantiæ proprietatem esse, seu malam qualitatem, perpetuo materiæ inhærentem. Mentitur iterum Beausobrius. Manichæi dicebant æternam quamdam esse naturam malam, malam substantiam, malam natura sua materiam, quam & Hylen, & malum naturaliter dæmonem appellabant; non autem proprietatem, & qualitatem malam inhærentem materiæ. S. Augustinus lib. de Hæres. ad Quovultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. hæc de Manichæi sententia litteris commendavit: *Manichæus duo principia inter se diversa & adversa, eademque æterna & coæterna, duasque naturas boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est*. Faustus Manichæorum episcopus apud Augustinum lib. 21. pag. 249. tom. 8. *Duo*, inquit, *principia confitemur, sed unum ex his Deum vocamus, alterum Hylen, aut, ut communiter & usitate dixerim, Deum*. Et paulo infra, *Vim omnem maleficam Hylæ assignamus, & beneficam Deo, ut congruit*. Item Felix Manichæorum Electus apud Augustinum lib.2. de Act. cum Fel.Manich.cap.2. pag. 345. tom. 8. *Manichæus dicit duas esse naturas, & modo inde culpatur, quia dixit duas esse, bonam & malam*. Præterea Augustinus lib. 1. de Mor. Eccl. Cathol. cap. 10. num. 16. tom. 1. *Cum exceptione*, inquit, *vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim Deos unum bonum, alterum malum esse perhibetis*. Postremo Tyrbo Manichæi discipulus apud Archel. pag. 9. edit. Zacagn. *Si fidem*, inquit, *Manetis discere a me vultis, breviter audite. Hic duos Deos colit innatos, ex semetipsis extantes, æternos, unum uni adversantem; & alterum quidem bonum, alterum autem malum introducit*. Exploratum est igitur Beausobrii mendacium, scilicet, Manichæi dicebant, malum eternæ substantiæ proprietatem esse, seu malam qualitatem, perpetuo materiæ inhærentem.

Naturam æternam malam contrariam æternæ naturæ bonæ Manichæi statuerunt.

XIX. Mendacium 3. Patres arbitrati sunt, primum hominem creatum fuisse in quodam æquilibrio bonum inter & malum. Mentitur, 3. Beausobrius. Primus ho-

Arbitrium Adami liberum in statu innocentiæ non

non fuit æquilibrium inclinationis bonum inter & malum: æquilibrium autem indifferentiæ omnium hominum commune est.

homo in prima sui origine, & in statu innocentiæ ornatus a Deo munitusque fuit gratuito integritatis dono, cujus divini muneris beneficio, nullam omnino ad malum, magnam autem ad bonum inclinationem propensionemque in seipso sentiebat. Quare æquilibrium inclinationis bonum inter & malum, quo nec in bonum, nec in malum, aut in utrumque æque inclinaret, in homine primo, originali innocentia prædito, omnino non fuit. De primo homine in originalis innocentiæ statu hæc Augustinus tradit lib. de Correp. & Grat. cap. 11. num. 29. pag. 506. tom. 10. *Quid ergo Adam non habuit* Dei *gratiam? Immo vero habuit magnam, sed disparem*, nimirum a nostra gratia. *Ille nulla rixa de seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Itaque, Augustino teste, gratia Adami in primo innocentiæ statu gratia pacis fuit, qua nihil in malum, quocum pugnaret, inclinabatur; maxime vero in bonum, in quo quiesceret, propendebat. Item de primo homine in statu innocentiæ condito ibidem cap. 12. num. 37. pag. 509. hæc S. Doctor habet. *Tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi in seipso concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, & tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Nimirum liberum a necessitate gratiæ ad pugnam necessariæ. Æquilibrium autem indifferentiæ, quo nec in bonum, nec in malum irresistibiliter homo impellitur, non singulare primi hominis in statu innocentiæ donum fuit, sed commune omnium hominum beneficium est, etiam in statu naturæ lapsæ.

Animam partem esse divinæ naturæ Manichæi docuerunt.

XX. Mendacium 4. Anima juxta Manichæos pars est cœlestis substantiæ. Mentitur 4. Beausobrius. Manichæi non cœlestis substantiæ a Deo conditæ partem, sed ipsiusmet naturæ divinæ partem animam esse docuerunt. S. Augustinus lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. hæc de animarum natura in Manichæorum fabula narrat: *Ex his suis fabulis vanis atque impiis cogun-*

guntur dicere animas bonas, quas censent ab animarum malarum, naturæ scilicet contrariæ, commistione liberandas, ejus cujus Deus est esse naturæ. Præterea lib. 1. retract. cap. 15. num. 1. pag. 17. tom. 1. hæc Augustinus testatur. *Scripsi adbuc presbyter contra Manichæos de duabus animabus, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coæterna: & has ambas animas, unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant: & omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt.* Hanc magistri sui sententiam esse Felix Manichæorum Electus ultro fatetur apud Augustinum lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 20. pag. 353. tom. 8. cujus hæc verba sunt, *Manichæus dicit, quia polluta est pars Dei; & Christus dicit, quia polluta est anima, & venit liberare illam de pollutione.* Cui confestim Augustinus respondet ibidem pag. 354. *Anima non est pars Dei. Nam jam tu confessus es, quia Manichæus dixit, pollutam partem Dei: nos autem dicimus pollutam animam ex voluntate peccati: non esse autem animam partem Dei, non de Deo genitam, sed a* Deo *factam.* Perspicuum est igitur Beausobrii mendacium.

Concupiscentiam malam hominis animam esse pugnantem cum ejus anima bona Manichæi docuerunt.

XXI. Mendacium 5. Manichæi de concupiscentia loquebantur ut Paulus. Mentitur 5. Beausobrius. S. Augustinus lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, hæres. 46. pag. 13. tom. 8. quid, & quomodo de concupiscentia locuti sint Manichæi his verbis testatur: *Carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem; sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, separetur a nobis, & in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat: easque duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Profecto intolerabiles hujusmodi Manichæorum absurditates nunquam in mentem Pauli venerunt. Manifestum est igitur Beausobrii mendacium.

Ignorantia & concupiſcentia non impediunt animam quo minus malo culpæ reſiſtat, cui reſiſtere poteſt, ſi velit.

XXII. Mendacium 6. Ignorantia & concupiſcentia impediunt animam ne uſum faciat ſuæ libertatis. Mentitur 6. Beauſobrius. Libertas animæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ non eſt libertas carendi pœna, qualis eſt ignorantia & concupiſcentia, ſed eſt libertas reſiſtendi culpæ. Uſus autem libertatis hujus non eſt exemptio a malo pœnæ, ſed reſiſtentia contra malum culpæ. Atqui nec ignorantia nec concupiſcentia impedire animam poſſunt, quominus malo culpæ reſiſtat, ſi velit; nec impedire poſſunt, quo minus velit. Etenim S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. contra Manichæos negantes arbitrium liberum diſputans cap. 18. num. 50. pag. 468. tom. 1. hæc declarat: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene. Quæcunque iſta eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem. Caveri igitur poteſt.* Hoc Auguſtini loco abuſus Pelagius eſt in quodam libro a ſe edito in laudem humanæ naturæ contra neceſſitatem divinæ gratiæ. Cui Auguſtinus reſpondet lib. de nat. & Grat. contra Pelagium cap. 66. num. 80. pag. 108. tom. 10. ubi iterum, iterumque confirmat quæ loco illo de libero arbitrio contra Manichæos docuerat: nec aliud addit contra Pelagium, niſi divinæ gratiæ neceſſitatem, quam Pelagius negabat, a ſe prætermiſſam contra Manichæos, quibuſcum nulla erat controverſia de Gratia. Audiatur S. Doctor loco ſupra commemorato: *Poteſt ergo & cauſæ, quæcumque illa eſt, reſiſti. Poteſt plane. Nam in hoc adjutorium poſtulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem: quod adjutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caveri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli.* Itaque, Auguſtino teſte, ignorantia & concupiſcentia non impediunt animam, ne uſum faciat ſuæ libertatis reſiſtendo malo culpæ, quæ reſiſtentia ad uſum pertinet illius libertatis,

tis, quam habet anima in hoc ſtatu naturæ lapſæ conſtituta. Inſigne eſt igitur ſuperius Beauſobrii mendacium.

XXIII. Mendacium 7. Patres, & Auguſtinus, ſibi ſuaſerunt, hominem in quocumque ſtatu verſetur pari poteſtate & bonum & malum facere poſſe. Mentitur 7. Beauſobrius. Nec Patres, nec Auguſtinus, ſed Pelagiani, quos Auguſtinus redarguit, ſibi ſuaſerunt hominem, in quocumque ſtatu verſetur, poteſtate pari bonum malumque facere poſſe. Teſtem locupletiſſimum Auguſtinum ipſum produco. Is epiſt. 186. ad Paulinum, quem de Pelagianis erroribus certiorem facit, cap. 10. num. 24. tom. 2., hæc de Pelagio teſtatur: *Ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiat*. Item lib, 3. Oper. Imperf. num. 114. tom. 10. contra Julianum Pelagianum ſtatuentem in hoc ſtatu hominem in æquilibrio inclinationis verſari bonum inter & malum, paribus hinc illinc momentis ſuſpenſo, ut non magis in unam, quam in alteram partem propendeat, hæc habet: *Hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera, vergendo in unam partem* (ideſt in malum) *te indicat delirantem*. S. Proſper epiſt. inter Auguſtinianas 225. num. 4. tom. 2. de presbyteris Maſſilienſibus, vulgo Semipelagianis, qui ad Pelagianos errores inconſulto acceſſerant, hæc ad Auguſtinum ſcribit: *Quidem horum in tantum a Pelagianis ſemitis non declinant . . . ut quia prævaricator ideo dicitur non obediſſe quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuiſſe quia voluit: & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes movere*. Conſtat igitur ſuperius Beauſobrii mendacium temere affirmantis, Patres & Auguſtinum ſibi ſuaſiſſe, hominem in quocumque ſtatu verſetur, poteſtate pari bonum & malum facere poſſe.

Liberum hominis Arbitrium in quovis ſtatu pari poteſtate poſſe bonum & malum facere Pelagiani errando docuerunt.

XXIV. Mendacium 8. Auguſtinus ſyſtema ſuum de

Liberratem indifferentiæ tum contra Manichæos, tum contra Pelagianos constantissime Augustinus docuit.

de libero arbitrio, quod disputans contra Manichæos docuerat, contra Pelagianos differens commutavit. Mentitur 8. Beausobrius. Augustini contra Manichæos disputantis sententia fuit, arbitrium hominis liberum omnino esse tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irresistibili necessitate. Atqui S. Doctor in eadem sententia contra Pelagianos disputans summa constantia, firmitate, & stabilitate usque ad extremum spiritum permansit. Multa & præclara S. Doctoris testimonia pro hoc libero arbitrio in suis contra Pelagianos disceptationibus protuli superioribus numeris VI., & VII. hujus VI. Dissertationis, quæ reiterare molestum est. Satis superque sit S. Doctoris librum de Gratia & Libero Arbitrio consulere, Adrumetinis quibusdam Monachis, qui ad Pelagianos inconsulto accesserant, inscriptum, ubi a cap. 2. usque ad caput 4. illud ipsum arbitrium liberum quod cum Manichæis dimicans propugnaverat, invictissime contra Pelagianos armis divinæ scripturæ pugnans tutatur. Aureum suum opusculum de Gratia & Libero Arbitrio his exorditur S. Doctor verbis cap. 1. num. 1. pag. 473. tom. 10. quibus sententiam suam pro libero humanæ voluntatis arbitrio pollicetur: *Quoniam sunt quidam, qui quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium; hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater & ceteri qui simul Deo servitis, curavi*. Dubitari ergo non potest de hoc Beausobrii mendacio, quod a Juliano ceterisque Pelagianis Calvinianus homo est mutuatus.

Liberi arbitrii servitus quæ & qualis apud Manichæos; quæ & qualis apud Augustinum.

XXV. Mendacium 9. Sententia Augustini in hoc tantum differebat a sententia Manichæorum, quod Augustinus repetebat servitutem liberi arbitrii a corruptione peccati originalis, Manichæi vero a qualitate mala perpetuo naturæ inhærente. Mentitur 9. Beausobrius. Apud Manichæos servitus arbitrii, non quidem liberi, sed coacti, irresistibilis quidem erat peccandi necessitas, quam non a qualitate mala, sed ab altera hominis anima naturaliter mala, particula æternæ naturæ malæ, referebant. Etenim Augustino teste lib. 2. retract.

retract. cap.15. pag.17. tom.1. cujus testimonium, cum aliis ad eamdem rem pertinentibus num.xx. supra produxi, Manichæi duas in homine animas affirmabant, bonam unam, particulam æternæ naturæ bonæ, seu Dei boni, ex qua hominis bona omnia; malam alteram, particulam æternæ naturæ malæ, seu Dei mali, ex qua omnia hominis mala necessario repetebant. Eadem S. Doctor confirmat lib. de duabus animabus contra Manichæos cap.12. num. 16. & 17. pag.63. & 64. tom.8. Item ibidem cap.14. num.22. pag.66. hæc in Manichæis reprehendit: *Animarum illa duo genera, unum ex quo nihil mali, alterum de quo nihil boni sit, dicere atque docere jam desinant, quod si faciant Manichæi esse utique jam desinent: nam illa secta, ista bicipiti, vel potius præcipiti animarum varietate fulcitur.* Contra vero Augustinus arbitrii liberi servitutem ab originali concupiscentia repetebat, qua carere quidem non potest; sed cui resistere homo si velit potest: neque vero irresistibilis est peccandi necessitas, sed quædam ad peccandum proclivitas atque propensio, cui obsistere possumus, si velimus. Audiatur S. Doctor lib. 5. contr. Julian. Pelagian. cap. 6. num. 24. tom.10. quem Manichæismum temere catholicis exprobrantem his verbis confutat: *Non enim, sicut insimulas cum Manichæis* (catholici) *dicunt, Inesse carni suæ mali necessitatem. Quod malum illi substantialem, & Deo coæternum esse mentiuntur: sed dicunt sane cum Apostolo* (Rom.7.13.) *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Esse tamen eam sub animæ potestate...., resistendo concupiscentiæ carnis, quod hìc fieri potest; non ea prorsus carendo, quod hìc fieri non potest.* Item serm.151, qui est contra Pelagianos cap.8. num.8. tom.5. ad illa Apostoli verba Rom.7.25. *Igitur ego ipso mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, hęc habet: *Mente servio legi Dei, non consentiendo; carne autem legi peccati, concupiscendo... Nunc ergo fratres, tenete istum modum. Mente servite legi Dei, carne autem legi peccati. Sed ex necessitate, quia concupiscitis, non quia consentitis.* Patefactum est igitur superius Beausobrii mendaclum.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad Manichæorum sententiam de Nuptiis, & Cælibatu pertinent.

I. QUÆ de Nuptiis Manichæorum ſententia fuerit ſæpenumero, multiſque locis Auguſtinus docet. Et primo quidem lib.2. de Morib. Manich. cap.18. num.65. pag.550. tom.1. hæc Manichæos alloquens tradit: *Non enim concubitum, ſed ut longe ante ab Apoſtolo dictum eſt vere Nuptias prohibetis, quæ talis operis una eſt honeſta defenſio*. Et paulo infra, *Nonne vos eſtis*, inquit, *qui nos ſolebatis monere, ut quantum fieri poſſet obſervaremus tempus, quo ad conceptum mulier, poſt genitalium viſcerum purgationem, apta eſſet, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur?* Item lib.22.contra Fauſtum cap.30. pag.270. tom.8. *Perverſa lex Manichæorum*, inquit, *ne Deus eorum, quem ligatum in omnibus ſeminibus plangunt, in conceptu feminæ arctius colligatur, prolem ante omnia devitari a concumbentibus jubet, ut Deus eorum turpi lapſu potius effundatur, quam crudeli nexu vinciatur*. Rurſum lib.30. contr. Fauſtum cap.6. pag.318. tom.8. hanc Manichæorum de Nuptiis doctrinam litteris commendavit: *Vos eum præcipue concubitum deteſtamini, qui ſolus honeſtus & conjugalis eſt, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ ſe gerunt liberorum procreandorum cauſa. Unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis.... Non ſic vobis Maria diſpliceret, ſi concubuiſſet, & non concepiſſet, quomodo diſplicet quia non concubuit, & tamen peperit*. Præterea lib. contr. Secundin. Manich. cap.21. pag.385. tom.8. *Non tibi*, inquit, *tam fornicaria diſplicet in fornicatione, quam quod in matrimonium commutata eſt, & converſa ad pudicitiam conjugalem*. Tandem lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ.46, quæ Manichæorum eſt hæreſis, pag.12. tom.8. hæc de uſu conjugis Auditoribus ſuis

ab Electis indultæ S. Doctor testatur. *Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si utuntur conjugibus, conceptum tamen, generationemque devitent, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis alligetur in prole*. Similia narrat S. Leo M. de Priscillianistis Manichęorum surculis epist.15. cap.7. *Nuptias*, inquit, *damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt... Conjugalem copulam detestantes, quia non est illic libertas turpitudinis, ubi pudor matrimonii servatur, & spes sobolis*.

II. Hęc tam multa, tam clara, & illustria testimonia de prohibitis, & exsecratis in Manichęorum secta solis legitimis nuptiis, non veretur Beausobrius referre, atque una impudenter explodere lib.7.cap.4. pag.470. & 471. tom.2. Exaggeratas quinetiam falsas omnino esse superiores Augustini adversus Manichęos accusationes Beausobrius contendit. Arbitratur igitur Augustinum, tanquam rem prorsus certam exploratamque affirmantem, idque assidue multisque locis, Manichęos Auditoribus suis pręcepisse, ut in usu conjugis caverent a procreandis liberis, non modo mendacem, temerarium, & calumniatorem, & quidem in re gravissima; verum etiam prorsus insanum, furiisve agitatum. Quis enim nisi calumniator insanus Manichęis omnibus Auditoribus & Electis fictum falsumque crimen, illudque teterrimum assidue exprobraret, quod sciret negando tantummodo ab eis refellendum. Reclamassent enim omnes dicendo, Nec nos Electi Auditoribus nostris hęc unquam præcepimus: nec nos Auditores ab Electis nostris hęc unquam audivimus. At quibus argumentis Beausobrius adductus Augustini testimonia illa de Manichęis explodit? Nunquam, inquit, Manichęi censuerunt humanam animam Deum esse, eumque ligari posse cum carne, qui nec tangi, nec prehendi, nec ligari Deum posse affirmabant. In his omnibus mentitur more suo Beausobrius. Infinita fere scriptorum veterum testimonia sunt, quę testantur Manichęum censuisse bonam hominis animam partem esse divinę naturę, atque idcirco Deum esse;

Manichæos Auditoribus suis præcepisse ut in usu conjugis a procreandis liberis caverent res est certa penitus & explorata.

Animam divinæ naturæ partem esse, & idcirco Deum Manichæi censuerunt.

quę loco suo non pauca produximus. S. Augustinus lib.2. de Act. cum Fel. Manich. cap.1. pag.345. tom.8. Manichęi sententiam ex ejus epistola Fundamenti, quę in publica illa disceptatione recitata est, his verbis declarat: *Deum dicitis pugnasse cum gente tenebrarum, & miscuisse naturæ dœmonum polluendam & ligandam partem suam, quæ hoc est, quod ipse. Hoc de hac epistola, quam fateris esse Manichæi, lectum esse non negas.* Deum igitur ligari posse cum carne, quę Manichęo auctore ad naturam dœmonum pertinet; atque idcirco tangi, prehendi, & ligari Deum posse Manichęus docuit. Quod si Manichęi adversariorum argumentis coacti his contraria quandoque dixerunt, non est spectandum quid dicerent, sed quid consentaneum eis esset, ut dicerent. Quod pertinet ad Marię personam, quam loco supra commemorato importune & inepte intrudi ab Augustino, quamque tanquam Virginem sanctam haberi a Manichęis Beausobrius affirmat, dico, non eam intrudi, sed aptissimo per eam exemplo absurditatem Manichęę sententię ab Augustino patefieri. Etenim Manichęi non concubitum sine procreatione, sed solam liberorum procreationem, conceptionem, ortum damnabant. Itaque aptissime Augustinus contra Manichęos non infęcundum concubitum, sed liberorum procreationem vetantes dixit: *Non sic vobis Maria displiceret, si concubuisset, & non concepisset, quo modo displicet, quia non concubuit, & tamen peperit.* Quam bene autem de Maria Virgine senserint Manichęi ex illis communis magistri verbis apparet epistola ad Marcellum apud Archel. num.5. pag.6. edit. Zacagn., quę sunt hujusmodi: *Utinam nec Unigenitum Dei Filium Christum Dominum, qui de Patris sinu descendit, Mariæ cujusdam mulierculæ filium esse dicerent; atque ex sanguine carneque, tum vero reliquo mulierum fœtore prodiisse.*

Deum ligari posse cum carne Manichæi censuerunt.

Manichæi in concubitu solam procreationem damnabant.

Manichæus in Mariam Virginem impie contumeliosus.

III. Beausobrius loco supra commemorato pag.472: quasdam Manichęi sententias producit ex Archel. Act. pag.30. edit. Zacagn. Item ex Manichęi epistola ad filiam Menoch apud Augustinum lib.3. Oper. Imperf. num.187.

num.187. pag.803. tom.10, quibus Manichęus apertissime reprobat, damnat, & detestatur fornicationem, adulteria, concupiscentiam, seu libidinem. His testimoniis contendit Beausobrius Manichęum, si non favebat nuptiis, multo minus ad obscenitates, voluptatesque turpes indulgentem fuisse. Quibus superiora Augustini testimonia refelluntur. Ad hęc respondeo. Manichęus filiorum procreationem detestabatur, per quam natura Dei, ut delirabat, qualis est bona hominis anima, coagulatur cum carne, quam partem naturę malę, seu mali dœmonis esse docebat. Hac una de causa fornicationem, adulteria, libidinem, seu concupiscentiam Manichęus reprehendit, quòd causę sunt vel proximę vel remotę, quibus liberi procreantur. Ex adulterio, & fornicatione non secus atque ex conjugio legitimo generantur homines. Quid ergo mirum si Manichęus procreationis osor in adulteria & fornicationes, unde liberi procreantur, invehitur. Concupiscentiam vero reprobat Manichęus, tum quia, *Concupiscentiam non vitium substantiæ bonæ, sed malam vult esse substantiam*, ut inquit S. Doctor loco supra commemorato pag.832, tum quia concupiscentia appetitus est conjunctionis, qui omnium animantium communis est, qua conjunctione procreantur liberi, & sine qua procreari non possunt. Itaque non castitatis amor, sed procreatioris odium Manichęum impulit ad concupiscentiam, seu libidinem vituperandam.

Manichæus fornicationem, & adulteria improbat; quòd generationis sunt causæ.

IV. Manichęos non prohibuisse nuptias, ex eo probare nititur Beausobrius, loco supra commemorato pag.473. quòd Auditoribus suis nuptias permiserint. Hoc autem loco tanquam secum ipsum pugnantem Augustinum exhibet, qui, cum lib.2.de Morib. Manich. cap.18.num:65. pag.551. iom.1. dixerit: *Non enim concubitum, sed vere nuptias prohibetis*, statim adjunxit: *Hìc non dubito vos esse clamaturos, invidiamque facturos, dicendo castitatem perfectam vos vehementer commendare, atque laudare, non tamen nuptias prohibere: quandoquidem Anditores vestri, quorum apud vos secundus est gradus, ducere, atque habere non prohibeantur*

uxores. Beausobrius hoc loco, ut a teterrima obsceni-tate clientes suos Manichęos defendat, Augustinum inducit tanquam scriptorem fatuum, sibimet repugnantem, qui eodem loco, eodem tempore, eademque narratione affirmaverit, Manichęos nuptias simul permittere ac prohibere. At vero non amens Augustinus scriptor, sed calumniator improbus est Beausobrius. Dico igitur, Nuptias, quę verę nuptię sunt, legitimam conjunctionem esse viri cum femina, non explendę libidinis, sed procreandorum liberorum causa institutas. Jam vero, si, Augustino teste, Manichei prohibebant filiorum procreationem, eodem teste, nuptias, quę verę nuptię sunt, prohibebant, legitimam nimirum coniunctionem viri cum femina, cui illegitimam, nefariam, ac detestabilem conjunctionem, contra naturę legem, substituebant. Audiatur S. Doctor objecto a Beausobrio loco. Ad Manichęos forsitan exclamaturos, se castitatem perfectam magnopere commendare, atque laudare, hęc sunt quę S. Doctor respondet, a Beausobrio malitiosissime pretermissa, queque eum mendacem aperte declarant: *Nonne vos estis*, inquit, *qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, gravius putatis esse peccatum, quam ipsum concubitum? Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur. Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem feminamque conjungunt: quisquis ergo procreare liberos, quam concumbere gravius dicit esse peccatum, probibet utique nuptias, & non jam uxorem, sed meretricem feminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur. Si enim uxor est matrimonium est. Non autem matrimonium est, ubi datur opera, ne sit mater. Non igitur uxor. Quocirca nuptias probibetis, nec ab hoc crimine ulla vos ratione defenditis*. Item lib. 15. contra Faustum Manichęorum Episcopum c. 7. pag. 197.

Nuptias liberos procreandi causa institutas Manichæi prohibuerunt.

lib. 8.

lib.8. Nuptias, quę verę nuptię sunt, a Manichęis prohibitas, his verbis Fausto exprobrat. *Praeceptum quod est, Non mœchaberis, ita violatis, ut hoc maxime in conjugio detestemini, quod filii procreantur; ac sic Auditores vestros, dum cavent ne feminae, quibus miscentur concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis Quomodo ergo non prohibes nubere, quando id conaris auferre de Nuptiis, unde sunt nuptiae. Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices uxores, thalami fornices, soceri lenones.* Eadem S. Doctor inculcat, atque confirmat lib.22.contra eumdem Faustum cap.30.pag.270. tom.8. Item lib.de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46. quæ Manichæorum est hæresis pag.12. tom.8.

V. Manichæos non prohibuisse nuptias, sed de servanda virginitate dumtaxat consilium dedisse, ad eamque cohortationes suas adhibuisse contendit Beausobrius lib, 7. Histor. Dogmat. Manich. cap.4. pag.473., & 474. tom. 2. Quod probare nititur præposteris ac perturbatis a se de industria Fausti verbis apud Augustinum lib. 30. cap. 4. pag. 316. tom. 8. Tandem concludit, Manichæos solis Electis prohibuisse nuptias, eodem prorsus modo, quo eas nunc Catholici prohibent Ecclesiasticis suis: atque idcirco de cælibatu eamdem esse Manichæorum, atque Catholicorum disciplinam. Mera hæc mendacia, meræ Beausobrii calumniæ sunt. Etenim Manichæi ita suadebant, ita laudabant umbratilem quamdam virginitatem, ad eamque cohortabantur, ut veras nuptias vituperarent, atque detestarentur, ab eisque, tanquam a re pessima, Auditores suos deterrerent. Contra vero Catholici ita suadent sinceram virginitatem, ita laudant, ad eamque cohortantur, ut doceant, nuptias quidem bonas esse, sed meliorem nuptiis virginitatem. Hæc Fausto, quem temere & impudenter Beausobrius jactat, Augustinus respondet, loco supra commemorato. Ecce verba S.Doctoris, *Si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum adhortatur catholica doctrina* (1. Cor. 7. 38.) Qui dat nuptum bene facit, qui non dat nuptum melius facit: *ut bonum esse nuptias diceretis, sed melio-*

Nuptias malas, virginitatem bonam Manichæi; nuptias bonas, hisque meliorem virginitatem Catholici dicunt.

rem

rem virginitatem, sicut facit Ecclesia, quæ vere Christi est Ecclesia; non vos ita Spiritus Sanctus prænuntiaret dicens, Prohibentes nubere. *Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit; non qui huic bono aliud melius anteponit. Denique vos eum præcipue concubitum detestamini, qui solus honestus & conjugalis est, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt, liberorum procreandorum causa: unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis. Concubitur enim etiam causa libidinum; nubitur autem non nisi filiorum. Nec ideo vos dicatis, non prohibere, quia multos vestros Auditores in hoc obedire nolentes, vel non valentes, salva amicitia toleratis. Illud enim* (malas esse nuptias) *habetis in doctrina vestri erroris: Hoc* (falsas Auditorum nuptias) *in necessitate societatis*: nimirum, ne vestri Auditores, a nubendo prohibiti, vos deserant. Hæc est summa Augustinianæ responsionis ad falsas Fausti redargutiones, & ad veras Beausobrii calumnias, atque mendacia.

Nuptias Electis suis Manichæi prohibebant detestatione procreationis: eas catholici prohibent clericis suis veneratione consecrationis.

VI. Quod autem Manichæi eodem modo prohibuerint nuptias Electis suis, quo Catholici eas nunc prohibent clericis suis: quodque eadem Manichæorum, catholicorumque hac in re disciplina sit, impudentissimum Beausobrii mendacium est. Manichæi enim prohibebant nuptias Electis suis detestatione procreationis: contra vero Catholici nuptias prohibent clericis suis veneratione consecrationis. Itaque Manichæorum de cælibatu disciplina turpissima. Contra vero Catholicorum sanctissima est. Illud vero Beausobrii NUNC maxime fraudolentum & malitiosum est; perinde ac si disciplina de cælibatu majoris cleri nova sit in Catholica Ecclesia, & antiquitus inaudita. Audiat igitur Beausobrius cum ceteris secum mentientibus etherodoxis, quæ fuerit de cælibatu majoris cleri vetustissima Ecclesiæ Catholicæ disciplina. Leo M. Scriptor Sæculi V. epist. 2. ad Rustic. cap. 3. de continentia præscripta majoribus clericis, qui a conjugio ad majorem clericatum transferuntur, hæc habet. *Ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores; & quasi non habeant, sic habere: quo & salva sit caritas conna-*

Cælibatus majoris cleri ex pervetusta Ecclesiæ disciplina.

bio-

biorum, *& cesset opera nuptiarum*. S. Augustinus & ipse V. Sæculi scriptor lib. 2. de Adulterin. Conjug. cap. 20. num. 22. pag. 306. tom. 6. De continentia eorum, qui ad clericatum eliguntur inviti, quam ad extremum usque spiritum servant, hæc testatur: *Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis conjugiis hærendo pereant, solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam, usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt*. Siricius Papa epist. 1. ad Himerium, scripta anno Christi 385., cap. 7. num. 8. pag. 630. edit. Coustant, his verbis ætatis suæ clericorum incontinentiam deplorat: *Plurimos Sacerdotes Christi, atque Levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse*. Mox ibidem num. 10., ex divinis, ut ipse inquit, sanctionibus hanc majoribus clericis legem inculcat: *Omnes Sacerdotes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora*. Item Epist. 5. ad Episc. Africæ, scripta anno 386. pag. 655. hæc sancit Siricius. *Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant; quia in ministerio, ministerii quotidianis necessitatibus, occupantur*. His Siricii monitis Africani Patres permoti in Concilio Carthaginensi II., anno 390. celebrato, can. II. hæc de majoribus clericis sanxerunt: *Cum in preterito Concilio de continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt*. Hanc autem disciplinam ab Apostolica traditione, & ab ipsis, ut ita dicam, Ecclesiæ incunabulis ad ea usque tempora defluxisse his verbis confirmant: *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*.

VII. Præterea Siricius epist. 10. ad Episc. Gal. cap. 2. num. 5. pag. 689. edit. Coustant hæc decrevit: *Statutum est de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quos sacri-*

sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus & gratia baptismatis traditur, & corpus Christi conficitur, quos non solum nos, sed & scriptura divina compellit esse castissimos, & Patres quoque jusserunt continentiam corporalem servare debere. Confirmat Innocentius I. quæ Siricius sanxerat, epist. 6. ad Exsuperium Tolos. cap. 1. num. 2. pag. 790. his verbis: *Proposuisti quid de his servari debeat, quos in Diaconii ministeriis, aut in officio presbyterii positos incontinentes esse, aut fuisse generati Filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri.* Accedit eodem auctoritate sua Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. pag. mihi 33. edit. Manut., cujus hæc verba sunt: *Certe confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Verba autem Pauli 1. Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*, quæ contra cælibatum Episcopi jactare solent Protestantes, sic Hieronymus pro cælibatu Episcopi interpretatur. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, ut nulli vitio mancipatus sit: unius uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non habeat.* Paulo supra de Sacerdotibus omnibus Hieronymus dixerat, *Si Sacerdotibus non liceat uxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem ... Sacerdoti, cui semper pro populo sacrificia offerenda sunt, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.* Quod autem ea ætate mariti potius, quam virgines ad Sacerdotium eligerentur, id ex eo fieri tradit Hieronymus, quod ætate sua numerus virginum satis non esset ad implendum necessarium tunc numerum Sacerdotum, vel quod virtutibus illis carerent virgines, quibus ornati erant mariti: *Eliguntur*, inquit, *mariti in Sacerdotium, non nego: quia non sunt tanti virgines, quanti necessarii sunt Sacerdotes...*
Et

Et quomodo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali virgo negligitur, & maritus assumitur? Quia forte (respondet) *cætera opera non habet virginitati congruentia*. Contra vero Vigilantium, qui cælibatum majoris cleri improbabat, sic invehitur Hieronymus pag. mihi 82. *Pro nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli cælibi credentes pudicitiam, immo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes viderint uxores clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* Maximi ponderis de cælibatu universi majoris cleri extrema hæc verba Hieronymi sunt. Is, qui Ecclesias fere universas peragraverat, maxime vero orientales, testatur ætate sua, nimirum Sæculo IV., & V. cælibatum majoris cleri communem fuisse in universa Ecclesia, quæ tripartita tunc erat, in Alexandrinam totius Ægypti, in Antiochenam totius Orientis, in Romanam & Apostolicam totius Occidentis. Claudat agmen Latinorum Patrum scriptor IV. Sæculi Ambrosius. Is lib. 1. de Officiis cap. 50. num. 257. hæc de cælibatu majoris cleri litteris commendavit: *Inoffensum exhibendum, & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali sacri ministerii gratiam recepistis.*

VIII. Quid autem Græci Patres de cælibatu majoris cleri censuerint, ex Epiphanio, & Eusebio conjicere possumus. Epiphanius quidem hæresi LIX. quæ Catharorum est, num. 2. ad illa Apostoli verba 1. Tim. 3. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*, quæ sicut Hieronymus supra commemoratus de impedimento bigamiæ interpretatur, hæc posteritati mandavit. *Eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxo-*

ris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem Ecclesia Catholica admittit. Sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. Cum autem Epiphanius sibi objecisset: *At enim nonnullis in locis adhuc Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos suscipiunt, Respondeo*, inquit, *non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam.* Quibus verbis pravam illam consuetudinem improbat, & in quibusdam dumtaxat locis ob ignaviam Episcoporum usitatam contra perantiquos Ecclesiæ canones. Eusebius vero Græcus Episcopus Cæsariensis lib. i. Demonstrat. Evangel. cap. 9. pag. mihi 298. in fine, *Eos*, inquit, *qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet.* Demonstratum est igitur contra Beausobrii mendacium, cælibatum majoris cleri haud esse novam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, sed vetustissimam disciplinam, remque esse apostolicæ traditionis.

IX. Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 475, tom. 2. contendit communia esse Manichæorum & Augustini principia, ex quibus deducitur consecutio communis de prohibendis nuptiis tanquam malis atque vitiosis. Mentitur hic more suo Beausobrius. Tale est Manichæorum principium, propter quod nuptias tanquam malas & illicitas prohibebant. In liberorum procreatione, cujus Nuptiæ sunt causa, anima bona, quæ pars est naturæ divinæ constringitur & commiscetur cum mala anima carnis, particula æternæ naturæ malæ, a qua necessario vitiatur. Hoc Manichæorum principium, ex quo consequitur turpitudo nuptiarum, tantum abest, ut Augustini principium sit, ut illud tanquam horribilem absurditatem assidue S. Doctor refellat, & exsecretur. Itaque non propter concupiscentiam, originalis peccati pœnam, sed propter commistionem animæ illius bonæ cum illa anima mala, nuptias, ex quibus liberi procreantur, Manichæi prohibebant: quod anima hominis bona juxta Ma-

Nuptias Manichæi prohibebant, ne anima bona particula divinæ naturæ cum mala anima constringatur, particula æternæ naturæ malæ.

Manichæos pars esset divinæ substantiæ, *Ne divina substantia vinculis carneis ligetur in prole*, inquit Augustinus lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est hæresis, pag. 13. tom. 8. Neque mala concupiscentia, quod temere Beausobrius affirmat, commune Manichæorum & Augustini principium est, ex quo prohibendæ Nuptiæ a Catholicis cum Manichæis videantur. Quid enim Manichæi, quid Catholici, quid Pelagiani de concupiscentia senserint plenissime planissimeque Augustinus declarat lib. 3. Oper. Imperf. sub num. 187. tom. 10. Ad hanc enim Juliani Pelagiani calumniam, *Asseris istam concupiscentiam carnis, quam etiam pudendam vocas, per diabolum admistam esse humanis corporibus*, hæc sunt quæ S. Doctor respondet. *Nos carnis concupiscentiam nec substantiam naturæ malæ esse dicimus, quod dicunt Manichæi; nec omnis ejus usus reprobatur a nobis, sicut a Manichæis; nec eam rursus bonam dicimus, quod dicunt Pelagiani; nec ejus contra spiritum motus laudatur a nobis, sicut a Pelagianis: sed dicimus eam esse vitium substantiæ bonæ, quod in nostram naturam, per prævaricationem primi hominis, versum est, quod dicunt catholici christiani: ejusque mali usus licitus & honestus liberorum procreandorum causa approbatur a nobis, sicut a Catholicis Christianis. Ita & Manichæos, & Pelagianos superamus, & vitamus*. Itaque patefactum est impudentissimum Beausobrii mendacium de communibus Manichæorum & Augustini principiis ex quibus tanquam de communi sententia nuptiarum fœditas & turpitudo consequitur.

De concupiscentia contrariæ Manichæorum, Pelagianorum, & Catholicorum, cum Augustino sententiæ.

X. Pergit contra Augustinum Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 475. tom. 2., atque contendit in Augustiniana de concupiscentia hypothesi ab omni culpa vindicari nuptias omnino non posse, non minus quam in hypothesi Manichæa. Ut id Beausobrius extorqueat illis ipsis utitur argumentis, quibus Pelagiani utebantur ad explodendam honestatem nuptiarum in Augustiniana de concupiscentia hypothesi. At vero non Augustini hypothesis, ut cum Pelagianis Beausobrius contendit, sed universæ Ecclesiæ do-

Beausobrius Pelagianos contra Augustinum defendit.

doctrina est, quam de concupiscentia Augustinus tradit, ex qua turpitudo nuptiarum nullo modo consequitur. Jam vero, Augustino cum catholicis ceteris auctore, mala quidem ingenita nobis concupiscentia est, tum quia pœna est peccati primi parentis, tum quia ad peccandum nos vehementer impellit, tum quia repugnet rectæ rationis imperio, quod Dei dono in statu innocentiæ non contigit. Sed quamvis mala concupiscentia sit, *ejus tamen usus procreandorum liberorum causa licitus est & honestus*, ut supra ab Augustino accepimus, quo auctore, rei malæ bonus fieri potest usus. Prima igitur Beausobrii calumnia evanescit. Concupiscentiam vero, sine qua liberi non procreantur, auctore Augustino, causam nobis esse originalis peccati, novum est Beausobrii mendacium. Neganti Pelagiano Juliano omnem originalis peccati causam lib. 2. de Nup. & Concupisc. cap. 27. num. 47. pag. 217. tom. 10. per hæc verba: *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit: per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Augustinus auctoritate Apostoli fretus non concupiscentiam causam hujusmodi affert, sed peccatum primi parentis, hisque verbis respondet: *Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; unius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius?* Non igitur concupiscentia conjugum, sed peccatum primi parentis, Augustino auctore, causa nobis est originalis peccati. Neque concupiscentia principium procreationis est. Quamvis enim in hoc statu non procreentur liberi sine concupiscentia, hæc tamen non causa, multoque minus necessaria causa, sed dumtaxat procreationis comes appellari potest. Si enim non peccasset Adam, procreatio liberorum esset, concupiscentia vero, qualis nunc est, non esset. *Hæc pudenda concupiscentia, nulla esset, nisi homo ante peccasset: nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset: fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum*

Concupiscentia quamvis mala sit, bonæ tamen sunt nuptiæ.

Concupiscentia peccati originalis causa non est, sed peccatum primi parentis.

rum in corpore vitæ illius , *sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus* , inquit Augustinus lib. 2. de Nup. & Concupisc. cap. 1. num. 1. pag. 187. tom. 10. Hanc ergo contra Augustinum & catholicos ceteros calumniam Beausobrius a Pelagianis mutuatus est. Tria nuptiarum bona commemorantur ab Augustino lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 17. num. 19. pag. 194. tom. 10., quæ talia sunt. Proles, Fides, Sacramentum. At vero concupiscentiæ malum non impedit, quo minus Christiani conjuges ad hæc tria bona christianas referant nuptias. Quomodo autem concilientur simul malum concupiscentiæ cum nuptiarum bono, aptissimo exemplo Augustinus declarat lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 7. num. 8. pag. 190. tom. 10., cujus hæc verba sunt: *Si quispiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat, nec propter claudicationis malum mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona est illa claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.* Desinat ergo Beausobrius suffragari erroribus Pelagianorum, ut ab absurdissimis Manichæos erroribus vindicet.

Nuptiarum tria bona, quamvis earum usus sine concupiscentiæ mala modo haberi non possit.

XI. Eamdem incudem frustra tundit Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 475., & 476. tom. 2. Contendit enim, si catholicorum principia non evincunt catholicos nuptias omnino prohibere, nec Manichæorum principia probant eos nuptias prohibuisse, a quibus soli Manichæorum Electi se continebant. Ad hæc respondeo, nullum catholicorum principium est, ex quo consequatur turpitudo Nuptiarum, nulla catholicorum disciplina est, quæ volentibus nubere, nuptias tanquam natura sua malas prohibeat. Contra vero Manichæorum principinm erat, nuptiarum causa naturam Dei, cujus animam partem esse dicebant, arctissime cum mala dæmonis natura constringi, cujus partem carnem esse affirmabant. De hoc Manichæorum principio aliàs plurima dedimus S. Augustini testimonia, quæ iterare non expedit.

Nuptias malas esse non ex Catholicorum, sed ex Manichæorum principiis consequitur.

Qui-

Quibus addo aliud S. Doctoris testimonium ex lib. contra Secundin. Manich. cap. 21. pag. 385. tom. 8. quod est hujusmodi: *Deum creditis vestrum in procreando filios arctioribus carnis vinculis colligari: cui putatis parcere meretrices, quæ dant operam ne concipiant, ut ab officio pariendi liberæ, libidini serviant. Feminæ quidem conceptus apud vos carcer est & vinculum Dei.* Hac de causa nuptiæ Manichæis displicebant; hac eadem de causa liberorum procreationem vetabant. *Hinc tibi*, prosequitur Augustinus, *etiam illud displicet*, Erunt duo in carne una: *cum hoc in Christo atque Ecclesia sancta magnum mysterium commendet Apostolus. Hinc displicet*, Crescite, & multiplicamini, *ne Dei vestri multiplicentur ergastula.* Hac ego de causa, ne in liberorum procreatione natura Dei devinciretur cum carne, particula æternæ naturæ malæ, eoque vinculo per generationum successiones diutius detineretur, Manichæorum Electi a nuptiis se continebant, quas Auditoribus suis vel nolentibus, vel non valentibus cælibatum servare, ne se ab his desertos cernerent, modo a liberis procreandis caverent, indulgebant.

XII. Beausobrius, ut persuadeat Catholicos nuptias damnare, iisdem utitur argumentis, quibus Pelagiani utebantur ad explodendum peccatum originale, seque Pelagianum egregium, deque Pelagio, Cœlestio, & Juliano optime meritum exhibet. Hinc lib.7. Histor. Dogmat. Manich. cap.4. pag.476. tom.2. ad obtinendum vel nullum esse peccatum originale, vel malas esse nuptias, hæc præ ceteris tanquam catholicorum principia proponit. 1. Deum creare animam puram, sanctam, & omnino innocentem. 2. Animam in sua origine prorsus puram, & innocentem esse. 3. Nuptiarum opera ligari animam puram, & innocentem cum carne veneno concupiscentiæ tabida, quam contaminabit statim ac cum ea conjungetur. Jam vero ad has callidas, & fallaces Beausobrii sententias respondeo. Et primo quidem ad primam dico, Deum creare animam puram, sanctam, & omnino innocentem, in quan-

quantum animæ auctor est Deus, non in quantum animæ vitiator fuit Adam. Itaque in anima, statim ac a Deo creatur in corpore, duo religiose sunt secernenda, natura scilicet, atque vitium. Naturam, quæ imago Dei est, habet anima a Deo creatore; vitium, quod divinæ imaginis sordes est, habet anima ab Adam prævaricatore. Secrevit hæc jampridem Augustinus contra Juliani calumnias, cui se comitem Beausobrius adjungit lib.2. de Nup. & Concupisc. cap.29. num.49. pag.218. tom.10; cujus hæc verba sunt: *In parvulo non unum est tantum, idest, natura, in qua creatus est homo a Deo bono: habet enim & vitium, quod per unum in omnes homines pertransiit, sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Cœlestius, vel eorum quicumque discipulus. Horum itaque duorum, quæ in parvulo esse diximus, unum adscribimus Deo; alterum diabolo.* Ad alteram Beausobrii sententiam, quam catholicis tribuit, quæ anceps est & ambigua, respondeo, Anima in sua origine, quam habet a Deo conditore, pura prorsus, & innocens est: in ea autem origine, quam habet a primo homine corruptore, in quo peccavimus omnes, nec innocens est, neque pura. Ad tertiam Beausobrii sententiam dico, Nuptiarum opera, non quæ in statu innocentiæ fuissent, sed quæ in hoc statu sunt vitiatæ naturæ, ligantur quidem animæ cum carne veneno concupiscentiæ tabida: sed non hoc illud est, ad quod referuntur a christianis conjugibus christianæ nuptiæ. Liberorum procreationem, eorumque ab originali peccato expiationem, sempiternamque salutem spectant in nuptiis christiani conjuges: hisque de causis nubunt, & procreandis liberis honestam operam locant. Quod autem in liberorum procreatione, quæ fructus nuptiarum est, caro complexu & conjunctione sua contaminet animam, Ecclesiæ catholicæ doctrina non est, sed Beausobrii calumnia. Fieri enim non potest, ut materia, qualis est caro, contaminet spiritum, qualis est anima humana. Fateor hæc verba Augustini esse lib. 5. contr. Julian. cap. 6. num. 17. pag. 421. tom. 10. de anima & carne in prima utriusque procrea-

Anima naturam habet a Deo creatore; vitium ab Adam prævaricatore.

Anima in sua origine quam habet a Deo creatore innocens & pura est; secus autem in origine quam habet ab Adam prævaricatore.

Animam in sui creatione contaminari a carne concupiscentiæ veneno infecta, nec Ecclesia, nec Augustinus docent.

tio-

tione: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vitiato vaſe corrumpitur*. At hæc non ſunt verba docentis, affirmantis, ſtatuentis, perinde ac ſi anima innocens a corpore originali peccato vitiato in ſua cum eo conjunctione vitietur, ſed inquirentis, perſcrutantis, inveſtigantis, quibus aſſenſum cohibens continuo adjungit; *Quid autem horum ſit verum libentius diſco, quam dico*. Tandem ad hanc maxime abſtruſam de peccato originali quæſtionem, dico, quod anima peccato originali vitietur, ad fidem pertinet; modus autem, quo vitietur, ad fidem non pertinet, ſed ad theologorum diſputationes: quemadmodum, quod Verbum caro factum ſit, ad fidem pertinet; modus autem, quo id factum ſit, non ad fidem, ſed ad theologorum pertinet diſceptationes.

Originali peccato vitiari animam ad fidem pertinet; modus autem quo vitiatur ad fidem non pertinet.

Animarum creationem, earumque peccatum originale juſtitiæ Dei repugnare, Auguſtinum, ſibi objeciſſe, nec diſſolviſſe Beauſobrii mendacium eſt.

XIII. Inſigne Beauſobrii mendacium eſt, quod nobis venditat lib.7. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap.4. pag.476, & 477. tom.2. quo contendit hanc ſibi objectionem propoſuiſſe Auguſtinum, quam diſſolvere omnino non potuit, ſcilicet, *Si Deus animas aſſidue creat, eaſque in corpora peccato contaminata inſerit, Dei juſtitiam incolumem eſſe non poſſe*. Ut id Beauſobrius ſuadeat, citat Auguſtini locum ex lib.1. de Anim. & ejus Orig. cap.7. num.7. pag.127. tom.10, qui eſt hujuſmodi: *Si Deus eas animas liberat a peccato, quas innocentes, & mundas implicuit ipſe peccato, vulnus ſanat, quod intulit nobis, non quod invenit in nobis. Avertat autem Deus & omnino abſit ut dicamus, quando lavacro regenerationis Deus mundat animas parvulorum, tunc eum mala ſua corrigere, quæ ille ipſis fecit, cum eas nullum habentes peccatum peccatrici carni, cujus originali peccato contaminarentur, immiſcuit*. Jam vero ſuperior Auguſtini argumentatio non eſt objectio, quam ipſe ſibi diſſolvendam proponit; ſed confutatio eſt: qua Vincentium Victorem juvenem audacem & imperitum redarguit, qui in ſecundo ex quatuor contra Auguſtinum a ſe editis libris intolerabili abſurditate dixerat, *Animam, ut incipiat renaſci per carnem, meruiſſe inquinari per carnem*. Quibus Vincentii verbis impie ſignificatur,

catur, *Deum eas animas liberare a peccato, quas innocentes & mundas implicuit ipse peccato.* Absurdissimam hanc Vincentii Victoris sententiam iterum ad trutinam revocans Augustinus lib.4. de Anima, & ejus origine cap.11. num.16. pag.267. tom.10, sic eam exsecratur: *Absit, ut ego dicam, quod tu ipse dixisti, Quod anima per carnem meruerit inquinari, & esse peccatrix, nullum habens ante peccatum, quo recte id meruisse dicatur.* Itaque Augustinus verbis a Beausobrio malitiose & fraudolenter supra citatis, nullam sibi dissolvendam objectionem proponit, sed absurda recenset, atque redarguit, quæ ex absona Vincentii Victoris sententia consequebantur. Negat itaque Deum implicare peccato animas innocentes & mundas. Negat sanare vulnus, quod ipse intulit nobis, non quod invenit in nobis. Negat Deum expiando animas in baptismo, mala sua, quæ illis ipse fecit, corrigere. Negat Deum admiscere animas nullum habentes peccatum peccatrici carni, cujus originali peccato contaminentur. Hæc autem totidem absurda esse, quæ consequuntur absonam illam Vincentii Victoris sententiam, satis aperte significat S. Doctor verbis illis, *Avertat tamen Deus, & omnino absit, ut dicamus.* Quod autem, falso iterum Beausobrio teste supra commemorato, objectio ab Augustino excitata contra assiduam novarum animarum creationem sæpenumero inveniatur in eo S. Doctoris opere, quin cogitaverit de inquirenda saltem aliqua solutione, mera est Beausobrii calumnia. Etenim in quatuor illis Augustini libris de Anima, & ejus origine, nec semel objectio illa ab Augustino excitatur, multoque minus involuta relinquitur, quam non suam, sed Pelagianorum objectionem esse testatur lib.4. operis commemorati cap.11. num.16. pag.267. tom.10. his verbis: *Pelagiani propterea suadere conantur ab omni noxa puras esse animas parvulorum, ne scilicet eadem noxa in auctorem Deum recurrat, quod, insontes animas dando carni peccatrici, esse compulerit peccatrices.*

XIV. Beausobrius, ut peccatum originale cum Arminiensibus Batavis collegis suis Calvinianorum frustu-

Beausobrius novam quamdam contra peccatum originale Manichæorum hæresim introducit.

lis rejiciat, novam Manichæornm hæresim arbitratu suo introducit lib.7.Histor.Dogmat.Manich.cap.9.pag.477. tom.2. Blaterat, Manichæos docuisse, animas cœlestis snbstantiæ particulas, antequam in humana corpora veniant, non innocentes esse, sed reas; quòd illecebris materiæ, quacum primo, ut eam frænarent, fuerant a Deo conjunctæ, & ex qua per potionem & cibum in hominum corpora transeunt, illecebris materiæ seducendas se libere permiserunt. Hæc autem confirmare audet auctoritate Augustini ex lib.4. contra duas epist. Pelagian. cap.4. num.6. pag.310. tom.10. Sed Augustini verba partim mendacem, partim falsum Augustini interpretem Beausobrium ostendunt. Etenim eo loco narrat Augustinus, Manichæos docere, *Animam bonam, partem scilicet Dei, pro meritis inquinationis suæ, per cibum & potum, in quibus antea colligata est, venire in hominem, atque ita per concubitum carnis vinculo colligari*. Jam vero Augustinus affirmat, Manichæos docere, animam bonam, non cœlestis substantiæ, ut mentitur Beausobrius, sed partem esse divinæ naturæ. Idque supra ejusdem operis lib.2. cap.2. num.2. pag.285. tom.10. his verbis Augustinus narraverat: *Manichæi dicunt, animam particulam Dei, naturæ malæ commistione, habere peccatum*. At peccatum hujusmodi quod commistione naturæ malæ, idest, materiæ, habent animæ, auctoribus Manichæis, non est liberum & voluntarium, sed coactum & necessarium. *Quid fecit anima misera*, inquit Aug.lib.13. contr. Faust. cap.6. pag.182. tom.8, *quæ non suo vitio, sed alieno maculata, Deo suo deficiente, mundari non potuit, quo mittente polluta est?* Quod autem, Augustino teste, Manichæi docuerint, *Animam bonam pro meritis inquinationis suæ venire in hominem*, non significat, animam bonam illecebris materiæ captam, libere se materiæ seducendam permisisse, ut Beausobrius frustra contendit; sed, ut conditio postulat necessariæ inquinationis suæ, inquinatam venire in hominem. Itaque merita inquinationis animæ non sunt in Manichæorum sententia, nisi durissima illa conditio, qua contagione mate-

Anima juxta Manichæos, ante conjunctionem sui cum materia, partes innocentes erant divinæ naturæ.

Animæ in Manichæorum hæresi invitæ, & coactæ a materia contaminantur.

materiæ innocens anima necessario, mittente Deo, inquinata est. Nego igitur contra Beausobrium in Manichæorum fabula animas non divinæ naturæ, sed alterius cujusque substantiæ partes esse. Nego, auctoribus Manichæis, animas antequam in corpora humana veniant, ullius voluntarii criminis reas esse. Nego in Manichæorum sententia animas libere se materiæ illecebris seducendas permisisse; quandoquidem invitæ & coactæ, ut fert fabula Manichæa, nequitiæ & improbitati prædominantis materiæ necessario succubuerunt.

XV. Nuptiis contraria esse catholicorum principia, non secus atque Manichæorum Beausobrius inculcat Histor. Dogmat. Manich. lib. 7. cap. 4. pag. 479., & 480. tom. 2., adductisque testibus Theophilo Alexandrino contra sententiam Origenis, philosophisque gentilibus, plagas occultas tendit peccato originali, quibus se novum Pelagianum demonstrat. Jam vero Manichæorum principia erant, in liberorum procreatione innocentes animas divinæ naturæ particulas cum carne particula æternæ naturæ malæ conglutinari, a qua necessario contaminabantur. Hinc nuptias exsecrabantur Manichæi. Contra vero principia catholicorum sunt, carnem non esse natura sua malam, sed bonam; animam non contaminari a carne, quacum conjugitur; carnis quidem concupiscentiam malam esse, sed ea bene conjuges uti ad bonam liberorum procreationem; animas, ubi primum in humanis corporibus a Deo creantur, reas fieri originalis peccati, & id quidem non contagione carnis, non voluntate propria, non voluntate conjugum, multoque minus voluntate Dei, qui naturam, non vitium animæ vult, sed voluntate dumtaxat fœdifragi primi parentis, quam universæ posteritatis arbitram Deus constituit. Hæc autem catholicorum principia nuptiis contraria non sunt. Innocentes enim nuptiæ in seipsis se produnt, prorsus honesta liberorum procreandorum causa a Deo institutæ verbis illis primum a Deo habitis ad Adam in statu innocentiæ, & iterum confirmatis ad Noe eorumque posteros

Nuptias Manichæi reprobabant, quod censerent per eas animam divinæ naturæ particulam conglutinari cum carne, particula naturæ malæ, ab eaque contaminari:

Nuptiis contraria non sunt catholicorum principia de peccato originali.

 post

post peccatum originale Gen. 1. 28., item 9. 1. *Crescite, multiplicamini, replete terram*. Neque vero, ut Beausobrius dictitat, in catholicorum doctrina, de peccato scilicet originali, conducunt nuptiæ ad contaminandas animas puras & innocentes peccato quod evitare non possunt; neque sempiternis suppliciis, quæ evitare ipsæ non possunt, puras & innocentes animas præparant. Etenim in catholicorum doctrina, horum omnium aliorumque malorum causa nuptiæ non sunt, sed peccatum primi parentis: neque post tale peccatum puræ & innocentes animæ sunt, quæ ubi primum existunt, & originalis peccati culpa obstringuntur, & macula contaminantur. Conjuges autem christiani obtemperantes voluntati Dei sic præcipientis sibi, *Crescite, multiplicamini*, dum liberis procreandis incumbunt, nihil aliud spectant, nisi præceptam sibi liberorum procreationem, eorumque ab originali peccato expiationem, in vita presenti gratiam, & in futura gloriam. Hæc autem latissima via est, qua Augustinus, quidquid in contrarium Beausobrius dictilet, a Pelagianis insidiis contra peccatum originale felicissime evasit; nosque catholici ab iisdem laqueis a Beausobrio paratis evadimus. Auctoritas vero Philosophorum gentilium, in tenebris & umbra mortis sedentium, nihil nos urget. Nec Theophili Alexandrini argumenta magni facimus, qui modo pro, modo contra Origenem, ut sese occasio offerebat, repentino impetu, tanquam æstu quodam abreptus, disputavit.

Nuptiarum munus honestissime exercent christiani conjuges.

Originale peccatum negat cum Pelagianis Beausobrius ex honestate nuptiarum.

XVI. Postquam Beausobrius Pelagianis viribus & lacertis validiora Pelagianorum tela contra peccatum originale ab Augustino affirmatum intorserat, quibus Julianus cum Pelagianis ceteris contra S. Doctorem contendebat, si honestæ, si legitimæ, si innocentes sunt nuptiæ, nullum esse peccatum originale; ut omnem a se suspicionem de Pelagianismo removeat lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 480. tom. 2. tria sunt, quæ in sui defensionem profitetur. 1. Nasci homines vitiosis propensionibus subjectos. 2. Hominis arbitrium liberum indigere gratia, qua corroboretur,

& su-

& ſuſtentetur. 3. Neminem eſſe, qui ad perfectam juſtitiam poſſit pervenire. At hæc turpiſſimam Pelagianiſmi notam de ſublato a ſe originali peccato a Beauſobrio non delent. Etenim tria hæc, quæ profitetur Beauſobrius nec originale peccatum includunt, nec arguunt. In ſtatu naturæ puræ, vel alio ſimili, a quo longe abeſt peccatum originale, naſcerentur homines vitioſis propenſionibus ſubjecti, propenſi ſcilicet ad corporis voluptates non modo honeſtas, verum etiam vitioſas. Præterea liberum eorum arbitrium gratia indigeret tali ſtatui conveniente, qua fieret ut corroboraretur, atque ſuſtentaretur. Tandem nemo eſſet, qui ad perfectam juſtitiam pervenire poſſet, utpote quæ non modo actiones, ſed etiam vitioſas propenſiones excludit. Itaque ſi probabiliſſimam Pelagianiſmi ſuſpicionem propulſare a ſe Beauſobrius volebat, prætermiſſis verbis ambiguis, nec ad rem pertinentibus, libera & clara voce dicendum ipſi erat, *Ego Beauſobrius peccatum originale eſſe profiteor*. At vero ab hac confeſſione alieniſſimum ſe Beauſobrius declarat. Etenim extremis loci ſupra commemorati verbis non obſcure ſignificat, ſententiam de peccato originali ſe in numero habere opinionum theologicarum, quæ ſalva fide in utramque partem defendi poſſunt impune. Errat hoc loco, ut in aliis plurimis, & vehementer errat Beauſobrius contra certiſſimam univerſæ Eccleſiæ doctrinam. Etenim peccatum originale veritas eſt a Deo revelata, utque talis jampridem contra hæreticos Pelagianos in pluribus Conciliis declarata ab Eccleſia eſt. Teſtis eſt Auguſtinus jamdudum contra Julianum, & modo contra Beauſobrium imitantem Julianum lib. 2. de Nup. & Concupiſ. cap. 27., num. 47. pag. 217. tom. 10., cujus hæc verba ſunt de teſtimoniis divinis teſtantibus peccatum originale, *Adhuc quærat* (Julianus) *per quid peccatum inveniatur in parvulo? Reſpondeant paginæ ſanctæ*: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſit, in quo omnes peccaverunt: Ob unius delictum multi mortui ſunt: Judicium

Originale peccatum ex triplici profeſſione Beauſobrii non infertur.

Originale peccatum juxta Beauſobrium non ad fidem, ſed ad theologicam opinionem pertinet.

Originale peccatum ex divinis paginis ab Auguſtino demonſtratum.

ex

ex uno in condemnationem: Ob unius delictum mors regnavit per unum: Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem: Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. *Ecce per quid delictum inveniatur in parvulo. Jam credat originale peccatum. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius?*

XVII. Audet Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 480., & 481. tom. 2. singulari temeritate de mendacio, & calumnia Augustinum insimulare, quod affirmavit, Manichæos nuptiarum hostes generationem hominum evitandam præcipere. Quod ut obtineat tales captiosis interrogatiunculis difficultates proponit: *Num liberis Manichæi carebant? Solane Proselytorum accessione eorum societas conservabatur? Ergone baptismus infantium, qui apud eos erat in usu, nullum locum habebat, nisi quis improbus eorum laicus perniciosæ legis oblitus esset, quæ servanda erat in nuptiis?* Ad has Beausobrii cavillationes respondeo, Verisimile admodum est, prætermissis Electis, quorum plures de pellicatu liberos suscipiebant, Manichæorum Auditores, quibus uxores indulgebantur, ex concessis sibi conjugiis, vel fortuito, vel data opera, in conjugum abusu sibi permisso, liberos plurimos suscepisse. Neque vero ita religiosos Auditores censeo, ut sibi religioni ducerent, si contra Electorum monita de evitanda in abusu conjugis prole, vel casu vel de industria parentes fierent: nec eo usque severos Electos arbitror, ut Auditores suos, quibus interdictæ uxores non erant, propter susceptionem filiorum, quam ut fortuitam etiam excusare poterant, ex Auditorum suorum numero excluderent. Profecto Augustinus cum Manichæorum Auditor esset, Adeodatum filium suscepit, nec idcirco ab Electis ex Auditorum tabula expunctus est. Ex multitudine igitur Auditorum præter proselytos, eorumque copiosa sobole, sufficiebatur numerus Electorum; atque ita Manichæorum societas facile conservabatur. Comparat hoc loco Beausobrius cælibatum Monachorum, majorisque cleri, cum objecta

Ex nuptiis a Manichæis prohibitis non sequitur interitus sectæ Manichææ.

Cælibatus in Ecclesia catholica cultus naturæ legi non est contrarius.

jecta Manichæorum lege de evitanda in conjugali usu liberorum procreatione ; contenditque non minus contra naturam esse præscriptum a catholicis cælibatum , quam Manichæorum decantata lex illa esset . Quod ut obtineat multa contra verecundiam persequitur , quæ nolentibus & invitis , cælibatum custodientibus accidunt : ex quibus contendit cælibatum naturæ lege esse prohibitum . Ergo , ne casus illi accidant, auctore Beausobrio , omnes homines , statim atque ad pubertatem pervenerint , ad ducendas uxores lege naturæ obligantur ? Item , Beausobrio auctore , milites , nautæ , peregrini , aliique permulti contra legem naturæ peccant , vel si uxoribus careant , vel si diuturno tempore a suis uxoribus absint . Præterea Christus Dominus , qui Matth. 19. 12. verbis illis , *Sunt Eunuchi , qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum* , futurum in Ecclesia sua cælibatum commendavit , auctore Beausobrio , rem contra naturæ legem laudavit . Rursum uterque Joannes , Baptista , & Evangelista , Paulus Apostolus , aliique permulti Christi Domini imitatores cælibatum servantes , Beausobrio auctore , contra naturæ legem peccarunt . Paulus autem qui suo exemplo ad cælibatum servandum fideles cohortatus est verbis illis , 1. Cor. cap. 7. v. 7. *Volo omnes vos esse , sicut meipsum ; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo* . Item v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino , ut sim fidelis* , auctore Beaufobrio , rem naturæ legi contrariam , tanquam præcipuum Dei donum , suasit . Denique , auctore Beausobrio , gregales ejus Calviniani , naturæ legam pervertunt , tum qui carent uxoribus , tum qui diutius a suis uxoribus absunt , tum qui , non statim atque ad pubertatem perveniunt , uxores ducunt , sed ad provectam ætatem nuptias protrahunt . Etenim casus ille , de quo Beausobrius loquitur , ad quem evitandum lege naturæ ad celebrandas nuptias , eo magistro , obligamur , Calvinianis gregalibus suis potest impune contingere .

Cælibatus a Christo Domino institutus , a Paulo Apostolo cultus & commendatus .

XVIII. Provocat Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat.

In nuptiis obscœnissimum uxorum usum contra Beausobrium Titus Bostrensis præceptum a Manichæis testatur.

mat. Manich. cap. 4. pag. 481., & 482. ad Titum Bostrensem, quo auctore, contendit, Manichæos non præcepisse Auditoribus suis turpissimum illum uxorum usum ad evitandam liberorum procreationem, de quo eos Augustinus accusat. Verba autem Titi Bostrensis a Beausobrio citata ex lib. ejus 2. pag. 922. sunt hæc: *Procreationem liberorum contumeliose vituperantes, volentes ut corpora sine ea miscerentur, qui servi quidem sunt necessariæ successionis a Deo sancitæ, sed non voluptatis. Inimici autem per omnia veræ & germanæ virtutis ac pietatis, tanquam accusantes generis perpetuitatem, & volentes alicubi sistere processum ejus naturalem.* Hæc Titi verba perverse interpretatur Beausobrius de Gentilibus procurantibus abortus. At enim secundus ille Titi Bestrensis liber non contra Gentiles, sed contra Manichæos est inscriptus. Præterea infrequens apud Gentiles erat procuratio abortus, & in tanta apud eos omnium libidinum impunitate admodum rara caussa ejus procurandi; quorum potius consuetudo erat exponendi infantes pueros, quos alere nollent. Rursum, Manichæi, secus autem Gentiles, procreationem liberorum, ut Titus loquitur, contumeliose vituperabant. Manichæi, secus autem Gentiles, accusabant humani generis perpetuitatem, volentes alicubi sistere naturalem generis humani processum, Itaque Titi verba aptissime Manichæis quadrant, in Gentiles vero minime cadunt. Postremo Beausobrius, ut suadeat Titum Bostrensem libro illo secundo, qui tamen contra Manichæos est, contra Gentiles procurantes abortus invehere, hæc ejus implexa & perobscura verba depromit. *Qui autem sæpius voluptatem capientes, quod inde necessario provenit odio habent: & mandant sic commiscere corpora præter editum, ut* (fortasse quo) *conceptus concludant & ejiciant: & partus intempestivos, & immaturos non expectare, quippe cum hoc solum sit grave & difficile.* At hæc Bostrensis verba non ad Gentiles, sed ad Manichæos, quibuscum Titus dimicat, pertinent. Etenim ubinam, vel quando lata lege mandarunt Gentiles, ut in feminarum usu non suscipiantur

tur liberi, quod Manichæi Auditoribus suis mandabant? Ubinam, vel quando mandarunt Gentiles, non expectari partus intempestivos & immaturos, abortus scilicet, quod id grave sit ac difficile, sed impedire potius procreationem prolis; quod re vera Auditoribus suis præcipiebant Electi? Sed fac talem legem apud Gentiles fuisse, quæ apud Manichæos certe fuit, vetabat potius lex hujusmodi abortus, non ad eos procurandos, ut Beausobrius contendit, impellebat. Quid in mentem venerit Beausobrio, ut citaret hæc Titi Bostrensis verba prorsus ignoro, quæ verba sententiæ ejus prorsus repugnant. Manifesta sunt igitur Beausobrii contra Augustinum mendacia, fraudes, & cavillationes.

XIX. Contendit Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 482., & 483. tom. 2. Manichæos de Nuptiis & Cælibatu idem sensisse, & servasse, quod Catholici sentiunt, & servant. Nimirum cælibatum ad Evangelica consilia pertinere; atque idcirco ab Electis, Manichæorum Ecclesiasticis, religiosissime custoditum: Nuptias vero Auditoribus Laicis suis, tanquam infirmis, quorum toleranda imperfectio erat, fuisse permissas. Perspicua hæc atque explorata Beausobrii mendacia sunt. Quid de Nuptiis, & liberorum procreatione Manichæi senserint ex præclarissimis S. Augustini testimoniis apparet, quæ sæpe multa, multisque locis hactenus exhibuimus: quæque nec assidue, nec omnia iterum iterumque recitanda sunt. Nuptias liberorum procreandorum causa celebratas malas esse Manichæi sentiebant, quod talibus nuptiis anima divinæ naturæ particula arctissimo vinculo constringeretur cum materia particula æternæ naturæ malæ, a qua necessario foret contaminanda. Nuptias quidem Auditoribus suis permittebant, hac tamen lege, ut caverent quantum fieri poterat, a liberis procreandis. Testis est Augustinus lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. pag. 12. tom. 8., cujus hæc verba sunt: *Monent Auditores suos, ut si utuntur conjugibus, conceptum tamen, generationemque devitent, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis*

Nuptiæ, tanquam malæ, Electis prohibitæ; Auditoribus permissæ, interdicta liberorum procreatione.

 car-

carnis ligetur in prole: Causa vero, cur Electi toleraverint potius, quam permiserint suis Auditoribus nuptias, fuit, ne ab his, quorum opera ad victum erat eis necessaria, desererentur. Audiatur S. Doctor lib. 30. contra Faustum cap. 5. pag. 318. tom. 8. *Nec ideo vos dicatis*, inquit, *nuptias non prohibere, quia multos vestros Auditores in hoc obedire nolentes, vel non valentes, salva amicitia, toleratis. Illud enim habetis in doctrina vestri erroris, hoc in necessitate societatis.* Quamquam si ad trutinam veritatis res expendatur, prohibendo liberorum procreationem, non nuptias, sed nefariam libidinem, naturæ lege interdictam, Auditoribus permittebant Electi. Hinc S. Doctor loco supra commemorato, *Vos*, inquit, *eum præcipue concubitum detestamini, qui solus honestus & conjugalis est, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt, procreandorum liberorum causa: unde vere non tam concumbere, quam nubere prohibetis. Concumbitur etiam causa libidinum; nubitur autem, non nisi filiorum.* Itaque Manichæorum Electi, ne se periculo liberos procreandi committerent, quod procreatio flagitium apud eos teterrimum erat, hac de causa carebant uxoribus; quas quidem, ne se desertos viderent, Auditoribus suis indulgebant, hac tamen lege, ut a liberis procreandis caverent; quam tamen legem Manichæorum Auditores fortuito, vel consulto frequentissime violabant, & impune liberos suscipiebant. Quis Beausobrio neget hæc Evangelii consilia esse a Manichæis prædicata? Sed cujusnam Evangelii? Haud sane Evangelii secundum Matthæum, vel secundum Lucam, vel secundum Marcum, vel secundum Joannem; sed Evangelii secundum Manichæum, secundum Adimantum, secundum Fortunatum, secundum Faustum.

XX. Comparat Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 483. tom. 2. Manichæos cum Catholicis ætate nostra, ut inquit, interdicentibus nuptias, & præcipientibus cælibatum suis servandum clericis atque Monachis: contenditque eadem Manichæorum atque Catholicorum esse principia, eademque de vir-

virginitate, & cælibatu servando argumenta: testimoniumque Fausti producit apud Aug. lib. 30. cap. 4. pag. 317. tom. 8. testantis Manichæos cum Paulo, & ad exemplum Pauli, præferre dumtaxat nuptis innuptas. Jam vero, quos malitiose nostræ ætatis catholicos appellat, noverit hos christiana professione non alios omnino esse a Catholicis antiquissimæ ætatis, quibuscum in doctrina fidei, morum, & disciplinæ præsentes prorsus conveniunt; atque ab impiis & turpibus Manichæorum principiis, rationibus, usu, & consuetudine non modo discrepant, sed summopere etiam abhorrent. Etenim Manichæi, interdicta dumtaxat liberorum procreatione, qua Deum bonum cum malo dæmone conglutinari docebant, omnem omnino libidinem, adversante etiam & repugnante natura, institutionibus suis, permittebant. Ob hanc causam, nimirum ob periculum procreationis Electis interdictæ, Auditoribus nuptiæ erant indultæ, hac tamen lege, ut vitarent liberorum procreationem, quovis vel turpissimo modo; quamquam datam Electis fidem Auditores frequentissime, idque impune, fallebant. Neque vero Manichæorum Electi anteponendo virginitatem nuptiis Apostolum imitabantur, quinimmo ab Apostolo maxime discrepabant. Paulus enim bonas esse nuptias, melioremque nuptiis virginitatem esse dicebat: contra vero Manichæi bonam quidem virginitatem, sed malas nuptias esse affirmabant. Sed Augustinus ipse audiatur qui Fausti jactantiam de suorum virginitate sic opprimit lib. 30. contra Faustum cap. 6. pag. 318. tom. 8. *Si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum hortatur apostolica doctrina* (1. Cor. 7. 38.) Qui dat nuptum bene facit, & qui non dat nuptum melius facit, *ut bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem, sicut facit Ecclesia, quæ vere Christi est Ecclesia, non vos Spiritus Sanctus ita pronuntiaret dicens*, Prohibentes nubere. *Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit; non qui hoc bono aliud melius anteponit.*

Cælibatus lex apud Manichæos fœdissima; apud Catholicos sanctissima.

Nuptias malas esse Manichæi affirmabant: bonas esse catholici affirmant; hisque meliorem virginitatem.

XXI. Quærit loco supra commemorato Beausobrius, qui fuerint omnium primi, qui ausi sunt, ut

Cælibatus majoris cleri antiquissimus, & a Christo Domino per Apostolos, horumque successores Episcopos ad nos delatus.

loquitur, nuptias Ecclesiasticis interdicere. Si id scire desiderat, Thomassinum scriptorem eruditissimum consulat, de Vet. & Nova disciplina p. 1. lib. 2. cap. 60. A Thomassino accipiet omnium primum fuisse Christum Dominum, deinceps Apostolicam traditionem per consequentes Episcopos successores Apostolorum ad nos delatam. Discipulis Christum Dominum interpellantibus verbis his Matth. 19. *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*; respondit Jesus, *Non omnes capiunt verbum istud*. Item, *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat*. Jam vero *Regnum cælorum* apud Evangelistas sæpenumero Christi Domini Ecclesiam significat. Locupletissimus testis est Gregorius M. Homil. 12., ubi verba illa Christi Domini apud Matth. 25., *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, de Christi Ecclesia, ut alia hujusmodi, optime interpretatur, dicens, *Sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur*. Itaque verba illa, *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum*, perinde se habent ac verba ista, *Sunt voluntarii cælibes, qui cælibatui perpetuo se devoverunt propter Ecclesiam officiis sanctioribus administrandam*. Neque vero ad obtinendum æternum regnum cœlorum necessarius est cælibatus: nec magis constat de pudicitia Laicorum cælibum, quam de pudicitia Christianorum conjugum. *Sed non omnes capiunt verbum istud: & qui potest capere, capiat*, inquit Christus Dominus. Profecto verbum istud de Monachorum, deque majoris cleri cælibatu Lutherani non capiunt, non capiunt Calviniani, Beausobrius gregis Calviniani Pastor non capit: Catholici vero qui possunt capere, capiunt. Quod pertinet ad Apostolicam traditionem, quæ per Episcopos Apostolorum successores ad nos devenit superiori num. VI., VII., VIII. pag. 88., & sequentibus testes locupletissimos de cælibatu majoris cleri produxi Patres IV. & V. Sæculi, nimirum Concilii Carthaginiensis II. Siricium Papam, Innocentium I., Eusebium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Leonem

Ma-

Magnum, Epiphanium: quibus adde Cyrillum Jerosolymitanum, & Gregorium Nissenum, aliosque multos, tum per Ecclesiam diffusos, tum in Conciliis pluribus congregatos. Præter Patres testem adhibeo maximæ auctoritatis Origenem scriptorem Sæculi III. Is Hom. 23. in Lib. Numer. hæc de Sacerdotibus habet, qui in Ecclesia Catholica indesinens, atque perpetuum offerunt sacrificium, quos ad cælibatum servandum obligari docet: *Si oratio*, inquit, *justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, & elevatio manuum ejus sacrificium est vespertinum; dicit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt*, Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: *Certum est quia impeditur Sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.* Quin etiam in veteri justitiæ lege Sacerdotes ex tribu Levi, quamvis non diu & ad tempus, cælibatum servare debebant, quibus præceptum est, ut anno vicis suæ, ab uxoribus segregati habitarent in templo: quo exemplo Siricius utitur ad confirmandum cælibatum majoris Cleri in nova lege gratiæ epist. 1. ad Himerium scripta anno 385. cap. 7. num. 9. pag. apud Constant. 330. Non paucis S. Hieronymi testimoniis de cælibatu a majoribus Clericis servando, loco supra commemorato productis, adde quæ habet in Apolog. pro libris contra Jovinianum, quæ sunt hujusmodi: *Christus Virgo, Virgo Maria utriusque sexu, virginitatem dedicavit. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici*, Adde præterea Epiphanium Ecclesiæ Græcæ Patrem, qui præter ea quæ in hac causa supra deprompsimus, hæresi 48. num. 7. hæc iterum in rem nostram docet: *Cum Sacerdotalia Christus munera & ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse, velut in quodam exemplari monstraverit,*

rit. Id quod Apostoli deinde honeste & religiose decreverunt per Ecclesiasticam Sacerdotii regulam.

Cælibatum majoris Cleri Canon XIII. Trullanæ Synodi improbans a Romana Ecclesia repudiatus.

XXII. Neque vero Canon XIII. Synodi Quino-Sextæ, quæ & Trullana dicitur, exeunte Sæculo VII. celebratæ, ponderis ullius est contra vetustissimum Cleri majoris cælibatum in Ecclesia Catholica custoditum, qui Canon est hujusmodi: *Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos: nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis, ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem siquis dignus inventus fuerit, qui vel Hypodiaconus, vel Dsaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam probibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se cum legitima uxore consuetudine abstenturum: ne ex eo a Deo constitutas, & sua presentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, evangelica voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo non separet; & Apostolo dicente, Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum: &, Alligatus es uxori? Ne quæras solutionem . . . Siquis autem fuerit ausus præter apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore & consuetudine privare, deponatur. Similiter & siquis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur: & si perseveret, deponatur.* Etenim Canon hic XIII., quemadmodum III., LV., LVII., & LXXXII., quamvis vehementer, magnopere, importune, permoleste, & assidue ejus approbationem peteret & urgeret apud Romanos Pontifices Justinianus Junior, a Romana Ecclesia, *Quæ omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra*, ut definitum est a Conc. Trid. Sess. VII., Canone III., non modo approbatus unquam

quam non fuit, verum etiam fortiter & constanter rejectus semper explosus, & repudiatus est.

DISSERTATIO VIII.

De Beausobrii mendaciis, quæ ad Augustini sententiam de Animarum origine & propagatione pertinent.

I. AUgustinum de Animarum origine & propagatione disputantem in eam vere inclinare sententiam, quæ docet, Animas ut corpora generari, ingenita sibi temeritate Beausobrius pronuntiat lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 4. pag. 480., & 481. tom. 2. Quid autem de Animarum origine & propagatione Augustinus senserit non mendax Beausobrius, sed ipsemet S. Doctor testis verax est adhibendus. Jam vero Augustinus lib. 2. retract. cap. 56. pag. 44. tom. 1. ad trutinam revocans libros suos quatuor, qui sunt de Anima, & ejus origine, contra errores nec paucos nec parvos Vincentii Victoris juvenis audacis & imperiti, quid in his libris de Anima & ejus origine dixerit, his verbis testatur: *De origine Animæ hominum singulorum, utrum ex illa una primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur; an sicut illi uni sine ulla propagatione singulæ singulis dentur, me nescire confessus sum.* Et paulo infra de quatuor illis de anima & ejus origine libris agens, *In iis omnibus*, inquit, *in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam.* Itaque Augustinus apertis verbis testatur se nescire, se dubitare, se incertum esse, utrum animæ hominum generentur per propagationem, an vero per creationem singulæ animæ hominibus singulis tribuantur. Profecto nescire, dubitare, incertum esse, haud est in alterutram partem vergere, & propendere. Optatus Episcopus epistolas tum Cæsaream Mauritaniæ Provinciæ, tum Muressim oppidum ad amicos suos dederat, quibus hanc solvendam ab eis quæstionem proposuerat: *Utrum animæ ut corpora propagatione nascantur; sintque*

De animarum origine in eam sententiam inclinasse Augustinum, quæ docet, Animas ut corpora generari, mendacium & calumnia Beausobrii est.

illa una, quæ primo homini creata est: an Creator Omnipotens, qui utique usque nunc operatur, sine ulla propagatione novas faciat singulis proprias? Cum autem Cæsareæ, & Muressis traditæ essent Augustino tales Optati epistolæ, rogantibus fratribus, ut his S. Doctor responderet, is epist. 190. ad Optatum cap. 1. num. 2. pag. 533. tom. 2. anno 418., hæc primum respondet: *Scire te volo, in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse ausum de hac quæstione definitam proferre sententiam, & impudenter referre in litteras ad alios informandos, quod apud me non fuerit explicatum. Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est hac epistola exprimere.* Itaque S. Doctor apertissime negat in tam multis opusculis suis assensum suum inclinasse vel in sententiam quæ docet, humanas animas ut corpora generari, vel in eam quæ docet novas animas in humanis corporibus a Deo creari. Quare verba ipsa S. Doctoris cum verbis ipsis Beausobrii pugnant omnino.

De animarum origine optavit Augustinus verum esse sententiam de assidua animarum creatione.

II. Quamquam optasse videtur Augustinus, ut sibi vera demonstraretur sententia de assidua novarum animarum in humanis corporibus a Deo creatione. Etenim Optato huic veræ sententiæ faventi, quæ nondum ab Ecclesia universa declarata erat, hæc sunt quæ S. Doctor ibidem rescribit cap. 4. num. 13. pag. 535. tom. 2. *Si inveneris, quod te quærere admonui, quod ipse adhuc fateor non inveni, defende quantum potes, atque assere animarum infantium ejusmodi esse novitatem; & nobiscum quod inveneris fraterna dilectione communica.* Et rursum ibidem cap. 6. pag. 538. tom. 2. *Si ita potes*, inquit, *animarum asserere sine ulla propagine novitatem, ut ratione justa, & a fide catholica non aliena, etiamsi peccato primi hominis ostendantur obnoxiæ, assere quod sentis ut potes.* De Pelagianis vero, quatenus animarum novarum creationem assiduam tuebantur, quamquam ut originale peccatum negarent, hæc habet ibidem num. 22. *Hi autem non ideo sunt hæretici, quia dicunt, animas originem de illa prima peccatrice non ducere,*

vere, quod vel aliqua fortasse ratione vera dici potest, vel sine fidei labe nesciri. Marcellinus Tribunus, qui in Donatianorum persecutione Martyr occubuit, post consultum a se Augustinum de origine humanæ animæ, Hieronymum quoque per litteras in Africa datas de eadem quæstione consuluit: cui rescribens Hieronymus diversas de origine animæ sententias exponit; cetera vero, utpote multis distentus studiis, ut ab Augustino exquirat, hortatur. Ecce verba Hieronymi epistola inter Augustinianas 165. ad Marcellinum, & Anapsychiam cap. 1. num. 1. pag. 442. tom. 2. *Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, immo maximæ Ecclesiasticæ quæstionis; Utrum lapsa de cælo sit ut Pythagoras philosophus, omnesque Platonici, & Origenes putant: An a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani hæresis, suspicantur: An in thesauro habeantur Dei, olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt: An quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum id quod in Evangelio* (Joan. 5. 17.) *scriptum est*, Pater meus usque modo operatur, & ego operor: *An certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant; ut, quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat. Super quo quid mihi videretur in opusculis contra Ruffinum scripsisse me novi*. Postremo ad propositam sibi quæstionem concludit: *Certe habes ibi* (in Africa) *virum sanctum & eruditum Augustinum Episcopum, qui viva, ut ajunt, voce docere te poterit, & suam, immo per se nostram explicare sententiam*.

III. Pervenit ad Augustini manus brevis Hieronymi ad Marcellinum epistola, ex qua intellexit, stare Hieronymum pro assidua animarum novarum creatione, tum ex Evangelicis illis a Hieronymo citatis verbis, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, Tum ex citatis a Hieronymo suis contra Ruffinum libris, in quorum tertio pag. mihi 179. edit. Manut. tom. 2. hæc Hieronymi, & orientalis Ecclesiæ senten-

tia continetur, *Quotidie Deus operatur animas, & in corpora eas mittit nascentium*. Itaque Augustinus epistolam ad Hieronymum dedit *De Origine Animæ hominis*, admodum copiosam, quam idcirco lib. 2. reteact. cap. 45. librum appellat. In hac epistola novo ordine 166. cap. 4. num. 8. pag. 446. tom. 2. de sententia Hieronymi se certiorem factum his verbis affirmat, *Hoc certe sentis, quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus faciat*. Quo autem animo Hieronymi sententiam de assidua animarum novarum creatione Augustinus exceperit, sic ibidem declarat: *Ecce volo, ut illa sententia mea sit, sed nondum esse confirmo*. Et infra cap. 8. num. 25. pag. 451. *Illa*, inquit, *de Animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam* (de originali peccato) *non oppugnat, sit & mea: Si oppugnat, non sit & tua*. Præterea ibidem cap. 9. num. 27. *Illam*, inquit, *opinionem, quod ex una fiant omnes animæ, nec discutere volo, nisi necesse sit: atque utinam ista* (de animarum creatione) *de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur, ut hoc* (idest discutere opinionem de animarum propagine) *necesse jam non sit*. Hæc Augustinus scribebat anno 415. ad Hieroymum. Anno vero 418. epistola 190. ad Optatum Episcopum cap. 6. num. 20. pag. 537. tom. 2. de Hieronymi epistola ad Marcellinum hæc habet; *Significavit* (Hieronymus) *in eadem brevi epistola sua, se potius fieri, quam propagari animas credere. Simul etiam admonens animarum propaginem, quia ipse in Oriente est, Occidentalium Ecclesiam solere sentire. Hac ego majore occasione comperta scripsi ad eum non brevem librum* (epistola est 166.) *consulens eum & petens, ut prius me doceat, & tunc ad me mittat, quos doceam*. At Hieronymus gravissimis occupatus negotiis ad eam Augustini epistolam, ut Augustinus inquit lib. 2. retract. cap. 45. tom. 1. *Rescripsit, laudans eamdem consultationem meam; sibi tamen ad respondendum otium non esse respondit*. Ex superioribus Augustini verbis clare intelligitur, S. Doctorem propensiorem fuisse ad tuendam sententiam de nova creatione, quam de animarum a prima anima

tra-

traductione: solumque fuisse solicitum de concordia, explicatu perquam difficili, creationis animarum novarum cum diffusione originalis peccati, quo singulæ contaminantur: eoque magis quod noverat S. Doctor, Pelagianos ad explodendum peccatum originale abuti sententia, & si verissima quamvis eatenus ab universa Ecclesia non declarata, de creatione animarum novarum, qua Deus, nullius mali seu omnium bonorum auctor, singulas animas in humanis corporibus ex nihilo creat. Itaque Augustinum re vera inclinasse in animarum nostrarum, uti corporum, generationem, re vera mendacium & calumnia Beausobrii est.

De animarum origine turpissimam Leibnitii sententiam Augustino Beausobrius temere attribuit.

IV. Pergit Beausobrius Augustinum invadere lib.7. Histor. Manich. cap.4. pag.481. tom.2, cui absurdissimam Leibnitii sententiam lib.1. Theodiceæ pag.108, iniquissime attribuit de innumerabili animarum nostrarum multitudine latentium in minimis particulis seminalibus, eamque sententiam esse nonnullorum, quos laudat, ætatis nostræ philosophorum affirmat. Mox scurræ personam induit, in scenam prodit, in qua Turpionem veterem egregie refert, jocisque & salibus non modo scurrilibus, sed etiam impiis fœdissimam Leibnitii fabulam ludit. Jam vero, quæ de origine animæ in utramque partem Augustinus disputat, quin ullam ferat sententiam, non a mendacissimorum omnium hominum mendacissimo Beausobrio, sed ab ipsomet Augustino sunt repetenda. Et primo quidem epistola 190. ad Optatum episcopum, quæ tota est de origine animæ cap.4. num.14. pag.535. tom.2. Tertulliani sententiam de origine animæ ex traduce, ita ut anima humana non spiritus sit, sed corpus, S. Doctor maxime detestatur. Ecce verba S. Doctoris: *Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eis ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, quo perversius quid dici potest?* Explosa Tertulliani opinione de animarum corporearum traduce, quæstionem sibi prorsus incertam, quin de ea quidquam decernat, Optato discutien-

De animarum origine ex traduce Tertulliani sententiam Augustinus repudiat.

De animarum origine ex traduce insolubilis apud Augustinum quæstio.

tiendam S. Doctor producit, quæque ab absurditate Leibnitiana prorsus discrepat. Audiatur: *Mirum*, inquit ibidem pag. 535. & 336. *si ullus sensus comprehendit humanus, quonam modo tanquam lucerna de lucerna accendatur, & sine detrimento alterius alter ignis existat, sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem: Vtrum incorporeum semen animæ, sua quadam occulta, & invisibili via, seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in femina; an quod est incredibilius in semine corporis lateat. Cum autem fluunt sine ullis conceptibus semina, utrum semen animæ non simul exeat, an summa celeritate atque atomo temporis, unde exierat, recurrat, an pereat. Et si perit, quo modo ipsa, cujus mortale semen est, immortalis est anima.* Vides implicatissimam, atque imperviam spinarum sylvam, in qua sententia de spiritualium immortaliumque animarum propagatione per traducem, Augustino teste, versatur. Vides, auctore eodem, animas in particulis seminalibus non latere, in quibus nec excogitatum latet incorporeum animæ semen, atque hinc argue quantum a veritate discrepet testimonium Beausobrii affirmantis Augustinum & inclinari in sententiam de animarum, ut corporum, generatione, & cum Leibnitio sentire de animatis, animarum multitudine prope infinita, minimis particulis seminalibus. Postremo Augustinus expositis, expensisque gravissimis difficultatibus, quibus sententia de animarum propagatione obstringitur, concludit rem esse penitus retrusam, abditam, reconditamque in occulto naturæ sinu, atque idcirco verendum nobis non esse quominus fateamur nos nescire ea, quæ necessimus: *Cum hæc atque hujusmodi*, inquit ibidem cap. 5. num. 16, *de hac re multa quæruntur, quæ nullo sensu carnis explorari possunt, & a nostra experientia longe remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latent, non erubescendum est homini confiteri, se nescire quod nescit.*

De animarum origine Leibnitii sententia maxime discrepat ab Augustini sententia.

Animarum originem se nescire Augustinus ingeque fatetur.

V. Narrat Beausobrius lib. 7. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 489. tom. 2. Julianum Pelagianum Augustino exprobrasse, quod a Manichæis acceperit sen-

ſententiam de propagatione animarum ex traduce. Quandoquidem lib.1. de peccat. mer. & remiſſ. cap.10. num.11. pag.5. tom.10. verbis illis, *Omnes ille unus homo fuerunt*, ſatis aperte ſignificavit, Adamum animarum omnium, ut omnium corporum eſſe patrem. Et quamvis Auguſtinus teſtetur lib.2. Oper. Imperf. num.178. pag.764. tom.10. ſe neſcire hanc quæſtionem ſolvere, Utrum Adam ſecundum ſolum corpus, an vero ſecundum utramque hominis partem omnium hominum pater ſit, tamen lib.1. de Anim. & ejus Orig. cap.18. tom.10. ſecundam quæſtionis partem tuetur, quod Deus in corpus Evæ, quod ex una Adam; coſta finxerat, novum ſpiraculum vitæ inſpiraſſe non dicitur; ex quo conſequitur, Animam Evæ vel particulam, vel emanationem fuiſſe animæ Adami; atque idcirco unam animam poſſe alteram generare ſine ulla ſui diminutione. Hacteuus Beauſobrius. Fateor Julianum cum ceteris Pelagianis Auguſtino exprobraſſe, ſententiam de animarum traduce S. Doctorem a Manichæis accepiſſe. Etenim duodeviginti Pelagiani Epiſcopi, quorum numerum omnium dux complebat Julianus, epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem epiſcopum, quem a catholicis ad ſe abducere conabantur, opinionem illam Auguſtino, ceteriſque catholicis attribuerunt, teſte Auguſtino lib.3. contr. duas epiſt. Pelag. cap.10. num.26. pag.308. tom.10, cujus hæc verba ſunt de duodeviginti ſupra commemoratis Pelagianis epiſcopis: *Ajunt nos animarum traducem cum peccati traduce conteri*. Sed quid ad hæc S. Doctor? Protinus addit, *Quod ubi, & quando in eorum, qui defendunt adverſus iſtos catholicam fidem, vel ſermonibus audierint, vel litteris legerint, neſcio*. Animarum ergo traducem ſe cum catholicis propugnare Pelagianam calumniam refellens apertiſſimis verbis Auguſtinus negat. Teſtimonium hoc Auguſtini de animarum traduce nec a ſe, nec ab ullis catholicis propugnato Julianus Pelagianus apud Auguſtinum lib.2. Oper. Imperf. num.178. pag. 763, & 764. tom.10. producit, expendit, hiſque verbis convellere nititur: *Credis ita eſſe animarum traducem*

Animarum traducem ſe cum catholicis propugnare Auguſtinus contra Pelagianam calumniam aperte negat.

cem, in Tertulliani olim & Manithæi profanitate damnatam, situt est etiam corporum tradux: quod tam nefarium est, ut cum a nobis in ea epistola, (ad Rufum) *quam ad Orientem misimus, nobis fuisset objectum, tu in his libris* (lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 10. num. 26. pag. 308. tom. 10.) *quos nuper ad Bonifacium misisti, negando a te propulsare coneris. Ais enim:* Dicunt autem nos animarum traducem confiteri, quod in cujus libris legerint, nescio, *ut a te videlicet, nihil tale deieres. Porro ut falsitas tua tuorum verborum collatione prodatur, quomodo traducem animarum, profanam re vera opinionem, tuis dicis sensibus non teneri, cum profitearis* (lib. 1. de peccat. merit. & remis. cap. 10. num. 11. pag. 5. tom. 10.) *Omnes homines illum unum fuisse? Si enim non credis partem animæ seminibus illigatam, quo ore scribis, Omnes homines Adam solum fuisse, cum homo utique nisi anima, & corpus simul esse non possit?* Hactenus Pelagianus Jnlianus.

De animarum ttaduce a se propugnara sententia, Pelagiana calumnia ab Augustiuo confutatur.

VI. Quid ad hæc Augustinus? Audiatur quomodo S. Doctor & veterem Juliani, & novam Beausobrii calumniam evertat funditus, extirpetque radicitus: *Putas*, inquit, *hominem non posse dici solum hominis corpus.* Mox docet, ut omnes homines unus ille homo fuisse dicantur, satis esse, ut secundum solum corpus fuerint homo ille unus. Idque multis probat exemplis. Sic Christus Dominus sub Pontio Pilato mortuus & sepultus dicitur, licet secundum solum corpus mortuus sit & sepultus: sic dicitur Gen. 2. 7. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*, licet secundum solum corpus de limo terræ formatus sit homo primus: sic primo homini dixit Deus post violatum divinum præceptum Gen. 5. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, etsi non secundum animam, sed secundum solum corpus reversurus esset in pulverem. *Quia ergo fuit Adam*, pergit eo loco Augustinus, *& in illo fuimus omnes, quod ante nos catholici Doctores secundum scripturas sanctas in sancta Ecclesia didicerunt, atque docuerunt, ideo dixi, Omnes ille unus fuerunt.* Postremo contra Julianum negantem peccatum originale concludit: *Ex qualibet*

libet ergo, & quantalibet parte, omnes qui ex illo nati sunt, ille unus fuerunt, sive secundum solum corpus, sive secundum utramque hominis partem, quod me nescire confiteor, nec me pudet, ut vos, fateri nescire quod nescio; nec ideo tamen nescio de omni homine scriptum esse, Homo vanitati similis factus est, dies ejus velut umbra prætereunt ... quod justo Deo creante non fieret, si peccatum originale non esset. Itaque Auguſtinus nunquam, & nuſpiam ſententiæ de animarum traduce, ſeu de animarum ab anima primi hominis propagatione ſuffragatus eſt, ſed ad extremum uſque vitæ ſuæ ſpiritum, quando in manus habebat opus quod dicitur Imperfectum, ideſt, morte intercipiente non abſolutum, illudque ſcribens eſt mortuus, clara & libera voce teſtatus eſt, ſe animarum originem ignorare. Nihilo tamen minus Beauſobrius, ut mendacium ſuum de Auguſtini ſententia ſuadeat, depromit verba, quæ apud Auguſtinum ſunt lib.1. de Anima & ejus origine c.18. Sed hic ut aſſidue in pleriſque ſuis locis, mendacem ſe manifeſtat. Etenim eo loco Auguſtinus non ſuam tuetur, ſed alienam refert ſententiam, quam non probat, ſed improbat. Audiatur igitur eo loco Auguſtinus, cujus hæc verba ſunt: *Illi, qui propaginem asserunt animarum, hinc se putant invictius suam munire sententiam, quia cum scriptum sit, detraxisse Deum costam ex latere viri, eamque ædificasse in mulierem, non est additum, quod in ejus faciem sufflaverit flatum vitæ: ideo, inquiunt, quia jam de viro fuerat animata.* Quid jam de hac non ſua, ſed aliena interpretatione pro animarum traduce Auguſtinus? Audiatur quomodo ſequenti num.30. eam repudiat; *Nec illi*, inquit, *qui defendunt animarum propaginem ex eo, quod non sufflavit Deus in faciem mulieris, aliquid adjuvantur.* Poſtremo ibidem cap.19. pag.237. num.34. admonet S. Doctor eos, qui animas a Deo novas creari docent, ut evitatis quatuor erroribus Vincentii Victoris, quos ſupra rejecerat, productiſque certiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, *Hanc sententiam suam non solum*, inquit, *me non vetante, verum etiam favente, & gratias agente de-*

fen-

fendant. Favebat igitur S. Doctor ſententiæ docenti novas a Deo animas aſſidue creari, quam veram eſſe vehementer optabat. Patefacta ſunt igitur Beauſobrii mendacia, & calumniæ.

VII. Sententiæ de animarum creatione prætuliſſe Auguſtinum contrariam de animarum propagatione ſententiam auctor eſt Beauſobrius lib. 7, Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 489, & 490. tom. 2. Id autem probare contendit, tum quia S. Doctor contra animarum creationem difficultates omnes, quas excogitare potuit, viribus omnibus urget; tum quia in ſententia de animarum propagatione, Auguſtino auctore, juſtitia Dei ſervatur incolumis, ſecus vero in ſententia de animarum creatione; tum quia poſita propagatione animarum, tum propagatio originalis peccati, tum ea verba Pauli ad Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*, facilius, Auguſtino auctore, explicantur, quod his verbis lib. 1. de Anima, & ejus orig. cap. 17. num. 28. pag. 235. tom. 10. affirmat: *Si autem illud verum eſt, quod totus homo ex toto homine propagatur, ideſt, corpus, anima, & ſpiritus: ibi proprie dictum eſt, In quo omnes peccaverunt*. Hactenus Beauſobrius. Jam vero, hac quæſtione propoſita, Utrum novæ animæ ſingulæ in corporibus ſingulis a Deo creentur aſſidue, an vero omnes ab anima primi hominis, in quo vi quadam admirabili fuerint, propagentur, ſanctus Auguſtinus ſemper, & ubique in utramque dumtaxat partem diſputavit, quin unquam, & uſpiam alterutri ex contrariis ſententiis aſſenſus, vel ſuffragatus fuerit. Se animarum traducem affirmare, Juliano, ceteriſque Pelagianis epiſcopis calumniantibus, uſque ad extremam ſenectutem ſuam apertiſſimis verbis negavit. De animarum noſtrarum origine, utrum per traducem, an per creationem habeatur, ſemper & ubique ſe penitus ignorare teſtatus eſt. Si optio ſibi daretur, mallet veram eſſe ſententiam de creatione, quam de animarum propagatione, ut ad Hieronymum ſcribit, ſtantem pro creatione animarum. Nec mirum. Inter ea, quæ tanquam certiſſima ad fidem pertinere Auguſtinus affirmat, illud

De animarum origine, in utramque partem Auguſtinus aſſidue diſputavit, tanquam de re ſibi ignota, propenſiorque fuit in ſententiam de creatione, quam de propagatione.

lud maxime est: *Animam non corpus esse, sed spiritum,* ut inquit epist. 190. ad Optat. cap. 1. num. 4. pag. 533. tom. 2. At spiritum quomodo ex spiritu propagari possit, non intelligitur. Quocirca in sententiam de animarum creatione propensior fuit Augustinus. De his omnibus præclarissima Augustini testimonia dedimus in toto hujus dissertationis decursu. Quocirca mendacia præclarissima Beausobrii sunt, quæ supra venditat, de Augustini sententia circa animarum originem. Ad anctoritatem vero Augustini, quam Beausobrius affert ex lib. 1. de Anima, & ejus orig. cap. 17. num. 28. pag. 235. tom. 10. dico eo loco Augustinum in utramque partem disputare, & pro utraque parte verba illa Apostoli, *In quo omnes peccaverunt*, interpretari primo per Synedochen accipiendo totum pro parte, quod frequentissime usuvenit in sacra scriptura: qua interpretatione uti possunt, qui docent, creari animas: secundo proprie, & non tropice accipiendo totum pro toto, qua interpretatione uti possunt, qui docent, animas propagari. Audiatur igitur S. Doctor, ubi nihil disputat de peccato originali, nihilque decernit de creatione, vel propagatione Animarum: *Si enim hoc est verum quod isti asserunt, ut non sit anima ex anima, sed caro ex carne sit tantum, ... illud, quod dictum est, In quo omnes peccaverunt, sola omnium hominum caro intelligenda est, quæ inde transfusa est, a toto partem significante Scriptura: Si autem illud est verum quod totus homo ex toto homine propagatur, idest, corpus, anima, & spiritus, ibi proprie dictum est, In quo omnes homines peccaverunt.* Jam vero ex hactenus disputatis constant Beausobrii fraudes, atque mendacia de Augustini sententia, quæ ad animarum originem pertinet.

DISSERTATIO IX.

De Beausobrii mendaciis pertinentibus ad cultum Solis & Lunæ a Manichæis usitatum.

De Solis & Lunæ cultu a Manichæis adhibito permulta Scriptorum veterum testimonia.

I. Manichæos Solem & Lunam cultu divino coluisse, & hæc duo sidera invocasse, hisque preces suas profudisse permulti scriptores veteres testes sunt, hique fide dignissimi. Archelaus apud Zacagnium num.36. pag.63. in ea quam habuit cum Manete disputatione, his eum verbis tanquam adoratorem Solis, quem Mithram dicebant Persæ, redarguit: *Barbare sacerdos & collusor, Solem tantum coles Mithram, locorum mysticorum illuminatorem, ut opinaris, & conscium.* Titus Bostrensis episcopus lib.2. advers. Manich. cap.3. num.6. hæc litteris de Manichæo commendavit: *Solem honorat, & ut existimavit, decernit, non habere commistionem mali. Manichæus cum Solem facit divinum tanquam ex natura boni videtur similem igni facere, immo talem qualis est ignis introducit. Nulla fides habeatur Manichæo scelestissimo, & in Deum blasphemo, qui Solem cum Deo confert, & ex substantia ejus esse dicit.* S. Epiphanius lib.2. advers. hæreses hæres.66. quæ Manichæorum est, num.88. *Manichæus*, inquit, *cum Gentilibus Gentilis est, ac Solem, Lunam, sidera, dæmonesque veneratur.* Theodoretus lib.1. hæretic. Fabul. pag.272. hæc de Manichæis narrat: *Solem & Lunam Deos nominant, ipsum quidem Solem quandoque Christum vocantes.* S. Leo Magnus serm.33. cap.4. tom.1. edit. Cacciar. hæc de Manichæis testatur: *In Sole & Luna colere Christum, & sub nomine Spiritus Sancti ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum.* Hac de causa in honorem Solis & Lunæ, quibus divinum exhibebant cultum, diebus apud Gentiles Solis & Lunæ, apud christianos die dominica, & feria secunda, Manichæi jejunabant eodem Leone teste, cujus hæc ad populum verba sunt serm.41. cap.5. tom.1. *Nullo itaque vos contagio eorum error attingat, qui sua maxima obser-*

observantia polluuntur, servientes creaturæ potius, quam Creatori, & Luminaribus cœli stultam abstinentiam devoventes; quos nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem Solis & Lunæ die dominico & secunda feria deprehensi fuerint jejunare. Uno perversitatis suæ opere bis impii, bis profani sunt, qui jejunium suum & ad siderum cultum, & ad resurrectionis Christi instituere contemptum. Socrates lib. 1. Histor. Eccles. cap. 22. edit. Vales. hæc de Manichæo tradit; *Multos deos Manichæus colendos esse, utpote impius præcipit. Solem quoque adorandum esse docet*.

II De cultu divino Soli & Lunæ tanquam divinæ naturæ a Manichæis exhibito testis omnium locupletissimus est Augustinus. Et primo quidem S. Doctor Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. De duabus navibus, quas Solem & Lunam esse Manichæi censebant, easque ex purissima Dei substantia constare, divinoque cultu adorandas esse affirmabant, hæc Augustinus testatur: *Quidquid undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse Solem & Lunam volunt, regno Dei, tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adiacentem, non solum in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum istos tenetur admista, Dei dicunt esse naturam*. Hinc ad Solem & Lunam, quaque versum conversi, utpote apud eos divinæ naturæ lumina, orabant: *Orationes*, inquit ibidem pag. 13. *faciunt ad Solem per diem quaqua versum circuit: ad Lunam per noctem si apparet; si autem non apparet ad Aquiloniam partem, qua Sol cum occiderit ad Orientem revertitur, stant orantes*. Quod Manichæi ad Solem tanquam ad Deum contra regulam Christianæ fidei orarent Augustinus testis de visu tum, cum Manichæorum Auditor esset disp. 1. contr. Fortun. Manich. num. 3. pag. 68. tom. 8. his verbis confirmat: *Ego in oratione in qua interfui, nihil turpe fieri vidi; sed solum contra fidem animadverti, quam po-*

De Solis & Lunæ divino cultu, tanquam divinæ naturæ, a Manichæis præstito plura & præclara S. Augustini testimonia.

ſtea didici, & probavi, quod contra Solem facitis orationem. Præterea lib. 20. contra Fauſtum cap.6. pag.238. tom.8. *Ita fit*, inquit, *ut ad iſtum quidem Solem dorſum cervicemque curvetis; non autem ipſum tam clara rotunditate conſpicuum, ſed neſcio quam navim per foramen triangulum micantem, atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis*. Et rurſum ibidem cap. 9. pag. 240. *Verum*, inquit, *ſi in iſtis tam eminentiſſimis notiſſimiſque luminibus* (in Sole & Luna) *ſic erratis, ut in eis non quod ſunt, ſed quod vobis dementiſſime fingitis, adoretis, quid de ceteris veſtris fabulis dicam*. Item lib. 18. contra eumdem Fauſtum cap. 5. pag. 221. tom. 8. Manichæis exprobrat S. Doctor quod Solem adorent, quodque in Solis Lunæque cultu imitentur Gentiles: *Vos*, inquit, *in die, quem dicunt Solis, Solem colitis*. Quod autem imitentur Gentiles, *Quos*, inquit, *in hac parte etiam vos imitamini, niſi quod cum eis lucidiora duo lumina* (Solem & Lunam) *cetera vero ſidera non cum eis adoretis*. Poſtremo epiſt. 236. ad Deuter. Epiſ. num. 2. tom. 2. de Auditoribus Electorum, *Solem, & Lunam*, inquit, *cum eis adorant*.

III. Contra vero Beauſobrius lib.9.Hiſtor.Dogmat. Manich. cap. 1. pag. 584., & 585. tom. 2. inveterata ſibi temeritate negat Manichæos Solem adoraſſe, ſuoque more mentiendo unicum eſſe Auguſtini locum affirmat, in quo S. Doctor ſignificat, Manichæos cenſuiſſe Solem eſſe Deum, ſcilicet lib. 21. contra Fauſtum cap. 4. pag. 251. tom. 8., ubi hæc habet: *Iſtum Solem tam magnum bonum putatis, ut nec factum a Deo, ſed prolatum vel miſſum eſſe credatis*. Quamquam & hanc ipſam ſententiam ſententia altera correxiſſe Auguſtinum Beauſobrius contendit lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 3. num. 6. pag. 481. tom. 1. quæ eſt hujuſmodi; *Non intelligunt* (Manichæi) *lucem in qua Deus erat antequam faceret iſtam lucem Et ideo iſtum Solem ... illi ſic colunt, ut particulam dicant eſſe lucis illius in qua habitat Deus*. Inſurgit hic Beauſobrius, & inquit, ſi, Auguſtino teſte, Manichæi dicunt, Solem iſtum particulam eſſe lucis illius in qua habitat Deus, ne-

negant Solem hunc esse Deum. Quoniam suprema lux, in qua habitat Deus, nec Deus, nec persona divina esse potest. Tandem concludit, in Manichæorum sententia Solem non ex divina substantia conditum esse, sed ex elemento ignis cœlestis, vel ignis boni, ut Augustinus loquitur lib. de Hæres. ad QuodvultDeum hæres. 46. pag. 11. tom. 8. *Duo cæli luminaria ita distinguunt, ut Lunam dicant factam ex aqua bona, Solem vero ex igne bono.* At non solus, nec uno in loco Augustinus testatur Solem a Manichæis tanquam Deum adoratum. Etenim præter Augustinum idem testantur Archelaus, Epiphanius, Titus Bostrensis, Theodoretus, Leo Magnus, Socrates, quos testes locupletissimos supra produxi. Augustini vero eadem de re testimonia, quæ supra commemoravi, multa sunt, eaque preclarissima. Neque vero quæ de natura Solis, auctoribus Manichæis, Augustinus affirmat lib. 1. de Gen. contra Manichæos pugnant cum his, ut cavillatur Beausobrius, quæ de eadem Solis natura in Manichæorum fabula docet lib. 21. contra Faustum. Quod ut clarius appareat, integrum ab Augustino, non detruncatum a Beausobrio locum depromo. Manichæi veteris Testamenti adversarii verba illa Gen. 1. 2. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, reprehendebant dicentes, *In tenebris ergo erat Deus ante quam faceret lucem?*

IV. Ad hæc Augustinus respondet: *Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideo non intelligunt lucem in qua Deus erat, antequam faceret istam lucem, Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum Solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt, ut particulam esse dicant lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse, in qua habitat Deus.* Docebant itaque Manichæi Deum lucem esse corpoream, quæ percipitur corporeis oculis: Solem vere particulam corporeæ lucis illius; qualis apud Manichæos Deus erat; atque idcirco utpote ejusdem cum Deo naturæ Solem cultu divino

Solem particulam esse lucis illius corporeæ; quam Deum esse affirmabant, Manichæi docuerunt.

vino adorabant. Contra vero Augustinus Deum lucem intelligibilem esse tuebatur, incorpoream, inaccessibilem, qualem catholici Deum nominant. De quo loquens Apostolus 1. Tim. 6. 16. ait: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Nimirum oculis corporis. Quæro jam a Beausobrio, num Apostolus, num Augustinus qui docuerunt Deum inhabitare lucem intelligibilem, inhabitare lucem inaccessibilem, idcirco negaverint Deum lucem esse intelligibilem, Deum lucem esse inaccessibilem? Non negasse profecto affirmabit. Ita Manichæi affirmantes Deum habitare lucem corpoream, Solemque partem esse illius lucis corporeæ, non idcirco negabant Deum lucem esse corpoream; Solem vero particulam Dei esse, seu lucis illius corporeæ. Ad testimonium vero Augustini, a Beausobrio productum, affirmantis Manichæos docere, Solem factum ex igne bono, & Lunam ex aqua bona; atque idcirco ex cœlestibus elementis, dico, hæc cœlestia elementa, hunc ignem bonum, aquam hanc bonam, auctoribus Manichæis, eodemque teste Augustino, partes esse divinæ substantiæ, partes esse divinæ naturæ. Hæc enim sunt quæ Manichæi fabulantur apud Augustinum loco a Beausobrio objecto: *His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno, & SUBSTANTIA DEI missa esse, & in illa pugna permista; fumo aera, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, idest, duo cœli luminaria ita distinguunt, ut dicant Lunam factam ex aqua bona, Solem vero ex igne bono*. Quinque vero elementa nihil aliud esse quam substantiam Dei, Augustino teste lib. 11. contra Faust. cap. 3. pag. 157. tom. 8., ipsemet Faustus Manichæorum Episcopus prædicabat.

Solem factum ex igne bono, & Lunam ex aqua bona; & hæc cœlestia elementa partes esse divinæ substantiæ Manichæi docuerunt.

V. Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 1. pag. 586., & 587. tom. 2. Fausti Manichæorum Episcopi verba producit, apud Augustinum lib. 20. contra Faustum cap. 2. pag. 257. tom. 8., quæ talia sunt:

ſunt: *Nos Patris quidem Dei Omnipotentis, & Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti unum idemque ſub triplici appellatione colimus Numen: Sed Patrem quidem ipſum lucem incolere credimus ſummam & principalem, quam Paulus alias inacceſſibilem vocat. Filium vero in hac ſecunda ac viſibili luce conſiſtere, qui quoniam ſit & ipſe geminus, ut eum Apoſtolus novit, Chriſtum dicens, eſſe Dei Virtutem, & Dei Sapientiam; virtutem quidem ejus in Sole habitare credimus; Sapientiam vero, in Luna*. Quibus productis contendit Beauſobrius in Manichæorum ſententia Solem, & Lunam nihil aliud eſſe niſi templa & tabernacula, in quibus putabant gemino attributo virtutis & ſapientiæ ſuæ Chriſtum Dominum reſidere. Ad hæc reſpondeo: Manichæi non modo Solis & Lunæ, quin etiam omnium lucidorum corporum lucem Dei dicebant eſſe naturam, teſte Auguſtino lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ. 46. quæ Manichæorum eſt, pag. 11. tom. 8. *Lucem corpoream*, inquit, *animantium mortalium oculis adjacentem, non ſolum in his navibus* (in Sole & Luna) *ubi eam puriſſimam credunt, verum etiam in aliis quibuſque lucidis rebus, Dei dicunt eſſe naturam*. Itaque ſecunda illa atque viſibilis Solis & Lunæ lux, auctore Fauſto, in Sole Dei virtus eſt; in Luna vero, Dei Sapientia, qualis eſt unigenitus Filius Patris. Atqui virtus & Sapientia Dei, quæ in Filio eſt, auctoribus etiam Manichæis, non eſt niſi divina ipſa natura Filii: quemadmodum, teſte Fauſto, lux illa ſumma & principalis, quam inacceſſibilem Paulus affirmat, non eſt niſi divina ipſa natura Patris. Dei autem natura, auctoribus Manichæis, non eſt niſi corporea natura lucis, quæ oculis corporis percipitur. *De Patris quidem ſecreto lumine*, inquit eo lib. 20. cap. 7. pag. 237. tom. 8. contra Fauſtum Auguſtinus, *quid vobis dicam, niſi quia lumen cogitare non poteſtis, niſi quale videre conſueſtis?* Quamquam Manichæi non modo Solem, & Lunam, ſed univerſa etiam, quod divina natura partim conſtare arbitrabantur, tanquam totidem Numina, cultu Latriæ, qui ſoli Deo debetur, ipſomet Fauſto teſte, colebant. *Et nobis*, in-

Solis lucem in qua virtus Filii, & lucem Lunæ in qua ejus ſapientia, auctore Fauſto, inhabitat, Dei eſſe naturam Manichæi docebant.

Cum Sole & Luna res univerſas cultu Latriæ Manichæi colebant.

inquit Faustus loco a Beausobrio citato, *circa universa, & vobis similiter erga panem & calicem par religio est*. Si par religio, par cultus. Atqui nos Catholici Panem Vinumque Eucharisticum cultu Latriæ colimus. Ergo Manichæi, teste Fausto, Latriæ cultu universa colebant.

VI. Fatetur quidem Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 1. 588. tom. 2. Manichæos Soli & Lunæ honorem aliquem exhibuisse; negat tamen cultu divino sidera hæc adorasse. Ex eo autem quod Manichæi facie ad Solem Lunamque conversa orarent; ut Augustinus testatur lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. pag. 13. tom. 8., non probatur cultum divinum his sideribus eos detulisse; quandoquidem antiqui quoque Christiani facie ad Orientem conversa soliti erant orare, neque idcirco Sol oriens erat Christianorum Deus; quod falso eo Christianorum ritu permoti crediderunt Gentiles. Ad hæc in promptu responsio est. Scriptores veteres sacri & profani, non idcirco Manichæos de cultu divino Soli Lunæque exhibito accusarunt quod hi facie ad Solem Lunamque conversa orarent. Noverant enim ritum etiam Christianorum esse orandi conversa facie ad Orientem Solem, in quo errabant Gentiles putando Solem esse Christianorum Deum, teste Tertulliano in Apologet. cap. 16., cujus hæc verba sunt de Gentilibus, *Solem credunt Deum nostrum, quod innotuerit hos* (Christianos) *ad Orientis regionem orare*. De hac Christianorum consuetudine, ætate sua, deque ejus causa, & origine hæc Damascenus habet lib. 4. de Fide Orthod. cap. 13. *Quia Deus est lux intelligibilis, & Sol justitiæ, & Oriens in Scripturis Christus nominatur, dedicandus illi oriens est ad orationem ... Ipsum igitur expectantes ad orientem oramus. Non scripta autem est hæc Apostolorum traditio: nam multa sine scripto nobis tradita sunt*. Neque vero Augustinus, ut criminatur Beausobrius, Manichæis exprobravit, eos adorare Solem, quòd conversi ad Solem orarent. Si enim hanc eos reprehendendi causam attulisset, secum ipse pugnasset. Etenim

Ad Solem conversi piè Christiani veteres; impiè vero Manichæi orabant.

nim ætate ſua inveteratus Chriſtianorum mos erat orandi facie ad Solem orientem converſa. Audiatur S. Doctor lib. 2. de Serm. Dom. in Monte cap. 5. num. 18. pag. 148. p. 2. tom. 3. *Cum*, inquit, *ad orationem ſtamus, ad Orientem convertimur, unde cælum ſurgit: non tanquam ibi habitet & Deus, quaſi ceteras mundi partes deſerverit, qui ubique præſens eſt; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, ideſt, ad Deum, cum ipſum corpus ejus quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, ideſt, ad corpus cæleſte convertitur.* Vera igitur, ſolida, & genuina cauſa, cur Auguſtinus, & ceteri cum eo ſacri profanique ſcriptores Manichæis exprobrarint, quod Solem Lunamque colerent, non fuit quælibet eorum ad Solem Lunamque in precibus ſuis converſio; ſed quòd ad hæc ſidera tanquam ad duo primaria Numina orabant; eo quod docerent, Solem & Lunam ex puriſſima Dei natura conſtare, parteſque eſſe puriſſimæ naturæ divinæ. Quod num. I., & II. productis non paucis ſcriptorum veterum teſtimoniis oſtendimus.

VII. Incredibili prorſus temeritate Beauſobrius lib. 9. Hiſt. Dogmat. Manich. cap. 1. pag. 589. tom. 2. ipſummet teſtem adhibet Auguſtinum, cujus teſtimonio contendit, Manichæos Solem, & Lunam non adoraſſe; quamquam plurima, eaque præclariſſima teſtimonia ſint, quæ ſuperiori num. II. dedimus, quibus apertiſſime S. Doctor teſtatur, Manichæos docuiſſe Solem & Lunam Dei natura conſtare; atque idcirco divino cultu hæc duo ſidera coluiſſe. Argumentum autem, quinimmo deliramentum Beauſobrii eſt hujuſmodi. Interrogatus a Fortunato Auguſtinus in ea celebri inter utrumque diſceptatione, num turpitudinem aliquam animadverterit in religioſo Manichæorum cultu, quandoquidem cum Auditor eſſet Manichæorum cum his orationi interfuerat, S. Doctor reſpondit diſp. I. contra Fortunatum num. 3. pag. 68. tom. 8. *Ego in oratione in qua interfui, nihil turpe fieri vidi: Sed ſolum contra fidem animadverti, quam poſtea didici & probavi, quod contra Solem facitis orationem.* Ex his ver-

bis Beausobrius contendit, Manichæos, ipsomet Augustino teste, Solem non adorasse. At vero ex his ipsis Augustini verbis demonstratur, Manichæos Solem tanquam Deum adorasse. Paulo altius repetenda hæc veritas est. Percrebruerant apud Catholicos obsceniſſimi ritus, qui in nefariis eorum mysteriis a Manichæorum Electis clanculum exercebantur. Itaque Fortunatus ut ab hac infamia suam vindicet sectam, Augustinum interrogat, qui orationi Manichæorum quandoque interfuerat, utrum in ea turpitudinem ullam, ideſt, obscenitatem ullam fieri cognoverit? Noverat enim Fortunatus Augustinum turpiſſimarum libidinum, de quibus audiebant peſſime Manichæi, certum testem esse non posse; quod Auditores Manichæorum, qualis Augustinus fuerat, ab exsecrandis eorum mysteriis, ab Electis utriusque generis clam celebratis, excludebantur. Ad hæc S. Doctor, *Ego*, inquit, *in oratione in qua interfui nihil turpe fieri vidi*, id est, nullam fieri obscenitatem, nullam impudicitiam, nullam libidinem exerceri vidi. *Solum*, addit, *contra fidem animadverti, quam postea didici & probavi, quod contra Solem facitis orationem*. Jam vero, num, Augustino auctore, contra fidem sibi postea certam & exploratam erat, quod Manichæi facie ad Solem conversa orarent, suasque preces funderent? Nihil profecto minus. Etenim ea ætate, ipsomet Augustino teste, Christiani ad orientem Solem soliti erant orare. Itaque, Augustino teste, contra certam exploratamque fidem erat, quod Manichæi Solem, conversa ad eum facie, tanquam Deum invocarent, Solem tanquam Deum orarent, Solem tanquam Deum adorarent. Patefacta est igitur Beausobrii non modo fraus, sed etiam temeritas atque dementia.

Ad Solem conversi tanquam ad Deum suum Manichæi, Augustino teste, orabant.

VIII. Cultum divinum Soli & Lunæ Manichæos minime adhibuisse, etiam ex eo contendit Beausobrius lib.9.Histor.Dogmat.Manich. pag.589., & 590.tom.2., quod Faustus Manichæorum Episcopus apud Augustinum lib. 20. cap. 1. pag. 237. tom. 8., libera voce dixerit: *Se divinorum luminum culturam non erubescere*: Ex-

Explicans vero qualis esset cultus a Manichæis exhibitus divinis his luminibus, ut universis rebus, sequenti cap. 2. dixit: *Quapropter & nobis circa universa, & vobis similiter erga panem, & vinum par religio est*. Si enim divinum cultum non modo Soli & Lunæ, sed etiam universis rebus Manichæi præstitissent, dicendi essent omnium Idololatrarum maximi. Atqui accusationem Idololatriæ ab Augustino Manichæis illatam Faustus apud S. Doctorem ibidem constantissime confutavit his apertissimis verbis, *Religionem nostram nihil cum Gentilibus habere commune*. Ad hæc respondeo, Faustus Manichæorum Episcopus dum testatur se Solem & Lunam tanquam DIVINA lumina colere, satis aperte significat lumina hæc, utpote DIVINA ex Dei natura constare; atque idcirco cultu divino, qui Latriæ dicitur, lumen utrumque colere Manichæos. Profecto Augustinus lib. de Hæres. hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. hæc de Manichæis testatur, *Naves, quas esse Lunam & Solem volunt, de substantia Dei pura perhibent fabricatas*. Accedit eodem alterum testimonium Fausti, stulte ac temere utpote sibi contrarium, a Beausobrio citatum. Cum enim constet non modo ætate Augustini, & in Africa; sed semper & ubique Catholicos cultu divino Panem, Vinumque Eucharisticum veneratos esse, si Manichæi non modo Solem, & Lunam, sed universa adorabant, eodem prorsus cultu, ut inquit Faustus, quo Panem Vinumque Eucharisticum adorant Catholici; manifestum est Manichæos præter Solem & Lunam universa cultu divino adorasse. Hic autem Manichæorum cultus erat maxime consentaneus eorum errori, utpote qui docebant, omnia constare ex divinæ naturæ partibus simul permistis cum partibus sempiternæ naturæ malæ. Testis est Titus Bostrensis lib. 3. adversus Manich. pag. 934., qui de Manichæis hæc narrat. *Omnia venerantur; nec aliud sciunt, quam omnia adorare: omnia pro sua licentia verterunt in Deos: vicerunt Gentiles, & multitudine, & vanitate*.

Solem & Lunam, tanquam partes divinæ naturæ eo cultu Latriæ Manichæi, Fausto teste, adorabant, quo Catholici Eucharistiam adorant.

Manichæi universa, tanquam partes divinæ naturæ latriæ cultu adorabant.

IX. Quod autem de Idololatria Augustinus accusaverit

Manichæos de Idololatria nunquam Augustinus accusavit.

verit Faustum; isque ab hac accusatione Manichæos suos vindicaverit, pura & mera Beausobrii mendacia sunt. His quidem verbis exorditur Faustus cap. 1. lib. 20, *Cur Solem colitis, nisi quia estis Pagani, & Gentium Schisma?* At hæc non Augustini, nec ullius Catholici, sed Fausti verba sunt, talia sibi objicientis sub aliena persona. Cui S. Doctor ibidem cap. 5., *Ut quid*, inquit, *tibi objicis, quod siquis tibi objicit, nescit cum quo agat? Neque enim vos Paganos dicimus, aut Schisma Paganorum, sed habere cum eis quamdam similitudinem, eo quod multos colatis Deos.* Faustus vero in confutatione objectionis, quam sibi sub emendicata & aliena persona proposuerat, duo affert discrimina Paganos inter & Manichæos, quorum unum ad sententiam, alterum ad ritum colendi pertinet. In sententia discrepant, teste Fausto, Manichæi a Paganis, quod hi unum dumtaxat principium rerum omnium constituunt: Manichæi vero duo, nimirum Deum bonorum omnium principium; & Hylen principium malorum omnium. Item in ritu colendi discrepant Manichæi a Paganis, quod; *Pagani*, inquit ibidem cap. 3., *aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso Deum colendum putant.* Contra vero Manichæi hæc omnia rejiciunt, & sanctitate, pietate, precibus, supplicationibus, invocationibus, adorationibus Deum colendum censent. Exclusa igitur vera & propria Idololatria, quæ cultus divinus simulacrorum est, & constituto a Paganis ritu colendi Deos, a quibus aberant Manichæi, & Solem & Lunam, & cetera cœlestia corpora, resque naturales omnes, tanquam divinæ naturæ particulas, divino cultu Latriæ Manichæi adorabant. Itaque, Fausto teste, differentia religiosi cultus erga Solem, & Lunam, quæ Paganos a Manichæis secernebat, in eo posita erat, quod diverso ritu, diversisque opinionibus Solem & Lunam Latriæ cultu utrique adorabant.

Solem, & Lunam in suis precibus tanquam divina numina Manichæi invocabant.

X. Manichæos nec Solem, nec Lunam in precibus suis invocasse: nec interiorem, nec exteriorem utrique sideri adorationem detulisse, ipsomet Augustino teste, contendit Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat.

Ma-

Manich. cap. 1. pag. 598., & 599. quoniam, ut inquit, Augustinus non criminatus est Manichæos, quod invocarent Solem, & Lunam, verum quod orarent facie ad Solem conversa. Mentitur hic iterum, iterumque, inveterata sibi mentiendi consuetudine, Beausobrius. Etenim Augustinus nequaquam criminatus est Manichæos, quod orarent facie ad Solem conversa. Antiqui enim Christiani, teste Tertulliano, Joanne Damasceno, & Augustino ipso, conversi ad orientem Solem, orabant, ut num. VI. a nobis supra demonstratum est. Reprehendit igitur Manichæos S. Doctor, quod id facerent, *Contra fidem*, nimirum, ad Solem preces suas dirigendo, Solem in auxilium sibi invocando, Solem denique tanquam Deum suum adorando; quod contra fidem est. Itaque exteriori cultu divino Solem & Lunam Manichæi colebant. Quod pertinet ad interiorem cultum, qui opinionem consequitur de natura utriusque Sideris, & hic divinus erat. Judicabant enim Manichæi, atque docebant, Solem, & Lunam de pura Dei substantia constare; lucemque purissimam, qua resplendent, ipsammet esse naturam Dei. Talia testatur testis locupletissimus Augustinus, diuturnus Manichæorum olim Auditor, postea vero invictissimus impugnator lib. de Heres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est, pag. 11. tom. 8. cujus hæc verba sunt, *Manichæi quasdam naves esse Lunam & Solem volunt. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream in his navibus, ubi eam purissimam credunt, Dei dicunt esse naturam.* Itaque Solem, & Lunam tanquam duo Numina, quorum divina esset natura, adorabant, & quidem adoratione illa suprema, quæ soli Deo debetur, testibus, præter Augustinum, Archelao, Tito Bostrensi, Epiphanio, Theodoreto, Leone Magno, Socrate, aliisque plurimis prætermissis testibus locupletissimis, quibus omnis debetur fides, nulla vero Beausobrio, omnium mendacissimorum hominum mendacissimo. Demonstrata sunt igitur Beausobrii mendacia, quæ ad Solis Lunæque cultum pertinent a Manichæis usitatum.

Solem & Lunam tanquam duo Numina ex Dei natura constantes Manichæi latriæ cultu adorabant.

DIS-

DISSERTATIO X.

De Beausobrii mendaciis contra cultum Eucharistiæ, & realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Pane, & Vino Eucharistico.

Eucharistiam utpote continentem Corpus, & Sanguinem Christi Domini Afr. Catholici ætate Augustini latriæ cultu adorabant.

I. A negata in Manichæorum hæresi Solis & Lunæ adoratione progreditur Beausobrius ad negandam in Africa Augustini ætate Panis, & Vini Eucharistici adorationem; quibus religiosum quemdam honorem a Catholicis exhibitum fuisse concedit, cultum vero adorationis audacissime negat lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 1. pag. 589., & 590. tom. 2. At Augustinus ipse, quem mendacii sui testem Beausobrius adhibet, mendacissimum eum demonstrat. Etenim S. Doctor in Psal. 98. num. 9. pag. 799. tom. 4. De Christi carne in Sacramento Eucharistico, eique exhibito adorationis cultu hæc litteris commendavit: *Ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Item enarrat. 1. in Psal. 21. pag. 70. tom. 4., ad illa verba v. 30. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ*, quæ de commestione corporis Christi in Sacramento Eucharistico interpretatur, hæc S. Doctor habet. *Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt.* Et rursum Epist. 140., quæ tota Dogmatica est, ad Honoratum de Gratia Novi Testamenti, ubi eumdem Psalmum 21. interpretatur, ad illa eadem verba v. 30. de divitibus hæc docet cap. 27. num. 66. tom. 2. *Et ipti adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de Corpore & Sanguine ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur: quoniam non imitantur... Et ipsi veniunt ad mensam, manducant, & adorant: non tamen saturantur, quia non esuriunt, & sitiunt justitiam; tales enim saturabuntur.*

II. Afros Catholicos ætate Augustini non exhibuisse

ſe pani & vino Euchariſtico, niſi religioſum obſequium contendit Beauſobrius lib.9. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap.1. pag.590, & 591. tom.2; propterea quòd hæc alimenta non ſunt deinceps quid commune, ſed myſticum, teſte Auguſtino lib.20. contra Fauſtum cap.13. pag.243. tom.8. cujus hæc verba ſunt, *Noſter autem panis, & calix non quilibet, ſed certa conſecratione Myſticus fit nobis*, ideſt, interprete Beauſobrio, mera figura, memoria, repreſentatio, & mera ſignificatio ſecreta Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini eſt, quod ſignificat vox iſta *Myſticum*. Addit præterea Beauſobrius ex Auguſtino non deberi Euchariſtiæ, niſi religioſum honorem, non autem ſtuporem tanquam quid mirum, quia ſignum hoc non ab Angelis, ſed ab hominibus fit. De quibus ſignis hæc Auguſtinus habet lib.3. de Trin. cap.10. num.20. pag.569. tom.8. *Quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt*. Hactenus Beauſobrii mendacia, fraudes, ineptiæ, fallaces argutiolæ, cavillationes. His ego par pari refero, atque reſpondeo, Afros catholicos ætate Auguſtini Pani, & Vino Euchariſtico verum exhibuiſſe adorationis cultum, qui ſoli Deo debetur, & cultus Latriæ dicitur, quòd in Pane, & Vino Euchariſtico, Auguſtino teſte, verum Chriſti Domini corpus, vera Chriſti Domini caro, verus Chriſti Domini ſanguis continetur. Quod producta ſupra S. Doctoris teſtimonia præclariſſime docent. Præterea S. Doctor Sermone 227. ad Infantes, ideſt Neophytos, ſeu nuper baptizatos, quibus Eccleſiæ Catholicæ de Pane, & Vino Euchariſtico doctrinam tradit, hæc habet pag.677. tom.5. *Memor ſum promiſſionis meæ. Promiſeram enim vobis, qui baptizati eſtis, ſermonem, quo exponerem menſæ Dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, & cujus nocte præterita participes facti eſtis. Debetis ſcire quid accepiſtis, quid accepturi eſtis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, ſanctificatus per verbum Dei, Corpus Chriſti eſt. Calix ille, immo, quod habet Calix ſanctificatum per verbum Dei, San-*

Euchariſticus panis, Auguſtino teſte, Corpus Chriſti eſt, Euchariſticum vinum, eodem teſte, Sanguis eſt Chriſti.

Sanguis Christi est. Eadem omnino tradit S. Doctor sermone 272. habito ad Infantes, ideſt Neophytos die Pentecoſtes tertio pag. 769. tom. 5, cujus eſt hoc exordium: *Hoc, quod videtis in Altare Dei etiam tranſacta nocte vidiſtis. Sed quid eſſet, quid ſibi vellet, quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis panis eſt, & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, Panis eſt Corpus Chriſti, Calix Sanguis Chriſti*. Et paulo infra: *Audis*, inquit, *Corpus Chriſti, & reſpondes, Amen*. Item lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. pag. 165. tom. 8. *Habet*, inquit, *magnam vocem Chriſti Sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vix Sanguinis, quam Sanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem Sanguine redemptorum*. Extremis his duabus ſententiis nobis declaratur communis temporum illorum ritus in adminiſtratione Panis, & Vini Euchariſtici. Conſecratus Eccleſiæ miniſter in diſtributione Panis Euchariſtici ſumpturos ſingulos admonebat dicendo, CORPUS CHRISTI: Accipientes autem reſpondebant, AMEN, nimirum, *Ita eſt: Corpus eſt Chriſti*. Pariter in diſtributione Vini Euchariſtici ſingulos admonebat de potu, quem erant ſumpturi dicendo, SANGUIS CHRISTI. Accipientes autem ſinguli reſpondebant, AMEN, nimirum, *Ita eſt: Sanguis eſt Chriſti*.

In Euchariſtico Pane & Vino contineri verum Chriſti Domini Corpus, verum Chriſti Domini Sanguinem clarioribus verbis, quibus eſt uſus, ſignificare Auguſtinus non poterat.

III. Jam vero clarioribus verbis, quibus eſt uſus, ſignificare Auguſtinus non poterat, in Pane, & Vino Euchariſtico contineri verum Chriſti Domini Corpus, verum Chriſti Domini Sanguinem. Si enim Auguſtinus cum ſuis Afris Catholicis in ea fuiſſet ſententia, in qua re vera & ipſe, & univerſa Eccleſia catholica ſemper fuit, & eſt, & futura eſt, nimirum in Pane, & Vino Euchariſtico contineri verum Chriſti Domini Corpus, verum Chriſti Domini Sanguinem; dicat mihi Beauſobrius cum univerſo Calvinianorum grege, quibuſnam verbis clarioribus, quibus eſt uſus, ſuam hanc ſententiam ſignificare poterat? Profecto nullis. Dixerit fortaſſe Beauſobrius: Si in ea ſententia Auguſtinus fuiſ-

fuisset, verbis his usus esset, In Pane, & Vino Eucharistico est realiter præsens Corpus, & Sanguis Christi, vel, sub speciebus Panis, & Vini Eucharistici est realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi. Nihil profecto minus. Hæc dicere S. Doctor nec potetat, nec debuerat. Etenim voces istæ, præsentia realis, realiter præsens, species vel accidentia panis & vini scholasticæ voces sunt, quæ Augustini ætate non modo in usu non erant, sed etiam prorsus inauditæ, & ignotæ, quas etiam si nosset, si adhibuisset, non clarius, sed obscurius suam significasset sententiam. Quid enim clarius, quid planius, quid apertius significare poterat Augustinus de veritate hujus Sacramenti, quam dicendo ad Neophytos, quos de Eucharistia erudiebat, *Panis ille, quem in Altari videtis, Corpus est Christi: Vinum illud in Calice, quem videtis, Sanguis est Christi*. Item quod testimonium præclarius de Corpore, & Sanguine Christi Domini in pane & vino Eucharistico, quam hinc administrantium Antistitum, atque dicentium, *Corpus Christi, Sanguis Christi*, illinc accipientium fidelium, & ad singula respondentium, *Amen, Amen*, nimirum: *Ita est, Ita est*: *Corpus Christi est, Sanguis est Christi*. Urgeo hîc Beausobrium cum suis Calvinianis, & dico. Nunquam & nuspiam Augustinus, cum sæpenumero de sacramento Eucharistiæ ageret, his Calvinianis verbis est usus, Panis hic, quem videtis, memoria & repræsentatio est Corporis Christi: Vinum hoc, quod videtis, memoria & repræsentatio est Sanguinis Christi, sed semper, ubique, summaque constantia docuit, Panem illum Corpus Christi Domini esse, Vinum illud Sanguinem esse Christi Domini; atque idcirco cultu divino adorandum; quod impium omnino fuisset, si utrumque tale non esset; sed memoria mera, mera figura, repræsentatio, & significatio secreta Corporis, & Sanguinis Christi, ut impie Beausobrius cum suis Calvinianis mentitur.

In Eucharistiæ distributione vetus Ecclesiæ ritus.

IV. Ad malitiosam illam Beausobrii interpretationem, qua Græcam vocem *Mysticum* perperam interpretatur de eo, quod habet secretam repræsentationrm, & signi-

Contra Eucharistiam continentem corpus, &

ſanguinem Chriſti male Beauſobrius interpretatur Græcam vocem Myſticum, ab Auguſtino adhibitam.

ſignificationemque ſecretam, itaut Panis Euchariſticus, & Euchariſticum Vinum nihil aliud ſint, niſi mera repræſentatio ſecreta, meraque ſecreta ſignificatio Corporis, & Sanguinis Chriſti: idque Auguſtinus docuerit verbis illis: *Noſter panis, & calix, non quilibet, ſed certa conſecretione Myſticus fit nobis*. Dico apud omnes linguæ Græcæ peritos proprie & ſevere *Myſticum* nihil aliud ſignificat, niſi *Sacrum Arcanum*. Jam vero quid magis Sacrum, quam Chriſti Domini Corpus & Sanguis? Quid magis Arcanum, quam idem Corpus, & Sanguis non ſub propria corporis humani, humanique ſanguinis; ſed ſub aliena prorſus ſpecie quotidiani panis, & vini? Interpretatio igitur germana & genuina ſuperioris Auguſtinianæ ſententiæ talis eſt. Peracta conſecratione quod erat panis & vinum fit ſacrum arcanum Corpus & Sanguis Chriſti ſub aliena ſpecie panis, & vini. Quod pertinet ad Auguſtini ſententiam a Beauſobrio ſupra depromptam ex lib.3. de Trinit. pag.569. tom.8. plenius illam affero, quæ eſt hujuſmodi; *Quia hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Itaque illa, quæ per angelos fiunt, quo difficiliora & ignotiora, eo mirabiliora ſunt nobis*. Paulo vero infra in exemplum eorum, quæ per Angelos fiunt, dat converſionem virgæ Moſaycæ in ſerpentem: in exemplum autem eorum, quæ per homines fiunt lapidem, quem Jacob erexit in titulum fundens oleum deſuper. Audiatur: *Aſſumpta eſt virga ad ſignificationem, & in ſerpentem angelica facultate mutata eſt: quæ facultas cum deſit homini, aſſumpta eſt tamen, & ab homine lapis ad talem aliquam ſignificationem. Inter factum angeli & factum hominis plurimum diſtat: illud & mirandum & intelligendum eſt; hoc autem tantummodo intelligendum*. Nimirum converſio illa Virgæ in ſerpentem facta per angelos, miranda eſt, quia hominis ſuperat facultatem, item intelligenda eſt, quia ſerpens ille, qui magorum ſerpentes devoravit, Auguſtino auctore, Chriſtum ſignificabat: contra vero erectio lapidis in titulum, & effuſio deſuper

Contra Euchariſtiam continentem corpus, & ſanguinem Chriſti perperam Beauſobrius interpretatur Auguſtini locum ex libris de Trinitate.

per

per olei, facta a Jacob, miranda plane non est, nec ullum habet stuporem, quia actio hominis est, quæ hominis facultatem non superat: intelligendum est autem lapidem illum erectum in titulum, & oleo perfusum pariter Christum Dominum significare. Jam vero, ut ad Eucharistiam veniamus, impositio panis, & vini Eucharistici super altare, utriusque consumptio peracta celebratione, actiones hominis sunt, quæ quatenus sub sensus cadunt, quatenus sensus nostros percellunt, soloque testimonio sensuum notæ sunt nobis, honorem tanquam religiosi ritus habere possunt, stuporem tanquam mira, non possùnt. Quod autem illis actionibus significatur fidelibus, quod ab his intelligitur, nimirum occulta conversio panis in corpus, & occulta conversio vini in sanguinem Christi Domini, quæ divina virtute fit, catechumenis, quibus hæc occultantur ignota, ex testimonio fidei, non honorem solum, sed etiam habent stuporem. Sed hæc ipsa ab ipsomet Augustino accipiantur citata a Beausobrio libro eodem cap. 10. num. 21. pag. 570. tom. 8. cujus hæc verba sunt: *Sicut infantes* (*idest* catechumeni) *non noverunt, quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur Dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus Corpus, & Sanguis sit*. Profecto quæ contra Eucharistiam, eadem contra baptismum objicere poterat Beausobrius. Etenim actiones dumtaxat externæ, quæ in administratione baptismi, per hominem fiunt, honorem tanquam religiosæ possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt. Num idcirco occulta peccatorum ablutio, occulta sanctificatio, ignota infidelibus, Fidelibus nota, honorem apud hos, tanquam religiosa potest habere, stuporem tanquam mira non potest?

Eucharistiæ mysterium catechumenus occultatum.

V. Pergit in suis scurrilitatibus, putidisque argutiolis Beausobrius contra realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi Domini in pane & vino Eucharistico lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 1. pag. 591, & 592. tom. 2. quibus tali pacto Augustino calvinianam

ſententiam attribuit. Si Auguſtinus putaſſet ſub ſpeciebus panis, & vini Eucharistici contineri Corpus, & Sanguinem Chriſti, exprobrare Manichæis non poterat, qnòd docerent in ſpicis, ſarmentis, & alimentis contineri Jeſum patibilem. Eadem enim eſſet Manichæorum & Auguſtini doctrina & diſciplina de re omnino ſimili. Illa vero Auguſtini irriſio de commeſtione Jeſu patibilis in alimentis, ſcilicet, *Ore aperto expectatis quis inſerat Chriſtum, tanquam optimæ ſepulturæ, faucibus veſtris*, quæ habetur lib.20. contra Fauſt. cap.11. pag.242. tom.8. optime caderet in catholicos de commeſtione Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini Eucharistici. Nonne noſtræ ætatis catholici ore aperto presbyterum expectant, qui adveniens in eos inſerat Corpus Chriſti, & immortali ejus corpori novum det ſepulturæ genus? Hactenus Beauſobrius. Ad hæc reſpondeo, Jure meritoque Manichæis exprobrat Auguſtinus maxime abſurdam & impiam fabulam de Jeſu patibili in omnibus herbis, frugibus, pomis, ceteriſque alimentis, quæ gignuntur e terra, quam fabulam Fauſtus Manichæorum epiſcopus apud Auguſtinum lib.20. cap.2. pag.237. tom.8. his docuit verbis, *Ex Spiritus-Sancti viribus ac ſpiritali profuſione terram quoque concipientem, gignere patibilem Jeſum, qui eſt vita, & ſalus hominum, omni ſuſpenſus ex ligno. Quapropter & nobis circa univerſa, & vobis ſimiliter erga panem, & calicem par religio eſt*. Hæc Fauſtus. Jam vero Jeſus patibilis, quidquid in contrarium Beauſobrius blateret, apud Manichæos Dei Filius erat: quod apertiſſime Fauſtus verbis illis ſignificat, *Patibilem Jeſum, qui eſt vita ac ſalus hominum*. Hebraica enim vox *Jevſcàhh*, in Jeſum Græca & Latina voce converſa, Deum Salvatorem ſonat, qui, teſte etiam Fauſto, vita & ſalus hominum eſt. Ex his autem manifeſte contra Beauſobrium, etiam ex teſtimonio Fauſti, conſequitur, chriſtianos Auguſtini ætate Corpus & Sanguinem Chriſti Domini in pane & vino Eucharistico divino coluiſſe cultu, quo Manichæi patibilem Jeſum ſuum in univerſis rebus colebant. At vero inter patibilem Manichæo-

Jeſus patibilis, Deique Filius, ex omni ligno pendens, impia fuit Manichæorum fabula.

nichæorum Jesum in universis rebus, & inter Corpus & Sanguinem Christi Domini in pane, & vino Eucharistico non modo nulla similitudo est, quam temerarius, mendax, & insanus Beausobrius affirmat, sed maxima etiam est discrepantia, & repugnantia.

VI. Etenim de corpore & sanguine Christi Domini in pane & vino Eucharistico adest divina auctoritas in illis Christi Domini verbis, quæ nullum relinquunt ambigendi locum apud Matth. 26. 27. de pane eucharistico *Hoc est corpus meum*: de vino eucharistico, *Hic est Sanguis meus*. Item apud Jo: 6. 36. *Caro mea VERE est cibus, & sanguis meus VERE est potus*. Rursum Apostolus 1. Cor. 11. 23. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite & manducate: Hoc est corpus meum*. & v. 25., *similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* & v. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*. Ad hæc accedit perpetua, universalis, nec intermissa unquam doctrina catholicæ Ecclesiæ, quæ a Christo Domino per Apostolos, eorumque successores omnium ætatum episcopos, ad hæc usque nostra tempora ad nos sine intermissione ulla pervenit: eademque doctrina in omnibus omnium sæculorum, omniumque rituum antiquissimis Liturgiis præclarissime continetur. Contra vero de Jesu patibili in cæpis, alliis, cucurbitis, racemis vitium, & pomis, quæ ex arborum ramis pendent, alia testimonia non adsunt, nisi deliria, & somnia Manichæorum. Præterea docebant de suo Jesu patibili Manichæi, eum a terra concipi, e terra gigni, in herbis, in frugibus, in cucurbitis, in arborum pomis ligari, atque in solis Electorum ventriculis, a vinculis quibus cum materia constringitur, liberandus: nec modo hominum, sed belluarum etiam commune pabulum esse; item ab Auditoribus Manichæorum, quibus solis talis potestas erat, in cucurbitis, quas præcidebant, vulnerari, pati, & a coquis minutatim concidi, elixari, torreri; arbores vero cruces esse dicebant,

Eucharistiæ doctrina ejusq. usus apud Catholicos maxime differt ab impia Manichæorum fabula de eorum Jesu patibili.

cebant; poma autem, quæ ex ramis arborum pendent, Jesum esse patibilem a cruce pendentem prædicabant. Hinc urbanæ & liberales Augustini facetiæ de Manichæis, quæ maxime discrepant ab illiberalibus Beausobrii contra Catholicos scurrilitatibus. Ecce verba S.Doctoris lib.20. contra Faustum cap.11. pag.292. tom.8. quæ sunt de Manichæorum Jesu patibili: *Cum omnes arbores crucem ipsius esse dicatis, unde a Fausto prædicatur*, omni suspensus ex ligno: *cur non sicut illum verum Jesum, bonum opus faciens Joseph ille ab Arimathia de cruce deposuit, ut sepeliret; ita & vos poma decerpitis, ut Jesum de ligni suspensione depositum vestro ventre sepeliatis? Aut unde pium est, Christum sepulchro condere; impium, deponere?* Jam vero quis unquam Catholicorum de corpore & sanguine Christi in pane & vino Eucharistico talia non dico deliria, sed monstra affirmavit, qualia de suo Jesu patibili Manichæi prędicarunt? Postremo Augustinus ibidem cap.13. pag.243. paucis his verbis demonstrat discrimen maximum inter Iesum patibilem Manichæorum, & corpus & sanguinem Christi in pane, & vino Eucharistico catholicorum: *Vobis per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, solvendusque ructatibus..... Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum, & parem religionem dicis errorem longè a veritate discretum; pejus desipiens quam nonnulli, qui nos propter panem & calicem Cererem, ac Liberum colere existimant? . . . A Cerere & Libero paganorum Diis longe absumus, quamvis panis & calicis sacramentum, quod ita laudastis, ut in eo nobis pares esse volueritis, nostro ritu amplectamur.*

Eucharistiæ mysterium ex disciplina arcani non modo infidelibus sed catechumenis etiam antiquitus occultatum.

VII. Animadvertendum est hîc diligenter, Augustinum disciplina arcani prohibitum, quæ vetabat aperire infidelibus christiana mysteria, ne ex his occasionem arriperent infideles vexandi christianos, non ea claritate in libris contra Faustum locutum esse de arcano Eucharistico mysterio, qua usus est cum de eo verba faceret ad fideles, ut patet ex S.Doctoris sententiis supra productis, quas ex sermonibus ab eo habitis ad neophy-

phytos de Euchariſtia decerpſimus , Hinc illa contra Fauſtum hominem infidelem Auguſtini de Euchariſtia verba : *Panis myſticus , certa conſecratione , panis & calicis Sacramentum , ritus noſter* : nec de ea amplius , nec enucleatius quidquam . Adeo ſevera erat Auguſtini ætate diſciplina arcani de Euchariſtiæ myſterio , ut catechumenis quoque hoc myſterium occultaretur . Hinc S. Doctor ſerm.132. cap.1. num.1. tom.5. lectis coram catechumenis , qui cum fidelibus baptizatis in Eccleſia aderant , illis apud Jo: verbis 6. 56. *Caro mea vere eſt cibus : & ſanguis meus vere eſt potus : qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem in manet , & ego in illo* , prohibitus diſciplina arcani , ea publice declarare coram catechumenis nefas duxit . Audiatur: *Qui audiſtis hæc* , inquit , *nondum omnes intellexiſtis . Qui enim baptizati & fideles eſtis , quid* Chriſtus *dixerit, noſtis . Qui autem inter vos adhuc catechumeni , vel audientes vocantur , potuerunt eſſe cum legeretur audientes, numquid & intelligentes* ? Mox ad catechumenos converſus eorum dubitationem his verbis ſignificat : *Et forte modo cum Evangelium legeretur , dixiſtis in cordibus veſtris , putamus quid eſt , quod dicit* , Caro mea vere eſca eſt , & ſanguis meus vere potus eſt ? *Quomodo manducatur caro Domini , & bibitur ſanguis Domini* ? Ad hec Auguſtinus catechumenis myſterium quod ignorant ſe declaraturum promittit , poſtquam fuerint baptizati , quos ut ad baptiſmum feſtinent , hac ſpe propoſita , verbis his cohortatur : *Velatum eſt : ſed ſi volueris , erit revelatum . Accede ad profeſſionem , & ſolviſti quæſtionem Ecce Paſcha eſt , da nomen ad baptiſmum, ſi non te excitat feſtivitas , ducat curioſitas , ut ſcias quid dictum ſit , Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum , in me manet , & ego in illo* .

VIII. Decentius Eugubinus Epiſcopus ad Innocentium I. ſcripſerat . Utrum per acolythos mittenda eſſet Euchariſtia presbyteris , qui diebus Dominicis in parœciis , ideſt , in Eccleſiis ſuburbanis celebrabant . Antiquitus enim presbyteri ad ſignificandam ſuam cum Epiſcopo communionem cum ipſo feriatis diebus cele- rba-

Euchariſtia per acolythos presbyteris , qui diebus Dominicis in ſuis titulis celebrabant , ab

Episcopo antiquitus mittebatur.

brabant, qui idcirco concelebrantes appellabantur. Cum autem diebus Dominicis, in quibus populo adstandum est Sacrificio, una Ecclesia capere omnes non posset, presbyteri singuli in singulis titulis, idest, in singulis suis Ecclesiis rem divinam faciebant. Itaque Episcopus ad significandam suam cum suis presbyteris communionem diebus Dominicis, in quibus secum concelebrare non poterant, ex oblatis particulas singulas presbyteris singulis per Acolytos transmittebant, quas demissas in calice, ipsi cum sanguine cum celebrabant assumerent. Jam vero ad inquisitionem Decentii hæc Innocentius respondet, epistola ad eumdem scripta anno 416. apud Coustant. 25. cap.5. num.8. pag.860. *De FERMENTO vero, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra* Civitatem *sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco FERMENTUM a nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut se nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parœcias* (Ecclesias suburbanas) *fieri deberi non puto; quia nec longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cœmeteriæ* (extra Civitatem) *diversa constitutis presbyteris destinamus: & presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam*. Sed quorsum hæc? nimirum, ut intelligatur arcani disciplina de occultando Eucharistiæ mysterio in Ecclesia antiquitus servari solita, Innocentio teste, qui ad hoc occultandum mysterium, si forte ejus epistola in infidelium manus pervenisset, utitur hac voce *Fermentum*, nota fidelibus, infidelibus autem ignota. Profecto in Ordine Romano *Fermenti* vocabulo Eucharistiam sæpe significari v. c. Mabillonius observat. Quinetiam ipsemet Christus Dominus, qualis in cœlo regnat, in encyclio epistolarum ad Leonem Augustum missarum codice epist.17. tom.4, Concil.Labet. pag.920. *Fermentum* appellatur: qua voce Episcopi Phœniciæ maritimæ utuntur, ubi Concilium Calcedonense laudant; quod, *eos, qui prodiigiose, non ex Dei Genitrice Virgine*

Eucharistiæ mysterium ob disciplinam arcani Innocentius I. occultat.

gine nostrum FERMENTUM credunt, destruxit. Hæc tetigi ad coercendam Beausobrii, atque gregalium ejus Calvinianorum audaciam, si quando apud antiquos Scriptores, servandi gratia disciplinam arcani invenerint voces ambiguas, quibus Eucharistiæ mysterium de industria occultatur.

DISSERTATIO XI.

De Beausobrii mendaciis contra incruentum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, in Ecclesia Catholica celebrari solitum.

I. LAudat FaustumBeausobrius lib.9.Histor.Dogm. Manich.cap.3. pag.629., 630., & 631.tom.2. quod hic Manichæorum Episcopus pie dixerit. *Pagani aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso Deum colendum putant. Ego ab his in hoc quoque multum diversus incedo, qui ipsum me, si modo sum dignus, rationabile Dei templum puto: vivum vivæ majestatis simulacrum Christum Filium ejus accipio, aram mentem bonis artibus & disciplinis imbutam: honores quoque divinos, ac sacrificia in solis orationibus, & ipsis puris ac simplicibus pono.* apud Aug. lib.20. contra Faustum cap.3. pag. 237. tom.8. His autem ex verbis, præter alia, contendit Beausobrius Catholicæ Ecclesiæ sacrificium alienum esse ab antiquo primitivæ Ecclesiæ sacrificio; quod puris dumtaxat precibus peragebatur, Tertulliano teste, qui ad Scapulam scribens cap.2. pag.69., *Sacrificamus*, inquit, *quomodo præcipit Deus pura prece*; scilicet sine thure & victimis, ut hic animadvertit Rigaltius. Jam vero præstat integrum afferre Tertulliani locum, qui est hujusmodi: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcipit Deus pura prece Non enim eget Deus conditor universitatis odoris aut sanguinis alicujus. Hæc enim Dæmoniorum pabula sunt.* Tertullianus igitur secundi sæculi scriptor ad Scapulam Africæ Proconsulem, Idolorum cultorem, & immanissimum Christiani nominis hostem, quem a Christiano-

Sacrificium Christianorum proprium ex disciplina arcani celat Tertullianus Scapulæ Christianorum in Africa persecutori.

norum cæde nititur revocare, ſcribit, Afros chriſtianos pro Imperatoris ſalute, non pecudum victimas Deo ſacrificare: quoniam nidore & ſanguine victimarum, quæ dæmoniorum pabula ſunt, non delectatur Deus, ſed pura prece, quam Deus prçcepit, nimirum Matth. 544. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: & per Apoſtolum 1. Tim. 2.2. ubi prçcipiuntur fidelibus orationes, *Pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus*. Non loquitur igitur Tertullianus ad Scapulam ſcribens, hominem Idolorum cultorem, & acerbiſſimum chriſtiani nominis hoſtem de vero, proprio, & ſingulari apud Chriſtianos ſacrificio corporis, & ſanguinis Chtiſti Domini, quod ex inveterata Eccleſiæ conſuetudine non pro infidelibus, ſed pro ſolis fidelibus, vivis atque defunctis offertur: quodque nefas erat, & Chriſtianæ diſciplinæ contrarium Infidelibus, quibus chriſtiana myſteria occultabantur, patefacere.

Sacrificium Corporis Chriſti, ejuſdem in Euchariſtia participationem, aram in qua offertur Tertullianus ad Chriſtianos ſcribens apertiſſimis verbis commemorat.

II. Contra vero ubi Tertullianus Chriſtianos alloquitur, perſpicuis utitur verbis, quibus aperte ſignificatur Euchariſticum Sacrificium Corporis Chriſti Domini. Hæc enim habet lib. de Oratione Chriſtianis inſcripto cap. 14. pag. 135. *Stationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum obſequium Euchariſtia reſolvit? An magis Deo obligat? Non ne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Commemorat hìc Tertullianus Sacrificium Corporis Chriſti, de quo adſtantes Chriſtiani participabant: commemorat aram, in qua hoc Sacrificium conficitur, commemorat Corpus Chriſti, quod in Euchariſtia fideles accipiunt, & accipiendo de Sacrificio Corporis Chriſti participant. Antiquas quaſdam veteris Eccleſiæ conſuetudines tangit hìc Tertullianus, quæ declarationem deſiderant, ut intelligatur quid in ſuis Afris Chriſtianis reprehendat, quæque præcipiat. Chriſtianorum ſtationes

Stationes Chriſtianorum Tertulliani ætate, quæ, & quales fuerint.

nes antiquissimæ sunt, ex militari disciplina profectæ, quæ a stando stationes sunt appellatæ. Excubiæ enim, quas stando milites in præsidiis agebant, stationes appellabantur. Stationes igitur Christianorum, quorum singularis militia est super terram, celebrabantur stando, & orando in Basilicis horis diurnis, quæ enim horis nocturnis agebantur, a vigilando vigiliæ sunt appellatæ. Peragebantur autem Christianorum stationes diebus Dominicis, in jejuniis, & in solemnitatibus Paschæ. Cum autem antelucanis horis ea ætate sacrificium celebraretur, eoque absoluto adstantes Christiani communicarent, comestoque Corpore Christi ab Ecclesia Diaconis voce dimitterentur, qui horis diurnis peragebant stationes, nolebant antelucano sacrificio interesse, ne dimissi ab Ecclesia post acceptum Christi Domini Corpus, a stationibus diurnis in Ecclesia obeundis discedere cogerentur. Hos admonet Tertullianus, ut sacrificio intersint, ut Christi Domini Corpus accipiant, illudque, absolutis stationibus suis, domum secum deferant, domique cum libuerit, absumant. Atque ita & sacrificio Corporis Christi aderunt, & de Corpore Christi participabunt, diurnasque stationes, reservata domi commestione Corporis Christi, in Ecclesia peragent.

III. Intelligenda autem hoc loco est perantiqua veteris Ecclesiæ consuetudo, qua fideles manibus excipiebant Christi Domini Corpus, feminæ quidem velatis, viri autem nudis, quod vel statim in Ecclesia absumebant, vel absumendum, cum vellent, domum deferebant, & custodiebant, si vellent in arca. Hanc consuetudinem indicat Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. pag. 169., ubi eam deterret, si vidua supersit, a contrahendis nuptiis cum viro infideli, cui Christianos ritus, infidelibus occultandos, celare non poterit. *Latebisne tu*, inquit, *cum lectulum, cum corpusculum tuum signas? Cum etiam per noctem consurgis oratum? Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur?* Eucharisticum Christianorum panem pueri in-

Eucharistiæ participandæ ritus Tertulliani, & Cypriani ætate.

Crucis signo frequentissime se, suaque veteres Christiani, Tertulliano teste, signabant.

 fan-

fantis sanguine adspersum esse Gentiles credebant, & prædicabant. Quoniam vero mentio facta est consuetudinis, qua Christiani veteres se frequentissime signo crucis signabant, quam in Catholicis ridendi Protestantes irrident, præclarius de ea Tertulliani testimonium affero lib. de Corona pag. 102. edit. Venet. an. 1744. *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*. Quid ad hæc Lutherani? Quid Calviniani? Quid Anglicani? Sed ad antiquissimum de Eucharistia usum me refero. S. Cyprianus Martyr, Scriptor III. Sæculi lib. de spectaculis pag. 415. col. 1. edit. Pamel. de Christiano gentilium spectaculorum spectatore, qui secum Eucharistiam de more deferens, ad obscenos ludos tendebat, hæc habet: *Festinans ad spectaculum, demissus*, (ab Ecclesia) *& adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam inter corpora obscena meretricum tulit*. Item lib. de Lapsis pag. 243. col. 2. de lapso in Idololatriam, Sacerdotibus irascente, quod suis manibus Eucharistiam de more non traderent, hæc habet: *Quod non statim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur*. Itaque contra Beausobrii meadacia de sacrificio incruento corporis, & sanguinis Christi Domini, deque reali presentia ejusdem corporis, atque sanguinis locupletissimos testes habemus Tertullianum temere a Beausobrio citatum, Sæculi II. scriptorem, & Cyprianum Martirem scriptorem Sæculi III.

IV. Vituperat Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 3. pag. 631., & 632. tom. 2. Ecclesiæ Catholicæ sacrificia, templa, altaria, sacras imagines, quæ nulla fuisse in primitiva Ecclesia, auctoritate Tertulliani, Origenis, Minutii Felicis, atque Arnobii

bii temere & impudenter affirmat : verumque Dei cultum novis hisce superstitionibus assidue, ut inquit, catholicos corrupisse, ausu temerario contendit. Jam vero ad hæc Beausobrii mendacia atque calumnias, quandoquidem ad ritus primitivæ Ecclesiæ ad tertium usque sæculum vaferrime provocat, respondeo, Sævientibus non modo contra christianos homines, sed etiam contra res omnes christianas immanissimis Gentilium persecutionibus, trium & eo amplius sæculorum spatio, quibus religionem christianam extinguere penitus satagebant, publica profecto christianorum sacrificia, templa publica, publica altaria, publicæque imagines sacræ, oculis Gentilium exposita omnino esse non poterant : erant tamen occulta, atque abdita; quinetiam illis ipsis temporibus, si quando paululum persecutionum vis deferbuerat, oppressisque christianis aliquantulum respirare licebat, hæc ipsa publica quoque fuerunt. Patent civibus Romanis omnibus, omnibusque exteris, & peregrinis subterranei illi meatus, in quibus primi christiani, ad exemplum servatæ a se religionis, recrudescentibus persecutionibus, sepulti potius, quam abditi delitescebant. Extant in his arenariis omnium oculis conspiciendæ sacræ ædiculæ in templi formam extructæ, extant altaria, cruces, imagines sacræ, sacra vasa, monumenta certissima sacrificiorum, religiosique cultus, quem primis Ecclesiæ sæculis christiani veteres Deo exhibebant. Imperante Alexandro Severo, quod is non nimis alienum animum a Christianis haberet, publicum Deo templum Romæ a Christianis dedicatum est. De quo Lampridius scriptor Gentilis in vita Alexandri Severi pag. 376. hæc litteris commendavit. *Cum christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi cum deberi, Alexander rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Quod autem sæculo III. publica extarent in Africa christianorum templa, ante motam ineunte sæculo IV. a Diocletiano contra Christianos persecutionem testis est Optatus Milevitanus ejusdem sæ-

Sacrificia, altaria, templa publica, sævientibus persecutionibus christiani habere non poterant: quæ occulta, præsertim in subterraneis arenariis habebant.

Templum christianorum publicum Romæ, imperante Alexandro Severo.

Templa Christianorum publica Sæculo III. in Africa ante indictam a Diocletiano persecutionem.

ſæculi ſcriptor, de qua hæc poſteritati mandavit lib.3. contra Parmen. pag. 76., & 77. *Alia perſecutio, quæ fuit ſub Diocletiano & Maximiano. Quo tempore fuerunt & impii judices bellum chriſtiano nomini inferentes. Ex quibus ex provincia proconſulari ante annos LX, & quod excurrit, fuerat Anolinus; in Numidia, Florus. Sæviebat bellum chriſtianis indictum. Alii urgebantur templa Dei vivi ſubvertere, alii Chriſtum negare, alii leges divinas incendere, alii thura ponere*. Profecto ſi anno CCCIII., quando indicta a Diocletiano perſecutio eſt, urgebantur Afri chriſtiani templa Dei vivi ſubvertere, profecto jam pridem, labente Seculo III. habebant chriſtiani in Africa templa Dei vivi, quæ ſubvertere cogebantur.

V. Quoniam vero Beauſobrius teſtes producit contra præſentis Eccleſiæ Catholicæ Sacrificium, & ea quæ ad Sacrificium pertinent, Tertullianum, Origenem, Minutium Felicem, Arnobium, antiquiores Eccleſiæ ſcriptores, dico Tertullianum, quem ſupra retuli num. II. libro de Oratione ad chriſtianos ætatis ſuæ cap. 14. pag. 135., præclariſſimis verbis commemorare ſacrificium Corporis Chriſti, commemorare aram, in qua Sacerdotes Chriſti Domini Corpus in ſacrificium offerunt Deo, commemorare fideles ſacrificio adſtantes, & de ſacrificio participantes ſumptione Corporis Chriſti. Præterea lib. 3. contra Marcionem cap. 22. pag. 410., verbis illis Malach. 1. 11. *Ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur nomini meo oblatio munda*, Tertulliano interprete prænuntiantur futura chriſtianarum *Eccleſiarum ſacramenta, & munditiæ*, ut inquit, *ſacrificiorum*. Item lib. de Idololatr. cap. 7. pag. 88., contra chriſtianos illos ſculptores invehitur, qui fingebant Idola Gentilibus, ubi mentionem facit Eccleſiæ, domus Dei, & Corporis Chriſti, quod vi ſacrificii conficitur, quodque manibus excipiebant ad Euchariſticam menſam primi fideles. Audiatur; *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemiſcens Chriſtianum* (Sculptorem) *ab Idolis in Eccle-*

Sacrificium Corporis Christi, aram, Sacerdotes Terrullianus Sæculi II. ſcriptor commemorat.

clesiam venire, de adversarii officina in domum Dei . . . Eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Origenes vero scriptor Sæculi III. lib.8. num. 17. pag. 755. tom. 1. edit. Paris. in suis pro christiana religione vindiciis contra Celsi calumnias, hominis impii, Epicurei, acerrimique hostis christiani nominis, qui, sæviente Marci Aurelii persecutione, duos contra christianos edidit libros, Origenes, inquam, in his vindiciis nec sacrarum ædium, nec altarium, nec sacrificii christiani mentionem facit. Sed quid inde? Num hæc idcirco negat? Nihil profecto minus. Sed ut reticenda erant, sic reticet. Non deerant ea ætate, quamvis occultæ gentilibus, sacræ christianorum ædes, non deerant altaria, clanculum a christianis antelucana sacrificia celebrabantur. Sic ætate nostra in iis regionibus, in quibus Calviniana hæresis dominatum tenet, & liber catholicæ religionis cultus est interdictus, Catholici, qui cum Calvinianis promiscue vivunt, sacras ædes habent, habent altaria, sacras imagines, sacrificia, sed quæ summa cura & industria Calvinianis Catholici nominis hostibus occultant. Hęc eadem consuetudo religiosissime tribus presertim primis Ecclesiæ Sęculis, sęvientibus Gentilium persecutionibus servata est. Quanquam Origenes tractatu 28. in Matthęum Christianarum Ecclesiarum mentionem facit, quas sęviente Maximini persecutione flammis gentiles consumpserunt. *Scimus*, inquit, *& apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas; ita ut qui erant impii extra fidem, causam terræ motus dicerent christianos; propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt*. Pręterea homil. 10. in Jesum Nave Origenes christianos Sacerdotes commemorat, quorum est sacrificia offerre, commemorat Ecclesias, altaria commemorat, in quibus sacrificatur, horumque ornamenta non tacet: *Sciendum est*, inquit, *quantum ex hujusmodi figurarum adumbrationibus edocemur, quod siqui tales sunt in nobis, quorum fides hoc tantummodo habet, ut ad Ecclesiam veniant, & inclinent caput suum Sacerdo-*

Sacrificia, & cetera christiana mysteria Origenes contra Gentiles scribens ex disciplina arcadi non manifestat.

Altarium, Sacerdotum, Ecclesiarum ad Christianos scribens Origenes, III. sæculi scriptor mentionem facit.

dotibus, officia exhibeant, servos Dei honorent; ad ornatum quoque Altaris, vel Ecclesiæ aliquid conferant, non tamen adhibent studium, ut mores suos excolant, sciant sibi, qui tales sunt, partem sortemque ab Jesu Domino cum Gabonitis esse tribuendam. Similia habet Origenes hom. 11. in Numeros.

Sacrificia & cetera christiana sacra, teste Cæcilio gentili apud Minutium, antiqui christiani ex disciplina arcani occultabant.

VI. Venio nunc ad Minutium Felicem. Is, ut fertur, Sæculi III. Scriptor, persecutionibus contra christianos maxime nobilitati, Dialogum Romæ evulgavit Cęcilium inter & Octavium, quorum primus gentilis, alter christiani personam sustinebat. Cęcilius Gentilis hęc Octavio Christiano, ejusque sociis exprobrat pag. 361. *Cur occultare, & abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur? Cum honesta semper publico prodeant, scelera secreta sint? Cur nullas aras, templa nulla, nulla nota simulacra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari sustinent?* At ex his gentilis hominis verbis nihil aliud infertur, nisi christianos lege ab ipsis perquam pie ac prudenter sancita, quæ disciplina arcani appellatur, omnem dedisse operam, ut christiana doctrina, christiani ritus, atque mysteria christiana ignota omnino essent gentilibus, ne, sævientibus præsertim Gentilium contra Christianos persecutionibus, christiana sacra in malam partem Gentiles interpretarentur, moxque occasionem arriperent perdendi christianos. Hæc autem christianorum consuetudo sacra sua gentilibus occultandi, quam Cæcilius reprehendit, ignota ipsis non erat. Hinc gens christiana ab eodem Cæcilio ibidem pag. 359. *Latebrosa, & Lucifuga natio* appellatur. Quid ad hæc Minutius personam gerens Octavii Christiani? Num gentilibus christiani nominis inimicissimis patefacere debuit sacras christianorum ædes, ritus, altaria, sacrificia, sacramenta, mysteria? Nihil profecto minus. Quid ergo respondet? Ecce tibi Minutii verba ibidem pag. 393. *Putatis nos occultare quod colimus, si delubra, si aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod Dei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabri-*

bricatus eum capere non possit? Et cum homo laxius maneam intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? In nostro imo consecrandus est pectore? Negat igitur Minutius Cæcilio optimeque negat, christianos habere delubra, templa scilicet in quibus Deorum simulacra Gentiles venerabantur; negat habere aras, in quibus victimæ a Gentilibus adolebantur; negat Dei simulacrum habere, quod naturam Dei declararet, quemadmodum simulacra Jovis, Junonis, Minervæ apud Gentiles qualis esset illorum Numinum natura significabant. Negat cum Salomone, cujus hæc verba sunt lib.3. Reg.cap.8. *Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* Christianos habere templa, in quibus Dei immensitas & majestas inclusa contineatur, quemadmodum Gentiles Deos suos in suis templis inclusos contineri censebant. At hæc eadem doctrina est præsentis Ecclesiæ. Tacet quidem Minutius sacras christianorum ædes in privatorum domibus custoditas, in quibus noctu ad sacra peragenda conveniebant fideles; sacrificia tacet antelucana; tacet altaria, sacramenta, mysteria; sed hæc omnia, ne majori contra christianos odio exardescerent, Gentilibus tacenda erant omnino. Itaque neque Minutii Felicis confessio, neque ejus silentium Beausobrii mendaciis quidquam suffragantur.

Sacrificia pagana, aras apud christianos esse Minutius contra gentiles scribens negat; de sacrificiis, arisque christianis omnino tacendis tacet.

VII. A vindicato Minutio ad vindicandum a Beausobrii calumniis Arnobium accedo. Is ineuntis sæculi IV. scriptor, cum nondum esset christianus, sæviente Diocletiani persecutione anno CCCIII. libros septem contra Gentiles edidit. Talis autem Arnobio fuit causa scribendi. Admirabili viso admonitus a Deo in somnis, ut christianam religionem amplecteretur, quam Afer in Africa vehementer oderat, & perdere nitebatur, se ad Episcopum, ut inter christianos reciperetur, contulit, a quo primum, cum sibi de fraude doloque malo suspectus esset, rejectus est. Itaque Arnobius, ut verum, atque sincerum animum suum episcopo, ceterisque christianis patefaceret, septem com-

Arnobius ineuntis seculi IV. scriptor quis, qualisque fuerit, curque contra Gentiles scripserit.

memoratos contra Gentiles libros evulgavit, in quibus non christianorum mysteria ignota sibi defendenda suscipit, sed Gentilium contra christianos accusationes atque calumnias confutandas aggreditur. Libro hujus operis 6. pag. 223. hæc sunt, quæ Arnobio teste Gentiles exprobrabant christianis, in quibus se triumphare stulte ac temere nostræ ætatis hæretici arbitrantur: *In hac consuestis parte*, inquit Arnobius, *crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam, non altaria fabricamus, non aras.* At vero quid est illud quod hoc apud Arnobium loco Gentiles exprobrabant christianis? nimirum, quòd delubra domicilia deorum, in quibus venerarentur Deos, non construerent christiani: quod nulla erigerent simulacra Deorum, non dicata Diis altaria, non aras haberent, in quibus thura adolerent, & vina Diis libarent. Tales eo loco fuisse Gentilium contra christianos exprobrationes his verbis testatur Arnobius; *Quod non Deorum alicujus simulacrum constituamus, non cæsorum sanguinem animantium demus, non thura, atque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus.* Jam vero quid ad has exprobrationes christianorum nomiue, quorum personam induerat Arnobius? Audiatur: *Ab hujusmodi ritibus cessamus, quod Deos arbitramur, & credimus (si modo Dii certi sunt, & nominis hujus eminentia præditi) honorum hæc genera, aut risui habere, si rideant; aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum.* Postremo Arnobius, quatenus christianorum consuetudines scire potuit, Diocletiani edictum de comburendis christianis libris, christianisque Ecclesiis divino cultui dicatis evertendis refellens, hæc habet Beausobrio, ejusque gregalibus minime placitura: *Nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporis vinctione.* Consuetudo ergo christianorum erat, ter-

Sacrificia, aras, victimas, delubra in honorem Deorum repudiari a christianis Arnobius docet.

tertio Ecclesiæ sæculo orandi non modo pro vivis, sed etiam pro defunctis, resolutis corporis vinctione, ut inquit Arnobius. Quid ad hæc protestantes, qui Purgatorium negant? Factum est ergo satis Beausobrii calumniis, atque mendaciis, quibus non suffragantur nec silentium, nec verba quorumdam scriptorum veterum, qui ad tertium usque sæculum floruerunt, ad explodendum Ecclesiæ catholicæ Sacrificium, neque ea, quæ ad Sacrificium pertinent.

Purgatorium esse ex consuetudine Ecclesiæ orandi pro defunctis Arnobius insinuat ab ipso sæculo III.

VII. Quoniam vero Beausobrius ad rejiciendum Ecclesiæ catholicæ Sacrificium, & sacra omnia, quæ ad Sacrificium sunt necessaria, ad prima tria Ecclesiæ sæcula vaferrime provocat, in quibus christiani se, ritus suos, & sua mysteria penitus occultabant: atque in his ipsis prioribus sæculis, ut maxima fuit multitudo Martyrum, qui effuso sanguine illustrarunt Ecclesiam; ita exiguus fuit Doctorum numerus, qui litteris tuerentur, & exornarent Ecclesiam, fraudes tamen Beausobrii non metuens, me intra fines priorum sæculorum contineo, tresque, præter supra commemoratos, antiquioris ætatis scriptores produco, Justinum scilicet martyrem, Irenæum, & martyrem Cyprianum. Et Justinus quidem martyr, medii II. sæculi scriptor Dial. cum Triph. num.117. pag.209. edit. PP. Maurin. hæc habet: *Quæ ergo per illius nomen sacrificia ipsi offerunt ea, quæ a Jesu Christo præscripta, idest, quæ in Eucharistia panis, & calicis a christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum, Deus gratos sibi esse testatur*. Ergo Justino teste, erant II. sæculo Ecclesiæ Sacerdotes christiani, qui in omni terrarum loco Sacrificia Deo offerebant. Hæc autem Sacrificia a christianis Sacerdotibus offerebantur in Eucharistia panis, & calicis, idest, in pane & vino Eucharistico, quæ jam præscripta & præcepta a Jesu Christo fuerunt, qui postquam dixit, *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*, protinus addidit Apostolos eorumque successores alloquens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Luc.22.16. Quid autem sit panis hic Eucharisticus, quid Eucharisticus iste calix his perspi-

Sacrificia corporis, & Sanguinis Christi, ab ipso præscripta Deo per universum mundum a christianis offerri, testatur Justinus Martyr II. sæculi scriptor.

cue verbis Justinus idem declarat Apol.1. n.66.pag.83, ubi etiam illorum temporum Liturgiam tradit, nimirum docet, Carnem, & Sanguinem esse Jesu Christi. Audiatur: *Neque enim*, inquit, *ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster & carnem & sanguinem habuit nostræ salutis causa; sic etiam illam, in qua per preces ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis & carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus*. Hæc igitur sunt, quæ Justinus Martyr apertis perspicuisque verbis hoc loco docet, nimirum, Quemadmodum per Incarnationem Jesus Christus Salvator noster veram carnem, & verum sanguinem habuit, ita alimoniam illam ex pane, & vino Eucharistico, per consecrationem, veram carnem, verumque sanguinem esse Jesu Christi.

Eucharisticum panem & vinum verum Corpus, & Sanguinem esse Jesu Christi, Justinus Martyr II. sæculi scriptor affirmat.

IX. Sanctus Irenæus sancti Polycarpi discipulus, qui auditor fuerat sancti Joannis Apostoli, sæculi II. scriptor lib.4. contr. Hæres. cap.17. num.5. pag.249. edit. PP. Maurin. hæc de perantiqua primitivæ Ecclesiæ doctrina, & disciplina nobis testatur: *Jesus suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre de suis creaturis, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens*, Hoc est meum Corpus. *Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum Sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo in novo Testamento, de qua in duodecim prophetis Malachias* (cap.1. 10.) *sic præsignificavit*: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus Omnipotens: *manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabat offerre Deo: omni autem loco Sacrificium offertur ei, &*

Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Malachiæ vaticinio in universo mundo celebrandum Irenæus II. sæculi scriptor testatur.

ei & hoc purum: nomen autem ejus glorificatur in gentibus. Jam vero Irenæus Malachiæ vaticinium de novo ſacrificio futuro, quod, repudiatis veteribus Judæorum ſacrificiis, Deo per univerſum orbem offerendum prædicitur, de ſacrificio Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti in pane, & vino Euchariſtico veraciſſime cum ceteris Patribus interpretatur: quod Sacrificium a Chriſto Domino verbis his inſtitutum, *Hoc eſt Corpus meum*: *Hic eſt Sanguis meus*, Apoſtoli a Domino ipſo acceperunt; Eccleſia vero ab Apoſtolis acceptum in univerſo mundo, abrogatis Sacrificiis veteris Teſtamenti, offert illud Deo in novo, ut Irenæus inquit, Teſtamento. Ex his autem conſequitur, quoniam Beauſobrius hæc improbat, neceſſitas conſtruendi templa, erigendi altaria, parandi ſacra vaſa, ſupellectilem ſacram, veſtes ſacerdotales, & quidquid eſt neceſſarium ad offerendum Deo diviniſſimum hoc Sacrificium, eo majori ſplendore, quo fieri poteſt. Præterea Irenæus ibidem cap.18. num.1, & 2. pag.250. hæc addit: *Igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum Sacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei ... Et non genus oblationum reprobatum eſt: oblationes autem & illic, oblationes autem & hic: Sacrificia in populo, Sacrificia in Eccleſia; ſed ſpecies immutata eſt tantum, quippe cum jam non a ſervis, ſed a liberis offertur*. Pergit S. Irenæus & docet chriſtianam Eccleſiam a Chriſto Domino edoctam in univerſo mundo offerre Deo Sacrificium in ejus conſpectu purum, ipſique acceptum, quod Sacrificium ſupra docuerat, Corpus & Sanguinem eſſe Chriſti Domini. Non enim, Irenæo teſte, Chriſtus Dominus abrogando Sacrificia Judaica, omne ſacrificium ſuſtulit; ſed unum cum altero commutavit, nimirum abrogatis Sacrificiis Judaicis, chriſtiana Sacrificia ſubſtituit, & ſubrogavit: quæ non ejuſdem rationis & naturæ ſunt; quoniam Sacrificium chriſtianum multo excellentius eſt, utpote populi liberi, quam Sacrificium Judaicum, utpote populi ſervi, Victima enim Sacrificii chriſtiani Corpus, & Sanguis Chriſti Domini eſt: contra vero victimæ Sacrificii Judaici, nonniſi aves & pecudes erant.

X. Sanctus Cyprianus Martyr medii sæculi III. Scriptor tot testimoniis tamque præclaris de sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod in suæ ætatis Ecclesia celebrabatur, Beausobrii, ejusque gregalium fauces constringit, ut respirare his omnino non liceat. Ex multis pauca quædam lego. Is epist. 63. ad Cæcilium Episcopum pag. 146. col. 1. edit. Pamel. reprehendens Sacerdotum quorumdam abusum in oblatione calicis hæc habet, *Quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt quod Jesus Christus Dominus & Deus noster sacrificii hujus auctor & Doctor fecit & docuit.* Itaque Cypriano teste, Jesus Christus Dominus & Deus noster auctor, & Doctor est sacrificii illius quod Sacerdotes sanctificando calicem, Deo offerunt, & plebi christianæ distribuunt. Item ibidem col. 2. *In Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit. Nam quis magis Sacerdos quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, idest panem & vinum, suum scilicet corpur & sanguinem?* Et rursum ibidem pag. 149. col. 2. *Si Jesus Cgristus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Præclarissime docet locis his Cyprianus, Christum Dominum in pane, & vino Eucharistico, quando in ultima cœna cum suis discubuit discipulis, Deo Patri obtulisse sacrificium corporis, & sanguinis sui: quod fieri in sui commemorationem præcepit ab his Sacerdotibus, qui ejus vice in hoc ipso sacrificio funguntur; quodque fecit ipse imitantur, offerendo Deo Patri in Ecclesia, verum plenumque sacrificium, eo modo quo Christus in ultima cœna sacrificium corporis & sanguinis sui ob-

Sacrificium corporis, & sanguinis Christi in pane & vino Eucharistico, cujus præfigurator Melchisedech, institutor Christus, ministri Sacerdotes Cyprianus Martyr III. sæculi scriptor affirmat.

obtulit Patri suo. Præterea epist. 54. ex Synodo ad Cornelium Papam pag.110. col.2. hæc habet: *Episcopatûs nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes Dei, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias & victimas præparemus.* Decreverat Synodus Carthaginiensis, cui Cyprianus præfuit, ut impendente persecutione, daretur pax pœnitentibus, illos Ecclesiæ reconciliando, quo alacriores & fortiores fierent ad subeundum martyrium: idque Christianorum Sacerdotum munus esse docet, quod Sacerdotes, qui quotidie Dei sacrificia, quotidiana immolatione corporis & sanguinis Christi, celebrant, hostias & victimas in futuris martyribus Deo præparent.

Sacrificium corporis, & sanguinis Christi Cypriani ętate quotidie a Sacerdotibus celebrari solitum.

XI. Rursum epistola 34. ad Clerum & plebem suam pag.67. col.2. hæc Cyprianus habet. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Item epist.37. ad Clerum pag.72. col.1. *Dies eorum*, inquit, *quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus scripserit, & scribat, & significat mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hìc a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Consuetudinem ætatis suæ, quæ eadem est ac ætatis nostræ apud nos catholicos, nimirum celebrandi quotannis anniversaria celebritate diem obitus Sanctorum Martyrum commemorat hìc Cyprianus. Hac de causa præcipit per litteras Clero, & Plebi suæ, ut accurate adnotent dies, quibus beati Martyres & Confessores, qui in carceribus erant & vinculis, excedunt è vita, ut diebus eorum festis in Sanctorum Martyrum & Confessorum gloriosam commemorationem *oblationes*, ut inquit, *& sacrificia* a se tunc absente, deinde, ut propediem sperat, apud illos præsente celebrentur. Epistola autem autem 66. ad Clerum & Plebem Furnitanorum pag.160. col.2. hæc statuit: *Cum jam pridem in Concilio Episcoporum constitutum sit, ne-*

Sacrificia corporis & sanguinis Christi diebus festis sanctorum martyrum quotannis Cypriani ætate celebrari solita.

Sacrificia corporis & sanguinis Christi a Sacerdotibus pro defunctis fidelibus Cypriani ætate celebrari solita.

nequis de Clericis, & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti nonnisi altari & sacrificiis deservire, & precibus & orationibus vacare debeant. Erant igitur Cypriani ætate, ideſt sæculo III., in christiana Ecclesia Sacerdotes, erant altaria, erant sacrificia, quibus celebrandis Sacerdotio & Clericali munere ornati assiduam operam dabant. Item ibidem pag. 161. col. 1. hæc Cyprianus memorat: *Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter providentes censuerunt, nequis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac siquis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & ministros voluit avocare.* Decretum, & Canonem perantiquum ab Episcopis antecessoribus suis constitutum hac epistolaCyprianus commemorat,quod idcirco non improbabile est ad II. Ecclesiæ sæculum pertinere. Hoc autem decreto sancitum fuit,ne sacrificia, quæ, ea ætate sicuti & nostra, pro fidelibus defunctis in christiana Ecclesia celebrari solebant, pro defuncto offerrentur, qui Clericnm tutorem vel curatorem pupillorum suorum post obitum suum testamento instituisset. Hæc autem legitima causa fuit hujusmodi Canonis, atque Decreti, nimirum, quod non mereatur in Sacerdotum sacrificantium prece defunctus ille nominari, qui cum viveret, Dei Sacerdotes, & ministros, negotiis civilibus implicando, ab Altare Dei voluit avocare. Tandem epistola 55. pag.120. col.2. ad Cornelium Papam contra temerarios conatus christianorum quorumdam, qui a cultu veri Dei ad falsorum Numinum cultum defecerant,his verbisCyprianus invehitur, *Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio cedat, ac recedentibus Sacerdotibus, ac Domini Altare removentibus, in Cleri nostri sacrum venerandumque consessum Simulacra, atque Idola cum aris suis transeant?* Commerat hìc Cyprianus christianas Ecclesias, Altaria, Sacerdotes christianos, item Capitolina Gentilium

templa, aras, Idola; hæc illis contraria, & in contentionem vocata. Erant igitur ætate Cypriani, ideſt, III. Eccleſiæ ſæculo, apud Chriſtianos Eccleſiæ, erant Sacerdotes, erant Altaria, atque idcirco ſacrificia a Sacerdotibus ad Altaria operantibus Deo oblata. Hæc autem monumenta de Sacrificiis, Sacerdotibus, & Altaribus primitivæ Eccleſiæ tam multa, tam perſpicua, tam explorata ſunt, ut Calvinianus Baſnagius, cui perſpecta penitus erant, gregales ſuos admonuerit, ut de ſacrificio aliquo in ſecta ſua inſtituendo ſedulo deliberarent. Mentitur igitur more ſuo Beauſobrius affirmando primis tribus Eccleſiæ ſæculis, quæ utpote minus cognita provocat, nulla fuiſſe, quæ apud Catholicos hac ætate ſunt, ſacrificia, nec ea quæ pertinent ad hujuſmodi ſacrificia.

XII. Duos irrepſiſſe errores in Catholicorum noſtræ ætatis Eccleſiam nugax Beauſobrius garrit, qui nondum, ut blaterat, nati erant ætate Auguſtini, ſcilicet, panem, & vinum converti in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti. Item, Presbyterum offerre Deo in ſacrificium Perſonam Domini, ejus corpus, ejus ſanguinem, & divinitatem. Hæc illa lib.9.Hiſtor.Dogmat.Manich. cap.5. pag.676. tom.2. Ad ſingula jam reſpondeo: Presbyterum offerre Deo corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, veriſſima, atque certiſſima Eccleſiæ catholicæ doctrina eſt, quam Jeſus Chriſtus præclariſſime tradidit Eccleſiæ ſuæ, quando in ultima cœna dixit, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc quotieſcumque feceritis, in meam memoriam facietis*. Presbyterum noſtrum autem offerre Deo in ſacrificium perſonam, & divinitatem Domini, ideſt, Verbi divinitatem atque perſonam Beauſobrii mendacium & calumnia eſt. Offert Sacerdos Deo Pàtri in ſacrificio incruento illud ipſum, quod Dei Filius obtulit Patri ſuo in ſacrificio cruento. Atqui Dei Filius in ſacrificio cruento non obtulit Patri ſuo niſi ſuum corpus & ſanguinem. Ergo Sacerdos in ſacrificio incruento non offert Deo Patri niſi corpus, & ſanguinem Filii ejus. Cum enim ſacrificium ſit argumentum Dominii, quod

In ſacrificio Altaris presbyterum juxta catholicos offerre Deo divinitatem & perſonam verbi Beauſobrii calumnia eſt.

quod ſupra victimam habet is, cui victima offertur, eo ipſo inter victimam quæ offertur, & perſonam cui offertur, non ſolum diſtinctio, ſed etiam inæqualitas præſtantiæ intercedat neceſſe eſt. Itaque neque divinitus divinitati, cum nulla diſtinctio ſit, neque Perſona divina divinæ Perſonæ, cum nulla inæqualitas præſtantiæ ſit, poteſt in ſacrificium offerri. Quod autem in ſacrificio panis & vinum convertatur in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti a prima ſui origine uſque ad hæc noſtra tempora conſtans atque perpetua Eccleſiæ doctrina fuit. Miror autem & vehementer miror Beauſobrii temeritatem, quod affirmare audeat ætate Auguſtini ignotam fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ doctrinam de incruento ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti, deque corpore ejuſdem & ſanguine in pane, & vino Euchariſtico. Præclariſſima Auguſtini teſtimonia ſunt de corpore, & ſanguine Chriſti Domini in pane & vino Euchariſtico, quæ loco ſuo produxi, atque iterum refero. Sermone 227. habito ad Neophytos, quibus chriſtianam doctrinam de pane, & vino Euchariſtico ipſis credendàm tradit pag.677. tom.5. hæc docet: *Panis ille quem videtis in Altari, ſanctificatus per Verbum Dei Corpus Chriſti eſt. Calix ille, immo quod habet calix, ſanctificatum per Verbum Dei, ſanguis Chriſti eſt.* Et rurſum Serm.272. ad eoſdem Neophytos, ideſt, novos chriſtianos, quibus, quid ipſis de fide credendum ſit in pane, & vino Euchariſtico præclariſſime inculcat, eadem quæ ſupra his ſimilibus verbis confirmat ptg. 769. tom. 5. *Hoc quod videtis in Altare etiam tranſacta nocte vidiſtis: ſed quid eſſet, quid ſibi vellet, quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis panis eſt, & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant, quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, Panis eſt Corpus Chriſti, Calix eſt Sanguis Chriſti*, ideſt, vinum quod habet calix, ut ſuperiori loco dixerat. Ad has præclariſſimas Auguſtini voces de corpore, & ſanguine Chriſti Domini in pane, & vino Euchariſtico obſtringit oculos, & aures obturat Beauſobrius; atque incredibili prorſus temeritate

Euchariſticum panem & vinum corpus & ſanguinem eſſe Jeſu Chriſti apertiſſimè Auguſtinus teſtatur

tate affirmare audet, hanc præsentis catholicæ Ecclesiæ doctrinam errorem esse nondum natum ætate Augustini.

XIII. Quod autem pertinet ad verum & proprium sacrificium veri & proprii corporis & sanguinis Jesu Christi, quod Augustini ætate in christiana Ecclesia fuisse Beausobrius temere negat, præter Irenæum, Justinum, Cyprianum, Tertullianum, Origenem, quos testes locupletissimos supra produxi, audiat quid Augustinus, ad quem temere provocat, lib.20. contra Faustum Manichæorum Episcopum cap.18.pag.245.tom.8. testetur: *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis, & sanguinis Christi.* Ergo, ætatis suæ teste Augustino, christiani sacrosancta oblatione offerebant assidue sacrificium incruentum corporis, & sanguinis Jesu Christi, in memoriam sacrificii cruenti, quod oblatione corporis & sanguinis sui, semel in cruce obtulit Christus. Præterea lib.22. de Civ. Dei cap.10. pag.508. tom.7. hæc Augustinus testatur de ætatis suæ ritu, & doctrina: *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo & martyrum & nostro: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote, qui sacrificat, invocantur: Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum; quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium Corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.* Affirmat hic verbis apertissimis Augustinus Dei Sacerdotes christiano suæ ætatis ritu in altaribus supra martyrum tumulos erectis soli Deo sacrificare, quod sacrificium, ut inquit, corpus est Christi. Negat autem, & optime negat, Corpus Christi offerri in sacrificium Martyribus

Sacrificium corporis & sanguinis Christi, præter Patres III. seculi, Augustinus in Ecclesia Christiana celebrari solitum apertissimis verbis testatur.

quoniam, ut inquit, hoc corpus sunt & ipsi. Martyres enim ad corpus mysticum Christi pertinent, cujus mystica membra sunt. At irreligiosum maxime & impium esset si verum & proprium corpus Christi offerretur corpori mystico Christi, quale corpus sunt martyres Christi. Denique factum memorabile refero, quod, Augustino auctore, contigit vi oblati ab Hipponensi Presbytero in sacrificium corporis Christi. Audiatur apud Augustinum lib.22. de Civ. Dei cap.8. num.6. pag.503. tom.7. *Vir Tribunitius Hesperius apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit.* Constat igitur contra Beansobrii mendacia ætate Augustini certissimam christianæ Ecclesiæ doctrinam fuisse, qualis modo est, semperque futura est, panem vinumque Eucharisticum verum Christi corpus & sanguinem esse, quod in verum propriumque sacrificium offertur ab Ecclesiæ catholicæ Sacerdotibus ad Altare Dei operantibus.

XIV. Eucharistiam antiquitus appellatam fuisse sacrificium, quia commemoratio erat sacrificii a Salvatore oblati contendit Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 677. tom. 2. idque suadere nititur auctoritate Augustini lib. 20. contra Faustum cap. 21. tom. 8., cujus hæc verba sunt: *Hujus sacrificii caro & sanguis per victimarum similitudinem promittebatur; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Ad hæc respondeo: Eucharistia in ratione sacrificii non est mera & pura commemoratio, sed vera & propria iteratio illius sacrificii, quod Patri suo in Cruce obtulit Dei Filius. Itaque differentia non in re ipsa, quæ eadem est: sed in his quæ rei accidunt, tota versatur. Etenim sacrificium Crucis cruentum fuit;

Sacrificium Eucharisticum, Augustino teste, non

fuit; sacrificium Altaris est incruentum. In sacrificio Crucis Patri obtulit Christus Dominus corpus & sanguinem suum in propria humani corporis, & sanguinis humani figura: In sacrificio autem Altaris ipsemet Christus Dominus, qui Sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, offert Patri suo corpus & sanguinem suum in aliena specie & figura quotidiani panis & vini. Idcirco, ne a speciebus propriis panis & vini, quæ alienæ sunt ab humano corpore & sanguine, novi christiani nuperrime baptizati in capitalissimum errorem incurrerent, confestim eos Augustinus admonuit, hisque verbis de mysterio recondito certissimos fecit Sermone 227. supra commemorato: *Panis ille, quem videtis in altari sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi*. Et iterum ad eosdem Neophytos Serm. 272. *Quod videtis panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est Corpus Christi: Calix est sanguis Christi*. Hæc Augustinus de Eucharistia in ratione Sacramenti. In ratione autem Sacrificii hæc S. Doctor docet lib. 20. contra Faustum cap. 18. pag. 245. tom. 8. *Christiani peracti ejusdem sacrificii* (cruenti) *memoriam celebrant sacrosanta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi*. At vero oblatio sacrosanta corporis & sanguinis Christi, quæ in memoriam peracti sacrificii cruenti a Christianis celebratur, quid aliud est, nisi incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium? Præterea lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. pag. 508. tom. 7. de sacrificio, quod in altaribus supra martyrum tumulos erectis Dei Sacerdotes ætate sua offerebant hæc inquit: *Ipsum vero sacrificium corpus est Christi*. Verba autem Augustini a Beausobrio citata non modo illi non prosunt, quinimmo maxime obsunt, quæ talia sunt: *Hujus sacrificii caro & sanguis post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur*. Itaque Augustino teste, sacrificium, quod post ascensum Christi in ejus Ecclesia cele-

non est mera commemoratio, sed vera iteratio sacrificii a Christo Domino oblati.

Eucharisticus panis ex Augustino, non mera figura, sed verum est corpus Christi: Eucharisticum vinum non mera figura, sed verus est sanguis Christi.

Sacrificium christianum ex Augustino oblatio est corporis & sanguinis Christi in memoriam peracti sacrificii cruenti.

celebratur, caro, & sanguis Jesu Christi est: quod sacrificium in memoriam Christi Domini, ut ipse præcepit quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, celebratur. Sacramentum autem dicitur ab Augustino, quod in eo aliud videtur, aliud intelligitur: quod enim videtur panis & vinum est; quod autem intelligitur Christi Domini corpus & sanguis est, in alimentum animæ spiritalem, quod alimentum præcipuus & singularis est fructus istius sacramenti. Sed ipsemet Augustinus sui interpres accedat, qui Serm. 272. pag. 770. tom. 5. ad novos fideles nuper baptizatos, quos sic interrogantes inducit: *Quomodo est panis corpus ejus? Et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus?* quibus sic continuo respondet. *Ista, Fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritalem*,

In sacrificio altaris ex Augustino aliud videtur, aliud intelligitur; videtur enim panis & vinum, intelligitur autem corpus & sanguis Christi.

XV. Sacrificium Ecclesiæ aliud non esse, nisi illud quo ipsamet Ecclesia, quæ corpus Mysticum Christi est, offert seipsam Deo Beausobrius contendit lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 677,, & 678. tom. 2. Hoc autem probare nititur illis Apostoli verbis 1. Cor. 10. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*. Item Rom. 12. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*. Tandem concludit, sacrificium illud, quod, ut Augnstinus inquit, nec Petro, nec Paulo, ne Cypriano, sed soli Deo offertur, juxta S. Doctorem, aliud non esse, nisi Mysticum Ecclesiæ sacrificium. Ad has Beausobrii cavillationes in promptu responsio est. Concedo, Ecclesiam Christi corpus ejus mysticum esse. Concedo hoc mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia offerri Deo in sacrificium. Nego tamen & libera voce nego, sacrificium mysticum, quo seipsam offert Deo in sacrificium Ecclesia, & unicum, & proprium, & verum esse sacrificium Ecclesiæ. Etenim præter hoc my-

mysticum & symbolicum sacrificium est in Ecclesia verum & proprium sacrificium veri corporis, & veri sanguinis Christi Domini, quod a Dei Sacerdotibus ad altare Dei operantibus offertur Deo in pane, & vino Eucharistico. De hac certissima veritate christiana nos certos facit ipsemet Christus Dominus, cujus hæc verba sunt apud Matth. cap. 26. *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*. Item concedo verbis illis Apostoli, *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno corpore participamus*, significari mysticum Christi Domini corpus; sed simul affirmo, proxime præcedentibus Apostoli verbis, quæ Beausobrius malitiose reticuit, significari verum & proprium Christi Domini corpus, verum & proprium Christi Domini sanguinem. Ecce tibi non mancam, non mutilam, sed integram Pauli sententiam. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*. Quibus verbis docet Apostolus, nos omnes participando de pane Eucharistico, qui panis corpus Domini est, panem unum mysticum, & corpus unum mysticum Christi Domini fieri. Item concedo verbis illis Apostoli a Beausobrio citatis ex epistola ad Rom. 12. 1. significari mysticum, & symbolicum sacrificium fidelium; sed præter hoc sacrificium mysticum, aliud sacrificium est in Ecclesia non mysticum, & symbolicum, sed verum & proprium, nimirum sacrificium veri corporis, & veri sanguinis Christi Domini in pane & vino Eucharistico, quod Deo offertur a Dei Sacerdotibus, ad altare Dei nomine Christi operantibus.

Præter sacrificium mysticum, quo Ecclesia offert seipsam Deo, existit apud christianos verum & proprium sacrificium veri corporis, & sanguinis Christi.

XVI. Quod autem pertinet ad Augustinum dico, mendacium esse Beausobrii falso & temere affirmantis, sacrificium illud, quod nec Petro, nec Paulo, nec Cypriano, ut Augustinus inquit, offertur, mysticum dumtaxat, atque symbolicum esse sacrificium. Plurima enim, eaque præclarissima S. Augustini testimonia sunt, de vero & proprio sacrificio veri & proprii cor-

po-

De sacrificio vero & proprio veri & proprii corporis & sanguinis Christi in pane & vino Eucharistico multa atque præclara S. Augustini testimonia.

poris, & sanguinis Christi Domini, quod in Ecclesia Catholica celebratur. Docuit sæpenumero Augustinus in pane & vino Eucharistico verum & proprium corpus, verum & proprium sanguinem Christi Domini contineri. Etenim locis sæpe commemoratis ex Serm. 227., & Serm. 272., qui sunt de Sacramento Altaris, ut scirent novi fideles, quid Christi Ecclesia profiteatur de pane, & vino Eucharistico, & quid deinceps in his ipsi sumpturi erant hæc apertissimis verbis testatur, quibus nihil planius, nihil clarius, nihil evidentius significari poterat: *Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi*. Et rursum Serm. altero: *Quod videtis Panis est, & Calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est Corpus Christi. Calix est sanguis Christi*. Itaque, Augustino teste, Panis Eucharisticus sanctificatus per hoc verbum Dei, *Hoc est corpus meum*, Corpus est Christi: Et vinum Eucharisticum sanctificatum per hoc verbum Dei, *Hic est sanguis meus*, Sanguis est Christi. Profecto nec panis ille, in altari positus ante Neophytorum oculos, erat Ecclesia Dei, mysticum Christi corpus; nec vinum illud Ecclesia Dei erat, mysticus, si licet dicere, Christi sanguis. Atqui tale corpus, talis sanguis, Augustino teste, a Christianis sacrosancta oblatione in sacrificium offertur: *Christiani*, inquit S. Doctor. lib. 20. contra Faust. cap. 18. pag. 245. tom. 8., *peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi*. Dixerat Vincentius Victor, cujus errores Augustinus refellit, pro parvulis ante baptismum mortuis offerendum esse sacrificium corporis Christi. Quem Augustinus redarguens lib. 1. de Anima, & ejus Orig. cap. 9. num. 10. pag. 228. tom. 10. *Quis*, inquit, *offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi?* Qualia profecto membra parvuli illi non sunt, qui decedunt sine baptismo, per quem homines fiunt membra Christi. Jam vero, Augustino auctore, offertur in sa-

ſacrificium corpus Chriſti pro iis qui ſunt membra Chriſti; ſed hæc ſunt myſticum corpus Chriſti; ergo, Auguſtino auctore, offertur in ſacrificium corpus Chriſti pro myſtico corpore Chriſti; ergo, auctore eodem, Corpus Chriſti, quod in ſacrificium offertur pro myſtico corpore Chriſti, non eſt corpus myſticum, ſed verum & proprium Chriſti Domini corpus, ne dicatur, myſticum corpus Chriſti offerri in ſacrificium pro myſtico corpore Chriſti; atque idcirco idem pro eodem, quo nihil dici poteſt abſurdius. Quis ènim dixerit, victimam pro victima, & ſacrificium offerri prò ſacrificio? Præterea Enar. 1. in Pſal. 33. num. 5. pag. 157., & 158. tom. 4. hæc Auguſtinus habet: *Erat autem, ut noſtis, ſacrificium Judæorum antea ſecundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in myſterio: nondum erat ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini, quod fideles norunt qui Evangelium legerunt, quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum*. Item epiſtola 29. ad Alypium num. 4. pag. 37. tom. 2. *Carnalem*, inquit, *populum Judæorum in illo templo, ubi nondum corpus & ſanguis Domini offerebatur, non ſolum vinolenta, ſed nec ſobria quidem unquam celebraſſe convivia*. Docet locis his Auguſtinus, loco pecudum in Eccleſia Judaica, quæ profecto veræ & propriæ pecudes erant, ſucceſſiſſe in Eccleſia Chriſtiana ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti, quod corpus non myſticum, ſed verum corpus Chriſti Domini eſt, ſicut ſanguis ille non myſticus, nullus enim Eccleſiam ſanguinem Chriſti myſticum appellavit, ſed verus & proprius eſt ſanguis Chriſti. Hoc autem ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti diffuſum eſſe toto terrarum orbe Auguſtinus teſtatur; atque idcirco ſacrificium eſſe proprium Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſola toto terrarum orbe diffunditur. Denique lib. 1. contra Creſcon. Donatiſ. cap. 25. num. 30. pag. 274. tom. 9. hæc habet: *Quid de ipſo corpore, & ſanguine Domini, unico ſacrificio pro ſalute noſtra . . . nonne idem Apoſtolus docet, etiam hoc pernicioſum male utentibus fieri? Ait enim, Quicumque manducaverit panem, & bi-*

berit calicem Domini indigne recus erit corporis, & sanguinis Domini. Nullus dixit, Ecclesiam esse sanguinem Christi mysticum. Nullus dixerit, Ecclesiam sacrificium esse, & unicum sacrificium esse pro salute nostra, idest, pro salute Ecclesiæ, cum nos omnes Catholici Ecclesia simus. Concludendum est igitur contra Calviniani hominis cavillationes, hoc unicum sacrificium pro salute nostra, idest, pro salute totius Ecclesiæ, verum & proprium corpus, verum & proprium sanguinem Christi Domini esse.

XVII. Dignum sane animadversione est, Augustinum, cum sæpenumero in suis disputationibus agat de Sacrificio Altaris, deque pane & vino Eucharistico, semper & ubique affirmare, panem illum, & vinum illud corpus & sanguinem esse Christi Domini: Item Ecclesiæ Christianæ sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini sacrificium esse; quin unquam, vel uspiam addat aliquid, quo significetur exclusa realis præsentia corporis, & sanguinis Christi. Profecto si Augustinus in Calviniana sententia fuisset, quod temere & impudenter Beausobrius contendit, semel saltem populum sibi commissum admonuisset de absentia veri corporis, & veri sanguinis Jesu Christi in pane & vino Eucharistico, ne populus præsertim rudis adorando Eucharisticum panem & vinum Idololatra fieret. Sed contra factum ab Augustino est, qui apertis verbis sæpenumero docuit, adorandum esse Eucharisticum panem, & vinum, & quidem cultu latriæ, qui soli Deo debetur. Dicendum igitur Beausobrio erit, nova in Augustinum contumelia, Sanctum Doctorem dedita opera populum sibi commissum in Idololatriam impulisse. Etenim Enar. 1. in Psal. 21. pag. 70. tom. 4. hæc habet: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt*. Et rursum epistola 140. ad Honoratum de Gratia Novi Testamenti cap. 27. num. 66. pag. 339. tom. 2. de superbis divitibus ad Eucharisticam mensam accedentibus cum pauperibus de quibus dictum est,

Eucharisticum panem, in sacrificium oblatum Latriæ cultu adorandum esse Augustinus docuit; quod sine Idololatria fieri non potest, nisi sit corpus Christi.

Edent

Edent pauperes & saturabuntur: contra vero de illis, *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ*, hæc S. Doctor habet: *Et ipsi adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur; quoniam non imitantur*. Et paulo infra, *Et ipsi veniunt ad mensam, manducant & adorant: non tamen saturantur, quia non esuriunt, & sitiunt justitiam: tales enim saturabuntur*. Enar. autem in Psal. 98. num. 9. pag. 799. tom. 4. recitatis illis Deuteronomii verbis 6.13. *Dominum Deum tuum adorabis*, quæ sunt de adorando Deo cultu latriæ, qui soli Deo debetur, hæc docet de adoranda Christi Domini carne in pane Eucharistico: *Ipsam carnem nobis manducandam ad salutem* (Christus) *dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, quam non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*. Perspicuum igitur exploratumque est, in pane & vino Eucharistico, Augustino teste, verum & proprium corpus, verum & proprium sanguinem Christi Domini contineri; atque utrumque in sacrificium Deo Patri, a Dei Sacerdotibus in Ecclesia Catholica offerri.

XIX. Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 678. tom. 2. abutitur his Augustini verbis ex lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. pag. 508. tom. 7. *Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis* (idest Martyribus) *quia hoc sunt & ipsi*. Itaque, auctore Augustino, ideo corpus Christi non martyribus, sed Deo in sacrificium offertur, quia & ipsi Martyres sunt hoc corpus; sed Martyres non sunt nisi corpus Christi mysticum; ergo, Augustino auctore, Ideo corpus Christi non martyribus, sed Deo in sacrificium offertur, quia hoc Christi corpus non est nisi corpus mysticum, repugnat enim corpus Christi mysticum in sacrificium offerri corpori Christi mystico, quale corpus sunt martyres Christi. Abutitur præterea Beausobrius his Augustini verbis ex lib. 10. de Civ. Dei cap. 20. pag. 195. tom. 7. *Cujut rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerri*. His

 autem

autem verbis contendit Beausobrius sacrificium christianorum non esse nisi sacrificium corporis Christi mystici, quale corpus Ecclesia est, quæ seipsam Deo offert per Jesum Christum, quemadmodum seipsum obtulit Jesus Christus. Sacramentum autem quotidianum ab Augustino dicitur hoc sacrificium, quia repræsentatio & figura perpetua est sacrificii Jesu Christi. Hæc versutus homo Beausobrius. Ad hæc respondeo, corpus Christi mysticum, capite constat, & membris. Caput hujus corporis mystici Christus Dominus est. Hujus corporis membra, & beati cives in patria, & peregrini fideles in via sunt. Audiatur S. Doctor epistola 142. ad Saturninum num. 1. pag. 350. tom. 2. *In illa*, inquit, *Ecclesia sumus, quæ propitio Deo, licet usquequaque porrecta, & toto orbe diffusa sit, unum tamen corpus est magnum unius capitis magni, quod caput ejus est ipse Salvator*. Et rursum in Psal. 56. pag. 396. tom. 4. *Totus Christus caput est & corpus. Caput est ipse Salvator noster: corpus autem ejus Ecclesia toto orbe diffusa, ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, & his qui futuri sunt post nos usque in finem sæculi*. Item Serm. 137. in Evang. Jo: num. 1. pag. 462. tom. 5. *Dominus noster Jesus Christus, qui jam pro nobis passus est & resurrexit, caput est Ecclesiæ, & est corpus ejus Ecclesia... Cum ergo sit ille caput Ecclesiæ, & sit corpus ejus Ecclesia, totus Christus & caput & corpus est*. Jam vero martyres, qui regnant cum Christo, quorum caput est Christus, hujus capitis membra sunt. Ecclesia vero militans, quæ est in terris, communicat in sacrificio altaris cum Ecclesia triumphante, quæ in cœlis est; maxime vero cum his martyribus, quorum expressam mentionem facit in sacrificii celebratione. His positis, corpus mysticum, cujus caput est Christus, & cujus membra sunt martyres, non mutilum, non sine capite, sed totum & integrum, in quantum capite constat & membris, Deo in sacrificium offertur. Itaque Augustino auctore, quia martyres corpus mysticum Christi sunt, quorum mysticum caput est Christus, ideo hoc corpus mysticum, quod

Ecclesia tum militans, tum triumphans corpus mysticum Christi est, cujus caput est Christus.

Sacrificium corporis mystici, sacrificium est proprii corporis Christi; quod cor-

quod habet Christum pro capite, & pro membris martyres, martyribus in sacrificium offerri non potest. Nec enim membra membris, multoque minus caput membris potest in sacrificium offerri. Concludendum est igitur, auctore Augustino, verum, & proprium corpus Christi, qui caput mysticum Ecclesiæ est simul cum martyribus mysticis membris suis, Deo in sacrificium offerri. Quod pertinet ad alteram Augustini sententiam, non modo inepte, sed etiam insane a Beausobrio objectam, refero verba ipsa S. Doctoris integra loci commemorati, ubi hæc habet de Christi Domini sacrificio, in quo, ut inquit, *Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio, Cujus rei sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum ... Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* His autem verbis præclarissime significatur sacrificium quotidianum, quod diebus singulis in Ecclesia Catholica celebratur. In hoc enim admirabili sacrificio, ut Augustinus inquit, Christus ipse est & Sacerdos offerens & oblatio, scilicet Sacerdos simul & victima. Hujus autem rei sacramentum, scilicet, mysterium hoc Sacerdotis simul & victimæ, Christus ipse voluit esse quotidianum Ecclesiæ suæ sacrificium, quod diebus singulis in Ecclesia celebratur: Ecclesia autem ad exemplum capitis sui, scilicet Christi, qui offert seipsum Deo in sacrificium, discit seipsam per manus ipsius Deo in sacrificium offerre. Hoc autem sacrificium quod diebus singulis in Ecclesia Catholica celebratur jure optimo dicitur ab Augustino sacrificium summum & verum. Quod enim sacrificium majus, quam sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini? Item, quod sacrificium verius, quam sacrificium illud, in quo, quantum est ex vi & exigentia verborum, ponitur corpus separatum a sanguine, & ponitur sanguis separatus a corpore, in quo statu non potest victima naturaliter vivere? Itaque Augustini sententiæ male a Beausobrio usurpatæ contra Sa-

corpus mysticum constat capite, quod est Christus, & membris, qualia Sancti Martyres sunt.

In sacrificio altaris Christus ex Augustino Sacerdos simul est & victima, qui se Deo offert; ad cujus exemplum Ecclesia per ipsum se Deo offert.

Sacrificium altaris ex Augustino summum & verum est sacrificium.

Sacrificium corporis & ſanguinis Chriſti Domini, quod in Eccleſia Catholica celebratur, tantum abeſt ut ejus temeritati faveant, ut potius mirifice obſint.

XX. Sacrificium igitur chriſtianorum eſt, quemadmodum ſemper fuit, oblatio corporis, & ſanguinis Jeſu Chriſti in pane, & vino Euchariſtico. Contra vero Fauſtus Manichæorum Epiſcopus apud Auguſtinum lib. 20. cap. 4. pag. 267. tom. 8. ſuæ ætatis catholicis exprobrat, quod Paganorum ſacrificia in Agapes verterint: *Sacrificia Paganorum*, inquit, *vertiſtis in Agapes*. Accuſationes Fauſti Beauſobrio non diſplicent, quas expendens lib. 9; Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 3. pag. 633. tom. 2. affirmare audet, Paganiſmum jam dudum ab Auguſtini ætate ſimul cum Paganis in Eccleſiam irrepere cœpiſse; poſtea vero terribilibus incrementis auctum eſse. Ad has Fauſti & Beauſobrii calumnias reſpondeo, A primis chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis celebratæ ſunt Agapes a chriſtianis. Teſtis eſt Apoſtolus 1. Cor. 11. 21. de Dominica cœna ex qua Agapes exortæ ſunt. *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*. Tertullianus II. Sæculi ſcriptor Apologet. cap. 39. pag. 34. his verbis contra Gentilium calumnias defendit atque deſcribit chriſtianas Agapes: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Id vocatur* Ἀγάπη, *quod dilectio penes Græcos. Inopes quoſque refrigerio iſto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes cupiunt. Bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem Deum adorandum ſibi eſſe: Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Ut quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit*. Similia Auguſtinus habet lib. 20. contra Fauſtum cap. 20. pag. 246. tom. 8., ubi, *Agapes*, inquit, *noſtræ pauperes paſcunt, ſive frugibus, ſive carnibus*. Et paulo

Agapes chriſtianæ primis Eccleſiæ ſæculis celebratæ.

infra

infra Fausti calumniam repellens, *Quoniam*, inquit, *plerumque in Agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam christianorum similem dicitis sacrificiis Paganorum*. Neque vero quod ad eam usque ætatem in usu erant apud christianos Agapes, idcirco pro christianis sacrificiis Agapes habendæ sunt. De Christiano enim sacrificio corporis & sanguinis Jesu Christi hæc Augustinus habet, ibidem cap. 8. pag. 245., quæ in christianas Agapes minime cadunt: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosanta oblatione & participatione corporis, & sanguinis Christi. Manichæi vero nescientes quid damnandum sit in sacrificiis gentium, & quid intelligendum in sacrificiis Hebræorum, & quid tenendum, vel observandum in sacrificio christianorum, vanitatem suam sacrum offerunt diabolo.*

Agapes christianæ, christiana sacrificia non erant.

DISSERTATIO XII.

De Beausobriis mendaciis contra cultum, quem Ecclesia catholica sanctis Martyribus adhibet.

I. FAustus Manichæorum Episcopus apud Augustinum lib.20.cap.4. p.237. tom.3. his verbis tanquam de impio & sacrilego martyrum cultu accusat catholicos: *Vertistis Idola in martyres, quos votis similibus colitis. Defunctorum umbras vino placatis & dapibus*. Iniquam Fausti criminationem contra cultum, quem Ecclesia catholica Sanctis Martyribus exhibet, approbat, & ratam habet Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.3. pag.633, tom.2. At vero utriusque calumnias his verbis Augustinus redarguit libro commemorato cap.21. pag.246. quibus pium Martyrum cultum a christiano populo usitatum ab antiquis Manichæorum, novisque Calvinianorum falsis criminationibus vindicat. Audiatur. *Populus christianus memorias Martyrum*

Martyrum cultus, Augustino teste, latriæ cultus non est, quibus non templa, non altaria, non sacerdotes, non sacrificia dicantur, sed soli Deo.

rum religiosa solemnitate concelebrat, ad exitandam imitationem. & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit. Et rursum ibidem pag. 247. *Illo*, inquit, *cultu, qui* Græcæ λατρεία *dicitur, latino uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyrum, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.* Item ibidem: *Hujus sacrificii caro & sanguis per victimarum similitudinem promittebatur ante adventum Christi; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.* Dissimilitudo igitur inter cultum quem Idolis Pagani adhibebant, & cultum illum quem catholici suis Martyribus præstant, maxima sane est, qualem Augustinus præclarissime exhibet.

Inter martyrum cultum apud catholicos, & cultum Idolorum apud Gentiles, Augustino teste, discrimen maximum.

II. Profecto Pagani Idola sua divino latriæ cultu colebant, qui soli debetur divinitati. Putabant enim in Idolis suis Deos, quorum formam & figura simulacra illa præseferebant, habitare: *In Simulacris Dii habitant*, dicebant Gentiles apud Arnobium quondam Gentilem lib. 6. contra Gentes pag. 241. Contra vero Christiani religioso quidem, minime vero divino latriæ cultu, qui soli Deo debetur, Martyres colunt suos. Duo enim insignia, præter templa & Sacerdotes, divini cultus testimonia habemus, nimirum Sacrificia, & Altaria. At nulli Martyrum; Augustino teste, sed soli Deo etsi supra tumulos Martyrum, construuntur Altaria. Nulli quoque Martyrum,

rum, nulli beatæ animæ nullique Angelo ab ullo Antiſtite ad Altare Dei operante, eodem teſte, ſed ſoli Deo ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti offertur. Templa itaque Altaria, Sacerdotes, & Sacrificia, quæ tribus primis Eccleſiæ ſæculis, ut loco ſuo demonſtravimus, apud Chriſtianos fuerunt, ætate quoque Auguſtini, quemadmodum noſtra, fremat per me licet quantum poteſt Beauſobrius, & exiſtunt, & exiſtent, & extiterunt. Placet hic contra Fauſtum hominem Manichæum, & contra Beauſobrium Calvinianum hominem præclariſſimum aliud S. Doctoris teſtimonium depromere ex ſerm.273. num.6.. & 7. pag.773. tom.5, ubi manifeſtum diſcrimen Auguſtinus affert inter Deorum cultum apud Gentiles, & cultum Martyrum apud catholicos, quod eſt hujuſmodi: *Quid vobis dicam de hominibus illis, quos Pagani pro Diis coluerunt, quibus templa, Sacerdotes, Altaria, ſacrificia exhibuerunt Nos Martyres noſtros, quibus illi nulla ex parte ſunt conferendi, pro Diis non habemus, non tanquam Deos colimus: Non eis templa, non eis altaria, non ſacrificia axhibemus. Non eis Sacerdotes offerunt. Abſit Etiam apud memorias Sanctorum Martyrum cum offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres ſancti. Attendite. In recitatione ad Altare Chriſti loco meliore recitantur, non tamen pro Chriſto adorantur. Quando audiſtis dici apud memoriam Sancti Theogenis a me, vel ab aliquo fratre, & collega meo, vel ab aliquo Presbytero, Offero tibi Sancte Theogenis? aut, Offero tibi Petre? aut, Offero tibi Paule? Nunquid audiſtis? Non fit. Non licet.* Diſputatio hæc S. Doctoris de longe diſſimili & diſpari cultu Dei, & ſanctorum Martyrum apud catholicos, Dogmatica tota eſt, quæ cum Fauſto Manichæo Calvinianum Beauſobrium mendacem oſtendit.

III. Ad alteram accuſationem de chriſtianorum conviviis, Gentilium ritu, ad tumulos Martyrum his verbis ſignificatam, *Defunctorum umbras vino placatis, & dapibus*, alia ſunt quæ in conviviis hujuſmodi Auguſtinus non improbat, alia quæ reprehendit, ſed quæ lon-

Ad martyrum tumulos ſynaxes epulares de ſe honeſtæ, ebrioſorum abuſu turpes.

longe distant ab Idolorum cultu apud Paganos, *Qui se* inquit ibidem cap.21. pag.247., *in memoriis Martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt, cum eos, etiamsi in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur; & donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. Verumtamen & in hoc ipso distant plurimum culpæ vinolentorum, & sacrilegorum. Longe quippe minoris peccati est, ebrium redire a Martyribus, quam vel jejunum sacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi; non dixi sacrificare Deo in memoriis Martyrum, quod frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari novi testamenti manifestatione præcipit: quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, & uni Deo debetur.* Invaluerat præsertim in Africa consuetudo celebrandi in solemnitatibus Martyrum, atque ad eorum tumulos honesta convivia quibus pascendos pauperes invitare solebant. Consuetudinis hujus origo, Augustino teste, perindulgens ea ætate caritas Ecclesiæ fuit, quæ, ut faciliorem viam veniendi ad Ecclesiam aperiret Gentilibus, indulgebat novis christianis, ut ea ipsa convivia diebus festis Sanctorum Martyrum ad eorum tumulos celebrarent, quæ antea diebus festis falsorum Numinum apud Idola sua celebrare solebant. Sed audiatur S. Doctor de hujusmodi consuetudine, quæ ineunte Ecclesiæ sæculo v., Africanam præsertim Ecclesiam, de consilio Afrorum Episcoporum obtinuit. Talia Augustinus narrat epistol.29. ad Alypium num.9. pag.39. tom.2., cujus hæc verba sunt: *Post persecutiones tam multas, tamque vehementes, cum facta pace turbæ Gentilium in christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum Idolis suis solerent in abundantia epularum & ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis & tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos, post eos quos relinquebant, alios* in

Ad Martyrum tumulos Patres nonnulli epulares Synaxes Gentilibus ad Ecclesiam venientibus indulserunt.

in honorem sanctorum Martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarentur. S. Gregorius Thaumaturgus, teste S. Gregorio Nysseno ejus vitæ scriptore, primis Neocæsaræ christianis, quod cum Gentiles essent apud Idola sua opiparis mensis accumbebant, ad eorum conversionem promovendam, indulsit, ut diebus festis sanctorum Martyrum religiosis in Ecclesia conviviis se exilararent. Gregorius Magnus, qui exeunte sæculo VI. præfuit Ecclesiæ, Mellito Abbati in Britaniam tunc Gentilem proficiscenti præcipit, ut indulgeat Gentilibus ad Ecclesiam venientibus religiosa convivia apud Sanctos Martyres, conviviorum loco quæ celebrabant cum Gentiles essent in sacrificiis falsorum Numinum. Hæc ille lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem, *Quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut in die dedicationis, vel natalitiis Sanctorum Martyrum . . . religiosis conviviis solemnitatem celebrent ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant*. Laudat Pammachium Nolanus Paulinus in epistola ad eum scripta apud Paulin. Illustrat. pag. 29. & 30., quod Pammachius in funere uxoris suæ Paulinæ anno 397. ad opipare paratum convivium in basilica S. Petri pauperes invitaverit.

A Martyrum tumulis, & solemnitatibus epulares synaxes propter abusus sublatæ.

IV. Verum hæc consuetudo specie quidem honesta, sed reipsa admodum periculosa, cum paulatim in crapulas & ebrietates deflexisset, sicut nocturnæ Agapes, ita diurnæ epulares synaxes prorsus sublatæ sunt. Sanctus quidem Ambrosius, Augustino teste lib. 6. Confes. cap. 2. num. 2. tom. 1. Synaxes hujusmodi ad martyrum tumulos ne fierent hac de causa ab Ecclesia Mediolanensi prohibuit, *Ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni Gentilium essent simillima*. Mirum quanto labore contenderit Augustinus, ut ex Africa extirparetur talis consuetudo. Cum esset adhuc presbyiter vehementem ad Aurelium Carthaginensem hac de re dedit epistolam, quæ est XXII., in qua num. 3. pag. 21., hæc sunt, quæ deplorat, *Commessationes, & ebrietates ita concessæ &*

licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solemnes sed etiam quotidie celebrentur. Epistola vero 29. ad Alypium Thagastensem Episcopum narrat verba a se habita ad populum Hipponensem, qua cohortatione sua perfecit, ut Hipponensis populus a perniciosa consuetudine illa prorsus cessaret. Præclara sunt hujus epistolæ verba illa num.4. pag.37. quibus commemoratur sacrificium corporis & sanguinis Jesu Christi, quod in christianis templis offertur. *Adjunxi*, inquit, *deinde, ipsum adhuc carnalem populum Judæorum in illo templo, ubi nondum corpus & sanguis Domini offerebatur, non solum vinolenta, sed ne sobria quidem unquam celebrasse convivia*, Tandem Augustini opera in Hipponensi Concilio, celebrato anno 393., conditus est Canon ille, qui deinceps inter Canones Concilii Carthigianensis III. receptus est. *Ut nulli Episcopi, vel Clerici in Ecclesia conviventur Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, probibeantur*.

Ad martyrum tumulos, catholicos vino & dapibus voluisse umbras defunctorum placare, Fausti, & Beausobrii calumnia est.

V. Catholicos ætate Augustini ad Paganorum exemplum, defunctorum umbras vino placare atque dapibus, quod eis exprobrat Faustus, se demonstrare existimat Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.5. pag.683, & 684. tom.2. auctoritate Ambrosii, qui libro de Elia & Jejunio cap.17. hæc habet: *Sicut illi, qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri non posse credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium esse putant, qui existimant, illos ebrietate placare, qui jejunio passionem sustinere didicerunt*. Ad hæc dico, Faustus iniquus catholicorum accusator est, ut ejus adjutor & collega Beausobrius. Catholicos ætate Augustini vinum & dapes ad martyrum tumulos attulisse, ut ritu gentilium defunctorum umbras placarent, Fausti & Beausobrii manifesta calumnia est. Neque vero Ambrosius, loco malitiose, & inepte a Beausobrio producto, reprehendit ebriosos illos christianos, quòd vino & dapibus defunctorum umbras se placaturos putarent, quemadmodum Gentiles, qui mæstas umbras cir-

circa defunctorum tumulos oberrantes, libato vino, appositisque dapibus a mæstitia ad jucunditatem se revocare existimabant. Ebrietatem ad martyrum tumulos in eis reprehendit Ambrosius, a qua quo magis eos deterreat, ita se gerere affirmat, perinde ac si putarent, se vino madidos a sanctis martyribus exauditum iri, seque inebriando placatos sibi martyres, atque propitios futuros. Quamquam epulares illæ synaxes ad martyrum tumulos non omnium catholicorum erant, sed paucorum: nec Afrorum omnium, nec sapientiorum, sed vel simplicium & rudium, vel minus religiosorum: hique non defunctorum umbras, ut Faustus calumniatur & Beausobrius, se placare credebant, sed per merita martyrum cibos illos sibi a Deo benedici sperabant, quibus & ipsi, & secum pauperes reficerent. Testis est Augustinus lib.8. de Civ. Dei cap.27. num.1. pag.166. tom.7, cujus hæc verba sunt: *Quicumqae epulas suas eò deferunt* (ad tumulos martyrum) *quod quidem a christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla est talis consuetudo, tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari eas sibi volunt per merita martyrum, in nomine Domini martyrum*. Hanc consuetudinem secum ex Africa Monnica Augustini mater filium secuta Mediolanum detulit, non quidem defunctorum umbras placandi causa; sed honorandi memorias martyrum, & indigentibus largiendi studio. De qua Augustinus lib.6. Confes. cap.2. num.1. pag.86, & 87. tom.1. hæc litteris commendavit: *Cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc episcopum* (Ambrosium) *vetuisse cognovit, pie atque obedienter amplexa est.... Illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis, atque largiendis, plusquam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat, quod cum suis præsentibus per sorbitiones*

exi-

exiguas partiretur, quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

VI. Irridet Augustinum Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat.Manich. cap.5. pag.684, & 685.tom.2, quòd lib.8. de Civ. Dei cap.27. dixerit, *Quicumque epulas suas ad martyrum tumulos deferunt, sanctificari sibi eas volunt per merita martyrum*. Modum hunc santificandi alimenta, tanquam non minus novum quam peregrinum, exsibilat Beausobrius; neque in eo ullum habere locum merita martyrum, quorum meritis se consociare velle christianum populum non est, nisi martyres imitari, quod Augustinus dixit lib.20. contra Faustum cap.21. pag.246. Nisi arbitremur, inquit, significare Augustinum voluisse, virtutem quamdam santificantem, & cineribus martyrum inhærentem, efflari ex solidis eorum tumulis adfæcundandum vinum, impositasque tumulis epulas, & ad santificandos, qui alimentis talibus vescerentur, quemadmodum, Augustino auctore, flores reliquiis S. Stephani applicati curationes morborum, quæ vires naturæ superant, attulerunt. Hæc insulsus, temerarius, & impius Sannio, atque scurra Beausobrius. Jam vero verba illa Augustini, *Quicumque epulas suas ad martyrum tumulos deferunt, santificari sibi eas volunt per merita martyrum*, nihil aliud significant, nisi christianos illos velle & orare, ut Deus per merita martyrum dignetur alimenta illa tumulis eorum imposita benedicere, ut ad salutem animæ & corporis sibi prosint. Quid novi, præter temeritatem suam, quid peregrini, quid insolentis, quid superstitiosi, videt in his Beausobrius? Profecto in lege veteri panis impositus supra mensam propositionis santificatus dicitur, idest, a Deo benedictus. De quo a sacerdote Achimelech David, ejusque esurientibus sociis subministrato dicitur lib.1. Reg. cap.21. 6. *Dedit ei sacerdos santificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi*. Quare igitur superstitiosum est, si panis impositus supra tumulos martyrum, in quibus exstruebantur altaria, per merita martyrum santi-

Martyrum tumulis christiani quidam epulas imponebant, ut eas Deus per merita martyrum benediceret.

fantificatus, nimirum a Deo benedictus censeatur? At, inquit, nihil ad hanc fantificationem conferre poterant merita martyrum, quorum non manebat, nisi memoria, atque idcirco merita illa dapes super tumulos eorum impositas fantificare non poterant. Ad hæc dico, non merita martyrum, sed Deus propter martyrum merita fantificabat dapes supra martyrum tumulos positas. Memoria meritorum martyrum multo magis apud Deum, quam apud homines manet; quæ merita obsequia sunt Deo præstita, quæ possunt movere Deum ad retributionem, in beneficium etiam eorum, qui martyres venerantur, quique per merita martyrum sibi, alimentisque suis Dei benedictionem implorant. Consociare autem se meritis sanctorum martyrum, ut Augustinus loquitur, perinde se habet ac imitando virtutes, maxime vero patientiam sanctorum martyrum, ea sibi merita comparare, quæ sibi martyres compararunt. Perquam autem impiæ, & exsecrabiles Beausobrii scurrilitates sunt, quæ de fantificandi virtute e cineribus sanctorum martyrum per solida tumulorum latera vaporis instar evolante, impositasque dapes foecundante, & de floribus reliquiis S. Stephani admotis ridendus irridet. Contactum fimbriæ vestimentorum Christi, umbram prætereuntis Petri, admota ægris Pauli sudaria multa & insignia miracula sunt consecuta. Audeat nunc scurra sacrilegus, & dicat, ex corpore Christi Domini, ex Petri & Pauli corpore virtutem miraculorum vaporis instar erupisse, & fimbriam Christi, & umbram Petri, & Pauli sudaria foecundasse, ut miracula tanquam fætus effunderent, cum ceteris suis insulsis, temerariis, atque sacrilegis scurrilitatibus.

Martyrum merita, multum apud Deum pro nostra salute valent.

De martyrum miraculis ad eorum tumulos patratis Beausobrii scurrilitates exploduntur.

VII. Gentiles usus fuisse pulte ad nutriendos Deos Manes, ideft, animas mortuorum Beausobrius refert lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 685, & 686. tom. 2, quod Tertulliani auctoritate confirmat, qui libro de Spectaculis & meminit pultis pridianæ & parentalium. Cum autem ab Augustino dicatur mater ejus Monnica pultem ad Martyrum tumulos adferre solita, verisimile est eam, aliosque illius ætatis christia-

ſtianos ad Martyrum tumulos attuliſſe pultes, ut animas defunctorum ritu gentilium nutrirent, & parentalia cum eis celebrarent. Ad hæc reſpondeo, Non ignoramus Gentiles nutriendis, non modo Manibus, ſeu defunctorum umbris; ſed ſuis etiam majoribus diis & pultes, & dapes exquiſitiſſimas appoſuiſſe. De pultibus hæc Tertullianus habet lib. de Spectaculis, a quibus ætatis ſuæ chriſtianos conatur avertere cap.12. pag.78. *Pultes pridianæ ſine pompa diaboli, ſine invitatione dæmonum non ſunt*. Epulas Jovi, ceteriſque Diis a Pontificibus primum, deinde ab epulonibus paratas fuiſſe, quibus Dii nutrirentur, quæ ſacrificia epularia appellata ſunt, teſtis eſt Tullius lib. 3. de Oratore cap.19. pag.366, & 367. Cum enim Pontifices, quorum erat lege Numæ Pompilii Romanorum regis, epulas parare Jovi, ceteriſque Diis, tot inſtruere menſas propter multitudinem ſacrificiorum ſatis non eſſent, triumviri primum, mox ſeptemviri epulones creati ſunt, quibus ſacrificiorum epularium cura demandata eſt. De triumviris epulonibus audiatur Cicero loco ſupra commemorato: *Pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti*. Ridet & merito ridet Arnobius lib.7. adverſus Gentes pag.172. Gentilium hæc ſacrificia epularia: *In hoc*, inquit, *diutius loco huic cauſæ vel maxime neceſſario immoramur, inſiſtimus, inhæremus, cupientes addiſcere quid cum pultibus Deo ſit, quid cum libis, quid diverſis cum farribus, confectionis jure multiplici, atque impenſarum varietate conditis? Opiparis Numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, ut innumeras conveniat excogitare his dapes? Averſionibus ſthomacorum laboraut, & ad expellenda faſtidia ſaporum varietas quæritur*. Et rurſum ibidem pag. 280. *Jovis epulum cras eſt, Jupiter enim cœnat, magniſque implendus eſt dapibus, jamdudum inedia geſtiens, & anniverſaria interjectione jejunus*.

Sacrificia gentilium epularia, epulones, parentalia quæ, & quaiia.

VIII. Quod ad parentalia pertinet, de quibus Tertullianus lib. de Spectaculis cap.12. male a Beauſobrio cita-

citatus agit, hæc non epularum, mortuorum umbras nutriendi causa, sed profusi ad defunctorum tumulos humani sanguinis sacrificia erant, quibus propitios atque placatos sibi Manes futuros Gentiles putabant. Hæc enim eo loco Tertullianus habet: *Quoniam animas defunctorum humano sanguine tanquam propitiari creditum est, captivos vel mali status servos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem* (gladiatoria) *voluptate temperare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos* (scilicet gladiatores) *tantum ut occidi discerent, mox adjecto die Inferiarum ad tumulos erogabant. Ita mortem homicidiis consolabantur... Quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur. Quæ species proinde Idololatriæ est, quoniam & Idololatria parentationis est species. Tam hæc, quam illa mortuis ministrat.* Quod autem Monnica, aliique illius ætatis christiani pultes ad martyrum tumulos attulerint, ut animas defunctorum ritu gentilium nutrirent, & parentalia cum his peragerent, exploratissimum est Beausobrii mendacium. Veteres quidam Africani episcopi, Sanctus Gregorius Thaumaturgus, Sanctus Gregorius Magnus, ut narratum est num. III., Gentilibus ad Ecclesiam venientibus indulserunt, ut repudiatis epulis ad Idolorum aras, festis diebus Sanctorum Martyrum ad eorum tumulos christianæ se jucunditati darent, modicis poculis, moderatisque dapibus; quo faciliorem eis aperirent viam veniendi ad Ecclesiam. Nunquam vero commemoratis Patribus in mentem venit, ut novi christiani dapes ad martyrum tumulos afferendo, his animas defunctorum nutrirent, & exsecranda cum Gentilibus agerent parentalia. Probare quidem Augustinus non potuit synaxes has epulares ad Martyrum tumulos, quæ magnopere, ut tollerentur, curavit, non quòd parentalia gentilium essent, sed propter ebrietates & crapulas, in quas sæpenumero desinebant. Ambrosius autem dapes ad martyrum tumulos prohibuit, *Ne ulla occasio*, ut Augustinus refert, *se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima*. Profecto si

Synaxes epulares Christianorum ad Martyrum tumulos parentalia gentilium non erant.

christiani attulissent pultes ad martyrum tumulos, ut his animas defunctorum nutrirent, non quasi parentalia superstitionis gentilium simillima dixisset, sed tanquam vera & propria gentilium parentalia majoribus exsecrationibus interdixisset Ambrosius.

Martyrum tumulis dapes impositas virtutem santificandi induere non error veterum christianorum, sed nova est Beausobrii calumnia.

IX. Christianos Augustini ætate in ea superstitione fuisse, qua putabant, oblationes positas supra tumulos martyrum vim quamdam sanctificantem contrahere, vel saltem intercessione martyrum, his cibis utendo, se gratiam admodum abundantem obtinere ex productis Augustini verbis de matris suæ Monnicæ oblationibus contendit Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 686., & 687. tom. 2. At hæc mera Beausobrii calumnia est. Narrat quidem Augustinus lib. 6. Confess. cap. 2. pag. 87. tom. 1., Monnicam matrem suam consuevisse vini poculum supra martyrum tumulos ponere, *Unde*, ut inquit, *dignationem sumeret*. Idest, unde vini sorbillum, quod Deus benedicere dignatus esset, sumeret. Jam vero hæc *dignatio*, Beausobrio maledico & temerario interprete, gratia sanctificans est, ab eo vino ebibita, quod supra tumulos martyrum fuerat impositum. Fateor Augustinum, quamquam non hoc loco, sed lib. 8. de Civ. Dei cap. 27. tom. 7. dixisse, Cibos impositos tumulis martyrum sanctificari. At hæc santificantis gratiæ sanctificatio non est, sed Dei benedictio, qua tales cibi benedicuntur a Deo. Jam vero de multiplici sanctificationum genere Augustinus ipse audiatur lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 26. num. 42. pag. 42. tom. 10., cujus hæc verba sunt: *Non unius modi est sanctificatio: nam & cathecumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem, & manus impositionem puto sanctificari: & quod accipiunt*, (salem) *quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam* (cathecumenorum) *Sacramentum est. Verum & ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit per verbum Dei & orationem, qua oramus, utique nostra*

cor-

corpuscula refecturi ... Et conjuges infideles in conjugibus fidelibus santificari dicit eo ipso loco ita loquens (1. Cor. 7. 14.) *Santificatur enim vir infidelis in uxore, & sanctificatur mulier infidelis in fratre*. Arbitror Beausobrium Eulogias non improbare, quarum peranti-quus fuit usus, qui adhuc servatur in orientali Ecclesia. Eulogiæ enim panis reliquiæ sunt, quæ supersunt ex pane in sacrificium oblato. Eulogiam Græci appellant, quæ vox benedictionem latine sonat: item Antidoron, quia loco doni Eucharistici iis distribui olim solebat, qui aliqua de causa impediti ab Eucharistia abstinebant. De Eulogia, seu Antidoro his verbis Codinus loquitur lib. de Offic. Aulæ Constantinop. cap. 17. *Finita Liturgia, & pane SANTIFICATO, quod Antidoron nominamus, populo distributo*. Hæc panis santificatio, de qua Codinus, non est nisi benedictio, unde Eulogia Græce est nominata. Itaque dignatio illa, illa apud Augustinum sanctificatio ciborum, qui tumulis martyrum imponebantur, aliud quidpiam non erat, nisi Dei benedictio, qua Deus per merita martyrum alimenta illa ad salutem animæ & corporis benedicere dignabatur. Hac autem consuetudine illius ætatis christiani non superstitiose, non impie, sed pie judicabant se martyres honorare, Deum exorantes, ut per merita sanctorum martyrum sibi alimenta illa benedicere dignaretur.

Eulogiæ orientalis Ecclesiæ quæ, & quales sint.

X. Novis semper mendaciis, atque calumniis Beausobrius indulget. Etenim lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 687. tom. 2. effrænatas catholicorum libidines in sacris conviviis, & in ipsis templis Augustini ætate affirmat, atque reprehendit. At vero quas effranatas cujusque generis catholicorum libidines affirmat, dicere debebat crapulas, dumtaxat & ebrietates, easque non catholicorum omnium, sed quorumdam dumtaxat Afrorum, quos Augustinus reprehendit. Præterea ebrietatum hujusmodi defensionem inique Augustino Beausobrius attribuit, quam defensionem in ipsis S. Doctoris verbis, quæ tamen depravat, nosque restauramus, apparere confirmat. Testa-

Synaxes epulares ad tumulos martyrum, Episcoporum disciplina, Augustini sententiæ multis mendaciis, & calumniis a Beausobrio notantur.

ſtatur eo loco Auguſtinus, ideſt, lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. pag. 247. tom. 8., ſe condemnare ebrietates in privatis domibus, atque idcirco, multoque magis eas ſe in ſacris templis probare non poſſe. Teſtatur ſe ſobrietatem docere, ſe ſobrietatem præcipere. Teſtatur ſe curare, ut mala illa conſuetudo tollatut, quam, *Donec emendemus*, inquit, *tolerare compellimur*. Hæc Auguſtini verba, *Donec emendemus* fraudolenter Beauſobrius ſupprimit, & occultat, ut ſuadeat, Auguſtinum ebrietatum defenſionem ſuſcepiſſe. Quantum Auguſtinus allaboraverit ad tollendam ex Africa pravam illam quorumdam conſuetudinem patet tum ex graviſſima ejus epiſtola 22. hac de re ad Aurelium Carthaginenſem data, tum ex ejus epiſtola 29. ad Alypium Thagaſtenſem, tum ex Canone Hipponenſis Concilii, cui S. Doctor præfuit anno 393., & cujus opera inter Canones Concilii Carthagiuenſis III. receptus eſt, quorum monumenta dedi numero IV. Jam vero ſuntne hæc hominis ſuſcipientis defenſionem ebrietatum, quæ in ſacris conviviis & templis ab ebrioſis quibuſdam exercebantur? Eſtne hæc intolerabilis Epiſcoporum indulgentia erga populos, ut loco commemorato calumniatur Beauoſbrius, quandoquidem Afri Epiſcopi, quantum fieri poterat, a conviviis illis populos ſibi commiſſos deterrebant? Tandem Beauſobrius ex his Auguſtini verbis, *Longe minoris peccati eſt ebrium redire a martyribus, quam vel jejunum ſacrificare martyribus*, contendit Sanctum Doctorem ab omni religioſo creaturarum cultu, atque idcirco a martyrum cultu, maxime abhorruiſſe; quoniam apud S. Doctorem quilibet religioſus creaturarum cultus ſcelus eſt longe majus quam ebrietas, quamvis in ipſis Eccleſiis. Tales ineptas interpretationes Calvinianis ſuis non nobis venditet Beauſobrius. Sacrificium Dei cultus eſt, & quidem omnium maximus, & præſtantiſſimus, *qui Latria dicitur, & ſoli Deo debetur*, ut inquit objecto loco Auguſtinus. Itaque, auctore Auguſtino, non quilibet religioſus cultus creaturis exhibitus, ut contendit Beauſobrius, ſed ſacrificium,

cium, quod est divinus Latriæ cultus, & soli Deo debetur, majus crimen est, si martyribus offeratur, quam in ipsis etiam Ecclesiis ebrietas. *Sacrificare martyribus dixi*, pergit ibi Augustinus, *non dixi sacrificari Deo in memoriis martyrum, quod frequentissime facimus.*

XI. Ingenita sibi ferocitate invehitur Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 670. tom. 2. contra cultum ab Ecclesia IV., & V. Sæculi sanctis martyribus, eorumque reliquiis adhibitum: quod cultus illæ superstitiosus fuerit, & paganismum restauraverit: quod Patres illius ætatis cineribus martyrum virtutem miraculorum tribuerint: quod commentitia miracula martyrum falsis historiolis, quales sunt de miraculis Parisii Diaconi Janseniani, evulgaverint, suisque populis in Ecclesia legerint, cujus consuetudinis auctor Augustinus, in cujus Ecclesia, tanquam Apostolorum Acta, ficta & commentitia miracula martyrum legebantur: quod docuerint invocandos martyres, sicut pagani heroas suos, & dæmones invocabant. Ad singulas hominis impudentis & temerarii calumnias respondeo, Cultus ab Ecclesia IV., & V. Sæculi, quemadmodum a nostræ ætatis catholica Ecclesia, martyribus eorumque reliquiis adhibitus, nec superstitiosus est, nec cultui similis, quem Idololatræ diis, heroibusque suis exhibuerunt. Neque vero Catholica Ecclesia sanctis martyribus, eorumque reliquiis templa dedicat, altaria consecrat, sacrificia offert, Sacerdotes initiat, vina libat, thura tanquam Diis adolet, ut diis, heroibusque suis Idololatræ, sed quæ cultus divini sunt soli Deo exhibet. Nec cineribus martyrum, quos ut decet pie veneratur, virtutem miraculorum attribuit, sed soli Deo, qui ad preces sanctorum martyrum, non naturalia modo, sed beneficia etiam quæ superant naturæ vires nobis largitur. Hæc autem non ficta, nec commentitia, sed certa atque explorata miracula sunt, certissimis argumentis, & testibus fide dignissimis, expensa, discussa, & comprobata. Libelli autem de miraculis patrocinio sanctorum martyrum a Deo impetratis, quos scurra Beausobrius, tanquam

Martyrum cultus ab Ecclesia IV., & V. Sæculi exhibitus longe dissimilis ab eo quem Diis suis Pagani exhibebant.

Martyrum cineribus miraculorum virtutem nunquam attribuit Ecclesia, sed soli Deo, martyribus impetrantibus.

Martyrum precibus miraculis comprobatis non divinam, sed humanam tantum adhibet Ecclesia fidem.

quam fabellas de miraculis Parisii Diaconi Janseniani, ridendus irridet, non modo in Ecclesia Hipponensi, sed in ceteris etiam Ecclesiis, ea ætate, ad augendam populi fidem atque pietatem, legebantur: non quidem tanquam Apostolorum Acta, ut homo impudens calumniatur, quibus divina debetur fides; sed tanquam acta hominum probatissimorum, quæ non aliam fidem exigunt præter humanam. Quod ad Sanctorum martyrum invocationem pertinet, certum est, eos esse Deo caros, intimos, familiares, amicos, quos non ut Deos, sed tanquam patronos, advocatos, & suffragatores nostros apud Deum invocamus, qui curam habent suorum clientum, pro quibus obsecrant, nostrasque postulationes Deo offerunt. Vidit Joannes in Apocalypsi cap. 5. 8. *Viginti quatuor seniores habentes phialas aureas, plenas adoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, quas Deo offerebant. Petrus certior a Deo factus de morte sibi impendente, assidue se oraturum promittit post obitum suum pro discipulis suis 1. Pet. cap. 1. 15. *Dabo*, inquit, *operam, & frequenter haberc vos post obitum meum, ut memoriam horum faciatis*. Judas Machabæus 2. Machab. cap. 15. vidit, *Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, orarc pro omni populo Judæorum*, a quo de Jeremia audivit, *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei*.

Martyres in cœlo regnantes ritè ab Ecclesia invocantur.

XII. Pergit Beausobrius eodem loco mendaciis, calumniis, & contumeliis contra Sanctos Patres. Affirmat Augustinum, aliosque Patres nunquam voluisse in religionem christianam introducere religiosum martyrum cultum; sed solum ad religionem christianam paganos adducere voluisse compendiaria miraculorum via, quæ martyribus tribuebant. Hac de causa per quam faciles fuerunt in admittendis & promulgandis tot visis, falsisque prodigiis. Hinc Idololatria, & superstitio, quæ timere debebant, nihil eos commoverunt: putantes se ab his malis liberare Ecclesiam quibusdam adhibitis distinctionibus divini cultus latriæ, & cul-

cultus houoris exhibendi martyribus, non tanquam diis, ſed tanquam divinis hominibus. Profecto ſemper illis horrori fuit omnis religioſus creaturarum cultus. Sancti Auguſtini verba in ſuo de vera religione libro cap.55. pag. num. 108. pag.587. tom. 1. id aperte demonſtrant. *Non ſit*, inquit, *nobis religio cultus hominum mortuorum: quia ſi pie vixerint, non ſic habentur, ut tales quærant honores; ſed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Hactenus Beauſobrius. Jam vero vides impium & exſecrabile facinus a Beauſobrio homine temerario Auguſtino aliiſque Sanctis Patribus attributum. Ergone Auguſtinus aliique Patres falſa miracula, & falſa viſa divinitus facta promulgarunt in vulgus, ut hac non compendiaria via, ſed compendiaria impietate Paganos ad chriſtianam religionem allicerent? Quo quid impius, quid exſecrabilius excogitari poteſt. Caditne in ſanctiſſimos, ſapientiſſimoſque Patres in rebus ad religionem pertinentiqus mentiri, decipere, fallere, circumvenire infideles, & juſtiſſimis deceptorum infidelium vituperationibus religionem chriſtianam veritatis magiſtram atque ſinceritatis ſubjicere? Quod autem Patribus horrori fuerit religioſus omnis, ideſt, pius omnis ſanctorum martyrum cultus, dicitur quidem a Beauſobrio, ſed temere dicitur. Neque id ſuadet auctoritas Auguſtini, quam improbe affert. Reprobat quidem Auguſtinus illum martyrum cultum, qui ſoli Deo debetur, minime verum cultum inferioris gradus & ordinis; quandoquidem aperte affirmat, Martyres honorandos eſſe propter imitationem, quos revera imitando honoramus, & eo quidem honore quo maxime delectantur, quoties ad honorem ſanctorum martyrum virtutes eorum imitamur: non autem adorandos eſſe propter religionem. Religio enim, quæ cultus Dei definitur ab Auguſtino, martyres adorandos prohibet; quoniam ſoli Deo adoratio debetur, dicente Chriſto Domino apud Matth. 4 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: Et pro-

Martyrum falſa miracula Patres promulgaſſe atrox Beauſobrii calumnia eſt.

Martyrum cultum, quj latriæ dicitur, reprobat Auguſtinus, minime vero cultum inferioris ordinis, qui duliæ appellatur,

prohibente Angelo, ne se, sed solum Deum, adoraret Joannes Apoc. 22. 8. verbis his, *Vide ne feceris: Deum adora*. Quod autem religio cultus Dei definiatur ab Augustino colligitur ex illis S. Doctoris verbis lib. 10. de Civ. Dei cap. 1. num. 3. pag. 182. tom. 7:, ubi de cultu illo, qui soli Deo debetur. hæc habet; *Quæ itaque* λατρεὶα *græce nuncupatur, & latine interpretatur servitus, sed ea qua colimus Deum; vel quæ* θρησκεὶα *græcè, latinè autem religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum: vel quam illi* θεοσέβειαν *appellant, nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare; hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus*. Itaque apud Augustinum hæc quatuor nomina, Latria, Threschia, Theosebia, Religio idem omnino significant, nimirum singularem & propriam Dei servitutem, singularem & proprium Dei cultum, qui soli Deo debetur. Itaque verba illa Augustini, *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum*, perinde se habent ac verba ista, *Cultus hominum mortuorum non sit nobis primarius ille & singularis Dei cultus, qui soli Deo debetur*. Actiones propriæ hujus divini cultus, quæ soli Deo debentur sunt Augustino auctore adoratio, templorum dedicatio, constructio altarium, sacrificiorum oblatio, sacerdotum initiatio, & rei cujuslibet consecratio, quæ nec Sanctis Martyribus, nec Sanctis Angelis exhiberi possunt. Proposita enim hac quæstione ibidem num. 1. *Utrum etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat* (Angelis) *ut eis sacra faciamus, & sacrificemus, vel aliqua nostra, seu nos ipsos religionis ritibus consecremus?* continuo num. 2. respondet, *Hic est divinitati, vel si expressius dicendum est, deitati debitus cultus*. Ex his autem habes, distinctiones illas, quas Beausobrius temere reprehendit, cultus latriæ, & inferioris gradus & ordinis, qui duliæ dicitur, antiquissimas esse, quas a Patribus Græcis, qui multis sæculis nos præcesserunt, accepimus.

Martyribus exhiberi religionem illam Augustinus vetat, quæ proprius & singularis est cultus Dei.

XIII. Ut Sanctorum Martyrum, eorumque reliquiarum cultum explodat Beausobrius lib. 9. Histor. Dog-

Dogmat. Manich. cap.5. pag.671. tom.2. nos fraudolenter ad Patres illos revocat: qui primis tribus admodum obscuris Ecclesiæ sæculis floruerunt, quorum in tanta Ecclesiæ perturbatione, sævientibus contra christianos persecutionibus, perpauca extant monumenta mandata litteris. Nihilotamen minus his incommodis non perturbor, & conditionem etsi minus æquam accipio, & intra peranguftos adolescentis Ecclesiæ terminos me contineo. Jam vero de Cathedra, quam insederat Jacobus Apostolus, Eusebius scriptor sæculi IV. lib.7. Histor.Eccles. cap.19. hæc posteritati mandavit: *Jacobi illius cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Salvatore, & ab Apostolis est constitutus, & quem fratrem Domini cognominatum fuisse divina testantur volumina, ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia; satis superque declarantes qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur.* De ossibus Sancti Polycarpi Martyris, qui floruit ineunte sæculo II. Ecclesia Smirnensis apud Eusebium lib.4. Hictor.Eccl. cap.15.pag.146. edit. Vales. hæc posteritati mandavit; *Nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare.* Pontius S. Cypriani Diaconus, de quo Hieronymus lib. de Viris Illustr. cap.68. *Pontius Diaconus Cypriani usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens egregium volumen vitæ & passionis Cypriani reliquit*, Pontius, inquam, in vita S. Cypriani apud Pamelium scribit, quemdam christianum tesserarium omnem dedisse operam, ut sibi daretur copia commutandi vestes suas cum vestibus Sancti Cypriani: *Qui nihil aliud*, inquit Pontius, *ambiebat in rebus oblatis quam ut proficiscientis ad Deum Martyris sudores jam sanguineos possideret.* S. Optatus Milevitanus lib.1. contra Parmenianum pag.18. hæc narrat de origine Schismatis

Martyrum cultum, ut explodat Beausobrius ad Patres frustra & malitiose nos revocat, qui primis tribus Ecclesiæ sæculis floruerunt.

De Martyrum, eorumque reliquiarum cultu primis tribus Ecclesiæ sæculis testimonia certissima producuntur.

 smatis

ſmatis Donatiani : *Hoc apud Carthaginem poſt ordinationem Cæciliani factum eſſe Schiſma nemo eſt qui neſciat per Lucillam ſcilicet neſcio quam fœminam factioſam, quæ ante concuſſam perſecutionum turbinibus pacem, cum adhuc in tranquillo eſſet Eccleſia, cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritalem cibum & potum os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur; & cum præponeret calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed nec dum vindicati, cum confuſione irata diſceſſit. Iranſcenti & dolenti, ne diſciplinæ ſuccumberet, occurit ſubito perſecutionis enata tempeſtas.* Hæc autem contigerunt vel exeunte ſæculo III. vel ineunte IV. Ex his autem apparet conſuetudo apud Chriſtianos ſæculi III. oſſa Martyrum religioſe apud ſe cuſtodiendi, & religioſe deoſculandi. Quem cultum cum Lucilla intempeſtive præſtaret oſſi incerti Martyris, vel nondum Martyris declarati, ideo animadverſum in eam a Cæciliano eſt.

XIV. Ut autem gradatim demonſtrem primis tribus Eccleſiæ ſæculis cultum Sanctorum Martyrum, eorumque reliquiarum, miraculis quoque ad eorum tumulos confirmatum, ordine temporum monumenta certiſſima exhibeo ex ſinceris & genuinis Sanctorum Martyrum actis, quæ ſcriptor clariſſimus Theodoricus Ruinart, doctrina, pietate, & integritate præſtans, diligentiſſime conquiſivit, accuratiſſime expendit, atque ex perantiquis codicibus in lucem edidit. De oſſibus Sancti Ignatii Martyris, Epiſcopi Antiocheni, qui anno Chriſti 107. Martyrium conſummavit, hæc in ejus actis habentur num. 7. pag. 10. edit. Veronen. *Sola aſperiora* (duriora) *ſanctorum Oſſium* (a leonibus) *derelicta ſunt, quæ in Antiochiam reportata ſunt, & in capſa repoſita, ſicut theſaurus inappretiabilis.* De Sanctæ Symphoroſæ & ſeptem filiorum ejus corporibus ad annum Chriſti 120. hæc in actis leguntur num. 4. pag. 21. *Poſt hæc quievit* (Adriani) *perſecutio anno uno, & menſibus ſex, in quo ſpatio omnium Martyrum honorata ſunt corpora, & conſtructis tumulis condita cum omni diligentia.* De S. Polycarpo martyre, præter ea quæ

quæ narravimus supra ex Encyclica Smirnensis Ecclesiæ apud Eusebium ad annum Christi 166., ex eadem uberiore apud Ruinart epistola hæc habemus: *Diabolus hoc excogitavit, ut corpus ejus a nostris non posset auferri; quamvis multi essent, qui Sanctis ejus optarent communicare cineribus. Summisit autem Nicetem interpellare Rectorem, ut reliquiæ ejus negarentur omnibus christianis, asserens quod relictis omnibus huic fundenda esset oratio singulorum . . . Contentione itaque nostra & Judæorum visa, Centurio posuit corpus in medium. Nos collegimus ut aurum, gemmamque pretiosam, & sepulturæ ossa mandavimus. Conventus itaque alacriter factus ad diem natalemque martyrii.* De religioso cultu, & de miraculis ad tumulum SS. Martyrum Epipodii & Alexandri ad annum Christi 178. hæc in eorum actis narrantur n. 12., & 13. pag. 67. *Quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt: Quia Gentilium furor extremam denegans sepulturam, in corpora exanimata sæviebat. Postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit, & prodidit reverentia deducta per posteros, & virtutes plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt In locis illis mirabilia ista mostrantur, ejectio Dæmonum, debilitatum curatio, restauratio sanitatum, quæ ita pene quotidiana, & iis majora proveniunt, ut credulitas, etiamsi spontanea non fuerit, existentibus miraculis exigatur.* De miraculis & cultu ad tumulum sancti adolescentis & Martyris Symphoriani in persecutione Marci Aurelii anno Christi 180. hæc in ejus actis relata sunt num. 8. pag. 71. *Martyr delatus ad Fontem, qui extra publicum campum est, & ibi in parva cellula sepultus, semper tamen virtutibus se publicavit; ita ut ipsis quoque Gentilibus ob miracula, & sanitatum beneficia in maximo honore ea tempestate haberetur.* De venerandis reliquiis Sancti Saturnini Martyris, & Episcopi Tolosani imperante Decio anno Christi 250., martyrio coronati, cujus venerabile corpus piæ quædam fortesque fœminæ terræ mandarunt, hæc in ejus actis habemus num. 5. pag. 110. *Paucis id temporis christianis, ipsisque propter furorem Gentilium sancti viri corpus humare metuen-*

tuentibus, duæ tantum mulierculæ sexûs infirmitatem fidei virtute vincentes, & viris omnibus fortiores, & sui Sacerdotis exemplo credo ad tolerantiam passionis animatæ, beati viri corpus ligneo feretro immissum, quam maxime in proximo loco coactis apte scrobibus condiderunt: Ut venerandas sibi sanctas reliquias non tam sepelire, quam abscondere viderentur: ne forte sacrilegæ mentis homines, si aliquid conditi corporis tumulo viderent honoris adhiberi, effossum statim corpus in frusta discerperent, & eriperent etiam ipsam tenuem sepolturam.

XV. De pio & religioso cultu in Sanctos Martyres Triphonem & Respicium anno Christi 250. in persecutione Decii martyrio coronatos, hæc in eorum actis num. 6. pag. 130. continentur: *Convenerunt autem religiosi viri, & Sacerdotes Domini, & dedicaverunt martyrium illorum* (sacram Martyrum ædem) *cum omni honore, atque disciplinæ reverentia participaverunt mysterium redemptionis nostræ* (Eucharistiam) *commendantes animas suas sanctis beatorum Martyrum patrociniis.* De Rèliquiis Sanctorum Martyrum Fructuosi Episcopi, & Diaconorum ejus Augurii, & Eulogii, a fidelibus pie ac religiose collectis, sibique vindicatis, qui martyrium consummarunt in persecutione Valeriani & Gallieni anno Christi 259. hæc in eorum genuinis actis habemus num. 6. pag. 193. *Superveniente nocte ad amphyteatrum cum vino festinantes pervenerunt, quo semjusta corpora extinguerent, quo facto, eorumdem Martyrum cineres, prout quisque potuit, vindicavit.* De Matre S. Martyris Mariani in ejus actis a teste præsente, in persecutione Valeriani & Gallieni anno Christi 259. hæc referuntur num. 13. pag. 199. *Complectebatur in filii corpore suorum viscerum gloriam, & in ipsa cervicis vulnera frequens osculum pietas religiosa figebat.* In actis sinceris & genuinis Sancti Martyris Bonifacii, qui martyrium consummavit apud Tharsum Ciliciæ in persecutione Diocletianì & Maximiani hæc habentur, quæ & religiosum martyrum cultum, & eorum miracula testantur. Aglaes nobilis matrona Romana, mandat ministro suo Bonifacio, qui Martyr hac occasione fuit, ut

ut peregre proficiſcatur ad conquirenda corpora & reliquias martyrum, quibus religioſum cultum adhibeat, quorum meritis & ipſa, & cultores eorum ſalvi fiant: *Affer nobis*, inquit num2. pag.250, *reliquias, ideſt, corpora Sanctorum Martyrum; ſiquo modo ſervientes, atque miniſtrantes eis, necnon & oratorias domos ædificantes eis dignas, per ſanctas paſſiones eorum ſalvemur tam nos, quam & alii multi*. Cum autem ipſemet Bonifacius, qui martyrum corpora quovis pretio redimenda conquirebat, Martyr occubuiſſet, & ſocii itineris ejus corpus ad Aglaem deferrent, Angelus his verbis de adventu corporis Sancti Martyris Bonifacii Aglaem admonuit, ut ibidem narratur num.15. pag.254. *Aliquando ſervum tuum* (Bonifacium) *nunc autem fratrem noſtrum, ſuſcipe ſicut Dominum, & reconde eum bene*. Quibus ab Angelo auditis, *Conſurgens Aglaes confeſtim accepit ſecum Clericos, & viros religioſos, & ſic cum hymnis & canticis ſpiritualibus, & omni veneratione obviavit ſancto corpori, & repoſuit illud ſtadiis ab Urbe Roma quinque in via quæ Latina nuncupatur, donec ædificaret ei domum dignam paſſione ejus. In quo etiam loco exuberant beneficia orationum S. Martyris uſque in hodiernum diem; ita ut etiam dæmones expellantur, & omnes varias infirmitates repellit, quibus detinetur humanum genus*. Ad reliquias corporis ſui alludens futurus Martyr S. Theodotus Ancyranus, qui paſſus eſt in perſecutione Diocletiani & Maximiani anno Chriſti 303. Phrontonem Presbyterum requirentem reliquias Martyrum, quibus ſacram ædem parabat, his verbis eſt allocutus, ut extat in actis Sancti Theodoti Martyris a Nilo præſente teſte deſcriptis num.12. pag. 300. *Noſtrum eſt ſollicitius agere, ſeu potius Dei, reliquias tibi ſubminiſtrare: tuum vero præparare diligenter ædem ſacram. Quapropter obſecro Pater, ne cuncteris in opere; ſed cura, ut quamprimum illud perducas ad finem. Cito enim advenient reliquiæ*. Quæ autem cito advenerunt reliquiæ corpus ipſum fuerunt Sancti Theodoti Martyris, qui propediem reliquias Phrontoni reliquiarum veneratori promiſerat. Habes igitur

pluri-

plurima, eaque certissima, atque exploratissima monumenta de religioso cultu, & christiana veneratione Sanctorum Martyrum, eorumque reliquiarum sacrarum, vel tribus primis Ecclesiæ sæculis, contra fraudolentos, & malitiosos Beausobrii conatus.

XVI. Suadere contendit Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.6. pag.671.tom.2. quem cultum Diis heroibusque suis Pagani exhibebant, eumdem Martyribus suis jamdudum ab Augustini ætate Catholicos exhibere. Id autem sibi demonstrandum hac, ut inquit, Augustini responsione contra accusationem Fausti temere assumit: *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*. His datis, affirmat ex verbis Arnobii quem auctorem adhibet, Paganos non templa Diis heroibusque suis, sed memorias dumtaxat & monumenta, quemadmodum Martyribus suis Catholici, fabricasse. Item affirmat Catholicos opinari animas suorum Martyrum habitare in tumulis, in quibus cineres eorum quiescunt, quemadmodum de suis heroibus opinabantur Pagani. Id autem probare nititur, quod S. Stephanus dicatur apparuisse ubi ejus erant reliquiæ: Et Sanctum Augustinum populo promisisse: *Sanctum Stephanum in suis cineribus vigilaturum* pro salute Africæ, quæ tamen fere devastata fuit a Gotis, & Vandalis, antequam ipse oculos clauderet. Hæc omnia Beausobrii mendaciis, calumniis, & contumeliis redundant. Et primo quidem Augustini verba a Beausobrio citata extant lib.22. de Civ. Dei cap.10. pag.508. tom.7. ubi nulla omnino mentio fit Fausti, nullaque ibi est Augustini disputatio cum Fausto. Itaquæ verba illa Augustini responsio non sunt contra accusationem Fausti, quæ non ex libris de Civ. Dei, sed ex libris contra Faustum repetenda est. Sed hæc officiosa Beausobrii mendacia sunt. Præterea Augustinus loco de Civ. Dei, pro loco de libris contra Faustum a Beausobrio citato, discrimen quod inter cultum, quem Diis suis Pagani exhibebant, & cultum quem Martyribus suis præstant Christiani, non constituit in eo tantum,

Beausobrii infidelitas in citaudis Augustini sententiis.

tum, quod Pagani Diis ſuis templa, chriſtiani vero Martyribus ſuis memorias ſolum & monumenta ædificant; ſed in eo etiam, multoque magis, quod Diis ſuis Pagani aras ſtatuunt, ſacerdotes inſtituunt, ſacrificia faciunt. Contra vero Chriſtiani nihil horum Martyribus ſuis, ſed omnia hæc ſoli Deo offerunt. Eadem S. Doctor confirmat lib.20. contra Fauſtum cap 21. pag.246. tom.8., quæ ſunt vera Auguſtini reſponſio contra falſam accuſationem Fauſti, quæque Beauſobrius malitioſe prætterit. Venio nunc ad Arnobium temere objectum a Beauſobrio, quo Auctore contendit, Paganorum templa nihil aliud fuiſſe niſi memorias & monumenta ad excitandam memoriam ſuorum heroum. Audiatur igitur quid de veris & propriis Paganorum templis a Paganis Diis ſuis erectis homo gentilis apud Arnobium quondam gentilem lib.6. contra Gentes pag.226. loquatur. *Templum*, inquit. *hoc Martis*, *hoc Junonis*, *&* *Veneris*. *Apollo hic habitat*, *in hoc manet Hercules*, *in illo Summanus*. Cui continuo Arnobius, *Non prima*, inquit, *& maxima contumelia eſt Deos habitationibus habere diſtrictos*? Tum Gentilis. *Idcirco*, inquit, *attribuimus Diis templa*, *ut eos poſſimus coram*, *& cominus contueri*, *affari de proximo*, *& cum præſentibus* [in Idolis] *quodammodo venerationum colloquia miſcere*. Poſtremo Arnobius ſic diſputationem concludit pag.230. contra Gentilium templa, hoc nomine inſcripta, & vulgo appellata, & Diis eorum erecta, quibus, & ſacerdotes initiabant, & conſtruebant aras, & victimas immolabant, quæ divini cultus certiſſima ſunt argumenta: *Satis igitur*, inquit, *ut opinor oſtendimus templa Diis immortalibus aut inaniter conſtructa*, *aut contra decus aut potentiam creditam contumelioſis opinationibus fabricata*. Ad extrema Beauſobrii mendacia, extremaſque calumnias, & contumelias reſpondeo, Quis unquam Catholicorum eò uſque inſanivit, ut crederet, animas Sanctorum Martyrum ibi habitare, ubi cineres eorum quieſcunt? At enim, ut fertur, apparuit Stephanus, ubi ejus erant reliquiæ. Quid inde? Ergone opinabantur idcirco Catholici Stephani animam

Inter cultum Martyribus a Chriſtianis & Diis ſuis a Paganis exhibitum multæ & magnæ diſſimilitudines.

Templa apud Paganos domicilia Deorum erant in quibus habitare arbitrabantur.

Martyrum animas in ſuis cineribus habitare, non chriſtianorum opinio, ſed Beauſobrii calumnia eſt.

eo in loco habitare? Vides, quam temeraria vox & interpretatio? Apparuit Christus Dominus in cœnaculo, ubi erant ejus discipuli congregati. Ergone isti idcirco opinabantur in cœnaculo Christum Dominum habitare? Augustini locum Beausobrius non indicat, quo maledice more suo exprobrat sancto Doctori & falsum vaticinium, & ridiculam opinionem de animarum præsentia in cineribus Sanctorum Martyrum. Consului omnes Augustini Sermones de Sancto Stephano, & Sermone dumtaxat 117. num.5. pag.886. tom.5. hæc de Sancto Stephano verba reperi: *Qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodo in suis cineribus vigilabit?* Oratoria hæc verba sunt, & concinna antithesis, & metaphora, Augustino maxime familiaris, quæ vaticinium nullum, nullam absonam opinionem significant; sed adhibita dumtaxat sunt ad excitandam in auditoribus suis spem de Sancti Stephani patrocinio, cujus cineres pie ac religiose venerabantur.

Beausobrii calumnia est censuisse Augustinum animam S. Stephani in suis cineribus habitare.

XVII. Non aliam opinionem de Diis suis terrestribus habuisse Paganos ab ea, quam de Martyribus suis habent Catholici Beausobrius affirmat lib.9. Histor. Dogmat. Manich. pag.671., & 172. tom.2. Ut enim Catholici nullam in suis Martyribus divinitatem se agnoscere profitentur, ita Pagani in suis Diis terrestribus divinitatem nullam agnoscebant. Id autem confirmare nititur Beausobrius auctoritate Platonis, qui lib.5. de repub. pag.464. hæc habet: *Quod pertinet ad hos excellentes homines, credimus eorum animas fieri sanctos dæmones terrestres maxime beneficos, qui a malis impendentibus mortales preservant, quorum protectores sunt, atque conservatores*. Addit Beausobrius Paganorum religionem erga suos mortuos illustres magis consentaneam rationi fuisse, quam Catholicorum religio sit erga suos Martyres. Ad singula Beausobrii mendacia respondeo. Opinabantur Pagani suos terrestres Deos veros esse Deos, eorumque naturam esse divinam. Indicant id sacra, indicant leges, indicant templa seu delubra, indicant aræ,

Deos omnes suos divino cultu tanquam veros Deos Pagani colebant, secus vero Martyres suos christiani.

aræ, indicant ſacrificia, indicant Sacerdotes, quæ Pagani ſemideis, heroibuſque ſuis conſtituerunt. Hic autem cultus ſoli divinitati debetur. Itaque divinitatem in diis ſuis, cujuſcumque generis eſſent, agnoſcebant Pagani, quos divino cultu venerabantur. Cicero lib. 2, de legibus pag. 440. his genuinis illorum temporum verbis perantiquam legem a Romanis veteribus ſancitam de cultu Diis omnibus cœleſtibus heroibusq. ſuis exhibendo producit: *Conſtructa a Patribus delubra in urbibus habento: Divos & eos, qui cœleſtes ſemper habiti ſunt, colunto: & ollos, quos in cœlum merita vocarint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.* At Hercules, Liber, Æſculapius, Caſtor, Pollux, Quirinus illuſtres Heroes, ſemideique apud Gentiles erant. His autem templa, his aras, his ſacrificia, his ſacerdotes, his flamines Romani conſtituerunt, ut monumenta vetera teſtantur, Profecto Dionyſius Halicarnaſſæus accuratiſſimus rerum Romanarum ſcriptor lib. 1. hæc de cultu Herculis poſteritati tradidit: *Poſtquam condita Herculi ara ab Evandro fuiſſet, & ſacrificium factum, ferunt incolas regionis ab Hercule rogatos, ut quando ſe ultro inter Deos recepiſſent, ſervarent honores ipſius perpetuos, quotannis juvencum indomitum mactantes, & ritu Græco peragentes id ſacrificium.* Itaque ex divino cultu ſoli Deo debito, quo Pagani ſemideos ſuos, illuſtreſque Heroas colebant, manifeſtum eſt contra Beauſobrii mendacia, eos cenſuiſſe, ſemideos, & illuſtres heroas Deos veros eſſe, eorumque naturam vere eſſe divinam. His accedunt Paganorum Apotheoſes, quibus demortuos homines inter cœleſtes Deos referebant. Venio nunc ad Platonem nobis a Beauſobrio objectum. Quid autem ſenſerit Plato de heroum animis a corpore ſeparatis optimus ejus diſcipulus & interpres Plotinus eſt conſulendus apud Auguſtinum lib. 9. de Civ. Dei cap. 11. pag. 173. tom. 7. qui hæc de Plotino Platonico refert: *Dicit animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri Lares, ſi boni meriti ſunt,*

Lares, Lemures Manes Dii etant apud Platonicos, intereſque Gentiles, quos parentalibus ſacrificiis placabant.

ſunt, Lemures, ſi mali, vel Larvas; Manes autem Deos dici, ſi incertum eſt bonorum eos, ſeu malorum eſſe meritorum. Itaque quos Plato dicit ſanctos dæmones terreſtres Dii Lares apud eum ſunt, quibus dicata ſacraria, conſtructæ aræ, oblata ſacrificia, & Gallo litatum. Hinc ſacraria domeſtica Lararia a Gentilibus appellabantur, in quibus Diis Laribus ſacrificabant. Lampridius in vita Alexandri Severi cap. 29. ſcribit Alexandrum Severum in Larario rem divinam matutinis horis factitaſſe ad effigies Deorum. Manes vero a Gentilibus tanquam veri Dii habebantur, quibus parentalia quotannis ſacrificia fiebant. Cicero ad hanc perantiquam legem lib. 2. de Leg. pag. 441. *Deorum Manium jura ſancta ſunto. Hos leto datos divos habento*, hæc tradit ibidem pag. 448. *Venio nunc ad Manium jura, quæ majores noſtri & ſapientiſſime inſtituerunt, & religioſiſſime coluerunt. Februario autem menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt . . . Hoſtia autem maxima parentare pietatis eſſe adjunctum D. Brutus putabat.* Lemures etiam ne obeſſent antiqui Gentiles ſacrificiis placabant, quorum dies feſtos Idibus Maii Lemuria appellarunt, de quibus Ovidius in Faſtis lib. 5. v. 4. 20.

Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri:
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.

Porro Inferiæ ſacrificia erant quibus dii Manes a veteribus placabantur. Cum igitur conſtet de cultu divino, & quidem ſupremo, qualis eſt ſacrificium, quo Gentiles ſuos omnes Deos ſuperos, atque inferos venerabantur, a quo maxime abhorrent Catholici in eo, quem deferunt ſuis martyribus, cultu; adhuc tamen audet Beauſobrius non modo comparare, ſed etiam præponere maxime impium & ſacrilegum cultum, quem Pagani veteres Diis heroibuſque ſuis exhibuerunt pio, & maxime religioſo cultui, quem Catholici a primis Eccleſiæ ſæculis ad hæc uſque noſtra tempora ſanctis martyribus, eorumque reliquiis deferunt.

XVIII. Templa martyribus ſuis dedicata fuiſſe a Catholicis, quemadmodum Idolis ſuis a Paganis Beauſo-

ſobrius contendit lib. 9. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 673. tom. 2. idque confirmare nititur non modo Evagrii, & Theodoreti teſtimonio, ſed ipſiuſmet Auguſtini, qui lib. 8. de Civ. Dei cap. 26. pag. 165. tom. 7. de Mercurio inquit, *Videtur dolere quod memoriæ martyrum noſtrorum templis eorum, delubriſque ſuccederent*. Ex quibus Beauſobrius concludit veram fuiſſe accuſationem illam Fauſti contra Catholicos, *Idola vertiſtis in martyres, quos votis ſimilibus colitis*. Reſpondeo, Si templa Martyrum, ſi templa in honorem martyrum excitata vel inſcribuntur, vel vulgo dicuntur, non popularia verba attendenda ſunt, ſed quid verbis hujuſmodi ex genuina & ſevera hac de re Catholicæ Eccleſiæ doctrina ſignificetur ſtatuendum eſt. Itaque vocibus & inſcriptionibus iſtis, exempli gratia, Templum Petri, Templum in honorem Principum Apoſtolorum, nihil aliud ex Doctrina Catholica ſignificatur, niſi Templum Deo dicatum, in quo non divino, ſed religioſo infra divinum cultu colitur Petrus: in quo non divino, ſed religioſo infra divinum honore honorantur Principes Apoſtolorum. Quæ autem genuina & germana hac de re Catholicæ Eccleſiæ doctrina ſit, ex Pontificalibus maxime libris conſtituendum eſt. Jam vero in Pontificali Romano, quo utuntnr Catholici Epiſcopi in Templorum, Altariumque dedicatione p. 2. pag. 219. edit. Vatic. preces iſtæ adhibentur: *Omnipotentem Deum ſupplices deprecamur, ut locum iſtum nomini ſuo ædificandum per ſereniſſam pietatem ſuam benedicere, ſanctificare, & conſervare dignetur*. Ergo ex doctrina Eccleſiæ locus, in quo ædificandum eſt templum, nomini Dei dedicatur. Item ibidem pag. 213. *Domine Deus, qui licet cælo & terra non capiaris, domum tamen dignaris habitare in terris, ubi nomen tuum invocetur*. Ergo ex doctrina Eccleſiæ chriſtiana templa Domus Dei ſunt, in quibus nomen Dei invocatur. Præterea ibidem pag. 281. *Sanctificetur & conſecretur hoc templum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti in honorem Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen & me-*

Martyrum templa dicuntur, quod in his Deo dedicatis martyres ſancti religioſo, non divino cultu, coluntur.

& memoriam Sancti N. Ergo ex doctrina Ecclesiæ honor exhibendus in christianis templis, quæ consecrantur, hoc ordine gradatim descendit, ut honor primus, qui Latriæ dicitur, Deo debeatur; secundus, qui appellatur Hyperduliæ, gloriosæ Virgini Mariæ, tertius, qui duliæ nominatut, omnibus Sanctis, & separatim sancto alicui singulari, cujus fert nomen, & memoriam revocat templum. Denique ibidem: *Omnipotens sempiterne Deus altare hoc, quod in honorem tuum, & in memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuæ benedictionis sanctifica.* Ergo ex doctrina Ecclesiæ consecrantur christiana alraria in honorem quidem Dei, in memoriam vero singularium quorumque sanctorum. In his igitur ad Deum precibus in templorum, altariumque dedicatione a Catholica Ecclesia adhibitis, vel nulla nisi Dei mentio fit, vel primo semper loco nominatur Deus, cui primarius Latriæ cultus debetur. Venio nunc ad Augustinum a Beausobrio nobis objectum, qui non templa templis, sed memorias nostrorum martyrum Deorum templis successisse affirmat. Quin etiam sequenti capite 27. apertissime negat S. Doctor martyribus nostris a nobis templa constitui. Audiatur: *Nec tamen nos*, inquit, *eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei.* Contra vero Gentiles in templis Diis suis, qui homines quondam fuerant, consecratis, divinos ipsis tribuebant honores. *In omnibus litteris Paganorum*, inquit S. Doctor superiori cap. 26., *aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, mortuisque divini honores delati sint.* Factum est ergo satis superioribusBeausobrii mendaciis.

Martyrum memoriæ, in quibus religioso infra divinum cultu coluntur, non templa templis, in quibus divino cultu colebantur Dii, ex Augustino successerunt.

XX. Ad ostentationem eruditionis multa Beausobrius profundit lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 675. tom. 2. Docet templa martyrum primum, passimque deinceps, appellata fuisse *Martyria*: præterea *Basilicas*, idest, *Palatia*, in quibus martyres præsentes esse, preces suas audire, sibique miraculis opem fer-

ferre censebant Catholici. Quanquam Augustinus incertus esse videtur, quis auctor talium esset miraculorem, Deusne, an martyres ipsi lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. pag. 508. tom. 7. ubi hæc habet: *Faciunt ista Martyres* (idest Miracula) *vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus eis*. Ad hæc dico: Ædificia dedicata Diis, quæ apud Paganos *Templa*, *Fana*, *Delubra* vulgo nominabantur, apud antiquos christianos, repudiatis Paganorum vocabulis, hujus generis ædificia Deo, in memoriam & honorem sanctorum martyrum, consecrata, *Memoriæ*, *Basilicæ*, item latine *Dominica*, græce *Kyriaca*; item *Eucteria* & *Proseucteria* græce, latine *Oratoria*, item græce *Martyria* appellata sunt; modo generatim & universe *Ecclesiæ*, dicuntur. Martyria apud S. Doctorem, pro Ecclesiis, Basilicis, & Memoriis, quibus vocibus frequentissime utitur S. Doctor, nunquam me legisse recordor. *Ad memoriom Sancti Cypriani*, *Ad memoriam S. Stephani*, *Ad memoriam viginti Martyrum*, *Ad memoriam Martyrum Mediolanensium Protasii & Gervasii*, *& sic de ceteris*, familiarissimæ voces Augustini sunt. Quas vero dicit memorias martyrum, Deorum, quæ dicuntur, templis S. Doctor opponit lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. pag. 508. tom. 7. *Miraculis*, inquit, *quæ per memorias nostrorum martyrum fiunt, nullo modo comparanda sunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum*: Et paulo infra, *Nos martyribus nostris non templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*. Quod autem *Basilicæ*, & *Palatia* idem omnino sonent, falsum omnino est. Si enim vim nominis interpretari velis *Basilica* Græce, *Regia* Latine est. Sed hæc tanquam leviora, quæ magis ad eruditionem, quam ad religionem pertinent, prætermitto. Illud prorsus intolerabile Beausobrii mendacium est, censere Catholicos, martyres præsentes esse in suis tumulis, & basilicis, ibique audire, & exaudire preces suorum clientum, eorumque indigentiis opitulari. Arbitror nec unam inter Catholicos aniculam esse, nec rusticanum unum ita

Martyrum ædes sacræ multis, diversisque nominibus a Latinis Græcisque christianis appellatæ.

Martyres in suis tumulis habitare Beausobrii impudens calumnia est, quod hæc Catholici censeant.

ita rudem & hebetem, qui tales fabulas credat. Sed his calumniis atque mendaciis in catholicæ religionis contemptum a ſuis Paſtoribus Calviniani greges paſcuntur. Ad illam autem incertitudinem Auguſtini, quanquam ad religionem non pertinet, dico falſò illam a Beauſobrio jactari. Etenim verbis illis Deum potius miraculorum auctorem Auguſtinus ſignificat, ſecus vero martyres, quos in operandis miraculis vel orantes, vel tanquam Dei miniſtros cooperantes dumtaxat affirmat, ne Deos martyres, ſed unum martyrum, noſtrumque Deum, utpote miraculorum omnium auctorem, credamus. Ecce integra S. Doctoris verba loco commemorato: *Faciunt autem iſta* (miracula) *Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus.*

Miraculorum auctor certiſſimus Deus eſt in Auguſtini ſententia.

XX. Addit eodem loco Beauſobrius ſuperſtitionem inſolitam eſſe, quod Concilium Trullenſe præceperit demolitionem omnium altarium ſub quibus martyrum reliquiæ non erant. At non inſolita ſuperſtitio, ſed pervetuſta, & maxime uſitata religio eſt conſtructio altarium ſupra reliquias martyrum. Supra martyrum tumulos, quos memorias Auguſtinus appellat, ætate Auguſtini erigebantur a Chriſtianis altaria. Audiatur S. Doctor lib. 22. de Civ. Dei cap. 10. pag. 508. tom. 7. *Nos*, inquit, *martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum, & noſtro.* Præterea lib. 8. de Civ. Dei cap. 27. pag. 166. tom. 7. *Quis*, inquit, *audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane?* Item lib. 20. contra Fauſtum Manichæorum epiſcopum cap. 21. pag. 246. tom. 8. *Populus*, inquit, *chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut*

Supra martyrum tumulos antiquitus erigebantur altaria.

ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, constituamus altaria. Quis Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? S. Paulinus Nolanus episcopus in die Natali S. Felicis hæc cecinit.

Spectant de superis altaria tota fenestris.
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem.

S. Ambrosius epistola 54. ad Marcellinam Sororem, *Cum Basilicam*, inquit, *dedicare vellem, mihi tanquam uno ore interpellare cœperunt dicentes, Sicut in Romana, sic Basilicam dedices. Respondi, Faciam, si Martyrum reliquias invenero.* Inventis autem corporibus sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, ut dixit, ita fecit. S. Hieronymus contra Vigilantium, qui Calvinianorum dux fuit, in repudiando præsertim sanctorum martyrum, eorumque reliquiarum cultu, sic Vigilantium confutat: *Male ergo facit Romanus episcopus, qui supra mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Hinc inveterata illa apud multos Catholicos consuetudo in tumuli formam construendi altaria, mensam lapideam, in qua sacrificium offertur, sustinentis. Multo igitur antiquior est Concilio Trullensi non superstitio, ut Beausobrius blaterat, sed pius religiosusque ritus construendi altaria, quæ reliquias sanctorum martyrum inclusa contineant.

Martyrum reliquiæ altaribus inclusæ ex pervetusto christianorum ritu.

XXI. Contendit Beausobrius lib.4.Histor.Dogmat. Manich. cap.5. pag.678, & 679., tom.2. teste Fausto, Catholicos tribuisse martyribus honores illos, quos diis subalternis exhibebant Pagani; quales honores his verbis indicat Plato lib. de repub. pag. 464. *Nos his divinis hominibus monumenta ponemus, quæ præcepit Oraculum. Nos honorabimus & adorabimus eorum tumulos, quoniam sepulcra sunt dæmonum*, idest, animarum beatarum. Adorare autem perinde est, ac prosterni. At hujus ætatis catholicos ultra progressos esse Beau-

Beausobrius affirmat auctoritate Senatoris Angli Cherbury, cujus hæc verba recitat: *Pagani se continebant in erigendis statuis, accendendis cereis, vel facibus, in adolendo thure, in deducendis cum pompa statuis, in supplicationibus suis, & in laudandis eorum virtutibus, rebusque bene gestis, in hymnis suorum Heroum*. Ad hæc respondeo, Pagani omnibus Diis suis superis & inferis, nobilibus & plebeis, quin & vilissimis, & sordidissimis divinos honores tribuerunt; secus vero martyribus suis christiani. Audiatur quid Augustinus respondeat Maximo Madaurensi Idolorum cultori de divinis honoribus, quos tribuebant Pagani suis etiam abjectissimis Diis, epistola 17. num. 2. pag. 17. tom. 2. *Si ridere*, inquit, *delectat, habes apud vos magnam materiam facetiarum: Deum Stercutium, Deam Cloacinam, Venerem Calvam, Deum Timorem, Deum Pallorem, Deam Febrem, & cetera innumerabilia hujusmodi, quibus Romani antiqui Idolorum cultores templa fecerunt, & colenda censuerunt, quæ si negligas, Romanos Deos negligis*. Præterea suis omnibus diis, & Heroibus victimas immolabant Pagani. Diis superis, albas & impares; Diis Inferis nigras & pares mactabant victimas, Jovi bovem candidum: Neptunno, Apollini, & Marti taurum, verrem, arietem: Heroibus taurum, caprum, arietem: Cerei, & Cybeli porcam: Æsculapio caprum, & Gallum: Herculi taurum: Laribus gallum: Soli equum: Lunæ taurum: Junoni agnam: Veneri columbam: Pani, & Minervæ capram: Dianæ cervam: Libero caprum, & hircum: Sylvano porcum: Fauno agnam, vel hædum. Quod ad auctoritatem Platonis pertinet, dico Platonem eo loco docuisse divinum cultum heroum animis deferendum, quos Deos Lares censebant Platonici. Hæc enim sunt græca Platonis verba, καὶ προσκυνήσομεν τὰς θήκας: *Et adorabimus thecas*, seu tumulos. Neque vero, ut male Beausobrius interpretatur, Græca vox προσκυνέω prostrationem significat, sed strictam & propriam adorationem, quæ soli divinæ naturæ debetur. Plenum est testamentum novum Græcæ editionis hac voce, quæ semper & ubique usurpatur ad signi-

Diis omnibus suis superis & inferis, supremis & infimis divinos honores tribuebant Pagani, secus vero martyribus suis christiani.

Heroas suos, quos Deos Lares Plato & Platonici censebant, cultu divino adorabant.

significandam veram & propriam adorationem, quæ soli Deo debetur. Exemplo contenti erimus uno, sed omnium præstantissimo. Diabolum, qui se adorandum a Christo Domino obtulerat, hac adhibita voce rejectus a Jesu est Κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Quid quod Plato hujusmodi Heroas homines divinos appellat? Quid, quod oraculum, ut refert Plato, divinos honores mortuis heroibus, idest, Diis Laribus præcepisse significatur? Angelicani vero Senatorii ordinis Cherbury vel ignoravit, vel ignorare se simulavit divinum cultum, quem Heroibus suis Herculi, Bacco, Æsculapio, Quirino exhibebant Pagani. His enim & dedicabant templa, & sacrabant aras, & immolabant victimas, & sacerdotes, flaminesque initiabant. Ex his divinis honoribus nullum omnino martyribus suis catholici exhibent,

Heroibus suis Pagani cultum divinum tribuebant.

XXII. Quid sit civilis, quid religiosus cultus, quæque utriusque principia, arbitratu suo Beausobrius decernit lib. 9. Histor.Dogmat.Manich. cap.5. pag.679. & 680. tom. 2. ut religiosum Sanctorum Martyrum cultum, a quo vehementer homo Calvinianus abhorret, explodat. Dico igitur, cultus civilis est ille, qui alicui adhibetur propter ejus præstantiam in bonis & meritis, quæ non excedunt statum naturæ. Cultus religiosus est ille, qui alicui adhibetur propter ejus præstantiam in bonis & meritis, quæ naturæ statum excedunt. Ut autem ad civilem disciplinam pertinet constituere civiles ritus, quibus colendi sunt homines naturalibus bonis præstantes; ita ad Ecclesiæ disciplinam, non ad Beausobrii temeritatem pertinet, religiosos ritus decernere, quibus supernis bonis præstantes homines colendi sunt. Templorum dedicatione, consecratione altarium, oblatione sacrificiorum, sacerdotum initiatione, vera & propria adoratione, in Ecclesia Catholica non colitur, nisi Deus. At vero piis invocationibus, precibus, deosculationibus, capitis & corporis inclinationibus, similibusque ritibus ab Ecclesia constitutis, primum Virgo Deipara, deinde Sancti Angeli,

Cultus civilis & religiosus in quo differant,

Cultus civilis ritus auctoritate civili: religiosi, Ecclesiæ auctoritate statuuntur.

Cultus religiosi gradus designantur.

geli, & beatæ animæ, cives, domeſtici, familiares, & miniſtri Dei religioſo cultu coluntur, qui cultus in Deum, beatorum omnium amantiſſimum Patrem & Dominum refluit. Definitio autem religioſi cultus, quam Beauſobrius conſtituit, vera omnino non eſt, ſcilicet: *Cultum illum religioſum eſſe, qui partem aliquam alicui defert illius honoris, quem homines exhibent enti ſupremo, quemque ipſe acceptare vult, tanquam teſtimonium venerationis, quam ei profitentur, & dependentiæ quam habent ab ejus potentia*. Etenim corporis proſtrationes, & inflexiones genuum, exempli gratia, pars aliqua ſunt illius honoris, quem homines exhibent enti ſupremo. Num igitur homines regis imperio & dominio ſubjecti cum corpora ei proſternunt, & genua inflectunt, & hæc ſervitutis auctoramenta rex ipſe acceptare vult, tanquam teſtimonium ſibi debitæ venerationis, ſuique dominii & potentiæ, num, inquam, idcirco hujuſmodi homines non civilem, ſed religioſum cultum regi domino exhibent? Altera de religioſo cultu intolerabilis abſurditas Beauſobrii eſt, qua ſtatuit, ceremonias innoxias cultu civili exhibitas alicui creaturæ, ut inflexiones genuum, manus deoſculationes, capitis, vel corporis inclinationes, noxias, ſuperſtitioſas, ipſamque Idololatriam repente evadere, ſi religioſo cultu creaturæ cuilibet adhibeantur. Ergo, Beauſobrio auctore, non modo inflexiones genuum, ſed ſimplices etiam ſalutationes, quæ fiunt ſibi manum deoſculando, caput vel corpus inclinando, ſi regis alicujus matri, ſi fratribus, ſi amicis, ſi miniſtris adhibeantur, officia & ceremoniæ ſunt non modo innocentes, ſed etiam laude dignæ: contra vero, Sacrarum ceremoniarum magiſtro Beauſobrio, ſi Beatiſſimæ Virgini, quia mater Dei eſt; ſi Angelis ſanctis, quia miniſtri Dei ſunt; ſi ſanctis Martyribus, quia filii & amici ſunt Dei, & Chriſti Domini fratres, pia hæc officia deferantur, Idololatria ſtatim evadunt, totidemque Idola Virgo Deipara, Sancti Martyres, & Sancti Angeli fiunt: quo quid poteſt vel excogitari dementius, vel affirmari audacius. At vetitum, inquit, erat ne talis honor, manus

De cultu religioſo Beauſobrii ſententiæ abſurdæ.

Ritus Deos ſuos adorandi apud Paganos, oſcula manibus ſuis impreſſa.

nus ſcilicet deoſculatione, redderetur Soli. Reſpondeo, Pagani ſibi manum coram Sole, ſuiſque Idolis deoſculando, ſignificabant ſe Deos ſuos adorare. Impiam hanc Solis Lunæque adorationem a Gentilibus uſitatam indicat, & deteſtatur Sanctus Job verbis his cap. 21. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare: Et lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo: Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum Altiſſimum*. Locum hunc ſpectans Hieronymus lib. 1. contra Rufin. num. 19. pag. 475. edit. Veronen. *Qui adorant*, inquit, *ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere, quod ſe beatus Job elementis, & Idolis feciſſe negat*. De Cæcilio Pagano apud Minutium Felicem in Octavio pag. 352. hæc narrantur: *Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis impreſſit*. At negat Beauſobrius Solem a Paganis habitum Deum eſſe. Sed temere profecto negat. Quis enim ignorat apud Perſas Solem Deum maximum exiſtimatum, diviniſque honoribus cultum? Quis ignorat apud Romanos Solem tanquam præcipuum Deum adoratum, cui & dedicata templa, & ſacratæ aræ, & creati flamines, & equus victima immolata? De cultu divino Solis, qui Phæbus, Apollo, & Hyperion eſt apud Veteres, hæc Ovidius cecinit lib. 1. Faſt. v. 390.

Sol a Paganis Deus habitus, & divino cultu honoratus.

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Ad extremum in laudem Solis Beauſobrius concludit, *Cur igitur non deferam Soli, quem video, qui me videt, (Nam Pagani, & Chriſtiani Philoſophi animatum Solem exiſtimarunt) cur, inquam, non deferam Soli honorem illum, quem Martyri exhibere poſſum, quem non video, ſeu, cujus non niſi cineres, & imaginem video?* Quid hæc ad nos? Siqui fuerunt minuti & obſcuri philoſophi, etſi Chriſtiani, e Platonis ludo prodeuntes, qui Solem animatum putaverint, vehementer errarunt. Nos non Solem, ſed Martyres noſtros vivere, & apud Deum noſtrum vivere credimus, neque in hoc erramus. At Solem, inquit, video, qui me, ſi eſt ani-

Cultum Solis cultui martyrum ratione abſurda Beauſobrius præfert.

animatus, videt; martyres vero non video. Ergo quem Martyribus honorem negat, quia eos non videt, deneget etiam Deo, quem non videt: Asino vero, quem videt, & quem animatus Asinus videt, vel civilem vel religiosum honorem, ut ipsi libuerit, Beausobrius exhibeat.

XXIII. Cultum Martyrum ad civilem cultum Augustinum revocasse affirmat Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.5. pag.680, & 681. tom.2. Id autem suadere nititur duplici testimonio Augustini, quorum primum producit ex lib.20. contra Faustum cap.21. pag.247, ubi hæc habentur: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei*. Alterum testimonium extat lib.8. de Civ. Dei cap.27. num.1. pag.166. tom.7. quod sincere prolatum est hujusmodi: *Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt Memoriarum, non sacra, vel Sacrificia mortuorum, tanquam Deorum*. Unum hoc ex insignioribus Beausobrii mendacium est. Etenim eoipso cap.21. temere a Beausobrio citato hæc habentur. *Populus autem christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre? aut Paule? aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit*. Itanevero non religiosus, sed civilis est cultus christiani populi, RELIGIOSA Solemnitate concelebrare memorias martyrum, ut sanctis eorum meritis consocietur, atque orationibus adjuvetur? Non religiosus, sed civiles est cultus, supra tumulos martyrum, & in locis, ubi jacent sancta martyrum corpora, construere & erigere altaria, in quibus Dei Sacerdotes Sacrificia offerant Deo? Si cultus iste religiosus non est, quis cultus unquam religiosus erit? At Augustinus paulo infra dicit, *Colimus martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo in hac vita coluntur sancti homines Dei*. Quid

Cultum Martyrum apud Augustinum civilem esse non religiosum Beausobrii mendacium est.

Quid tum? Cultus, quo in hac vita coluntur a nobis sancti homines Dei, quia sancti homines Dei sunt, non civilis, sed religiosus est cultus. Quamquam Augustinus verbis illis nihil aliud significare vult, nisi nos religioso quidem, non autem divino Latriæ cultu, qui soli Deo debetur, nostros martyres colere. Sic enim ibi prosequitur S. Doctor, *At illo cultu, qui Græce λατρεία dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum*. Quod autem pertinet ad alterum locum a Beausobrio depromptum ex lib.8. de Civ. Dei cap.27. dico ibi manifeste significari religiosum martyrum cultum, nec alium ibi cultum negari Martyribus, nisi divinum Sacrificiorum cultum. *Quæcunque*, inquit, *adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel Sacrificia mortuorum, tanquam Deorum*. At religiosorum obsequia, ideſt obsequia religiosa, quid aliud sunt, nisi religiosus cultus? Dixerat eodem loco Augustinus de honore delato sanctis martyribus, *Honoramus memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei*. At honor delatus martyribus, tanquam sanctis hominibus Dei, non civilis, sed religiosus est honor. Item ibidem dixerat, stare *Sacerdotem ad altare supra sanctum corpus martyris ad Dei honorem, cultumque constructum*. At constructio altaris supra sanctum corpus martyris, in quo Deo Sacrificium offert Sacerdos, non quilibet religiosus, sed religiosissimus est martyris cultus. Constat igitur de Beausobrii mendacio contra religiosum martyrum cultum.

Cultus Martyrum apud Augustinum religiosus quidem, sed non divinus cultus Latriæ est.

XXIV. Eamdem incudem assidue quidem, sed frustra tundit Beausobrius lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.5. pag.681. tom.2. contendens Semideos, Heroas, dæmonesque suos in eodem numero habitos, eodemque ritu cultos fuisse a Paganis, quo jamdudum Martyres a christianis. Cogor igitur iterum, iterumque Beausobrii mendacia, atque calumnias ostendere. Pagani Heroas, Semideosque suos, tanquam inferioris ordinis Deos, templis, delubris, aris, victimis, sacrificiis,

Cultu divino Heroas, Semideosque suos colebant Pagani.

ficiis, & ſacerdotiis colebant: contra vero chriſtiani veteres ab his divinis honoribus erga Martyres ſuos, quos homines meros putabant, omnino abhorrebant. Audiatur Auguſtinus lib.8. de Civ. Dei cap.27. num.1. pag.166.tom.7. *Nec tamen nos*, inquit, *eiſdem martyribus ſacerdotia, ſacra, ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus*. Præterea Paganis forte comparantibus Deos, vel Semideos ſuos cum martyribus noſtris, quam comparationem temere Beauſobrius inſtituit, hæc Auguſtinus & ipſis, & futuro Beauſobrio reſpondet lib.22. de Civ. Dei cap.10. pag.508. tom.7. *An dicent etiam ſe habere Deos ex hominibus mortuis, ſicut Herculem, ſicut Romulum, ſicut alios multos, quos in Deorum numerum receptos opinantur? Sed nobis martyres non ſunt dii; quia unum eundemque Deum, & noſtrum ſcimus, & martyrum ... Denique illi talibus diis ſuis, & templa ædificaverunt, & ſtatuerunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt: nos autem martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed Memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo & martyrum & noſtro: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in Memoria ſacrificet eorum; quia Dei Sacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero Sacrificium Corpus eſt Chriſti*. His Auguſtini verbis omnia Beauſobrii, collegarumque ejus mendacia, calumniæ omnes, omneſque impii & temerarii conatus funditus evertuntur. Quod pertinet ad Platonicorum dæmones, medios inter cœleſtes Deos & homines, his quoque divinos honores eorum quidam deferendos cenſuerunt. Profecto Apuleius Platonicorum nobiliſſimus, dæmonem Socratis, Deum nominat in eo libro, quem inſcripſit, *De Deo Socratis*. Auguſtinus vero egregius quondam Platonicus lib.10. de Civ. Dei cap.1. num.1. pag.181. tom.7. de Platonicis, quos *Omnium Philoſophorum merito nobiliſſimos* dicit, hæc litteris

Cultus Martyrum apud Auguſtinum maxime alienus a cultu Semideorum Heroumque apud Paganos.

Cultum divinum etiam ſuis dæmonibus, tanquam diis Platonici detulerunt.

teris commendavit, *Ipsi quoque, sive cedentes vanitati errorique populorum, sive, ut ait Apostolus* (Rom. 1. 21.) Gravescentes in cogitationiqus suis, *multos Deos colendos ita putaverunt, ut quidam eorum etiam dæmonibus divinos honores sacrorum, & sacrificiorum deferendos esse censerent.*

XXV. Novis semper mendaciis atque calumniis cultum Sanctorum Martyrum insectatur Beausobrius. Etenim lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 681, & 682. tom. 2. affirmat, novos christianos in christiana Ecclesia invenisse homines in Deos conversos, scilicet Martyres. Itaque detulisse martyribus cultum illum, quem antea Idolis suis deferebant; a quo tamen cultu sapientiores quidam episcopi, quemadmodum antiqui philosophi alieni erant. De impio & sacrilego cultu, quem ætate Augustini christiani martyribus deferebant ipsummet sanctum Doctorem testem adhibet lib. 1. de Mor. Eccl. Cathol. cap. 34. num. 75. pag. 531. tom. 1, cujus hæc verba sunt: *Novi multos esse sepulcrorum, & picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates, & ebrietates suas deputent religioni.* Novos christianos invenisse in Ecclesia christiana homines, idest, martyres in Deos conversos, eisque cultum illum, quem antea Idolis suis detulisse, mera, licet non nova, Beausobrii calumnia est. Nunquam enim Ecclesia Christiana templis, aris, sacrificiis, sacerdotiis, victimis, adorationibus, quæ divini cultus insignia sunt, quibus Idola sua Pagani, martyres suos coluit, quos non Deos, ut sua Idola Pagani, sed sanctissimos homines, Deoque carissimos judicat, & judicavit. Ab hoc divino cultu erga martyres suos, non modo sapientiores Episcopi, sed christianus etiam populus semper abhorruit. Contra verò antiqui philosophi vel omnes, vel fere omnes Polytheistæ, idest, cultores fuerunt plurium Deorum. De Pythagora quidem omnium philosophorum principe, a quo philosophi nomen ad posteriores manavit hæc Augustinus testatur lib. 7. de Civ. Dei cap. 35. pag. 144. tom. 7.

Cultum, quem Idolis suis antea deferebant, novos christianos detulisse martyribus, mera Beausobrii calumnia est.

Cultu divino Deos suos antiqui Philosophi Pythagoras, Socrates, Plato, & Platonici colendos censuerunt.

tom.7. *Numa hydromantiam facere compulſus eſt, ut in aqua videret imagines Deorum, a quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atque obſervare deberet. Quod genus divinationis Varro a Perſis dicit allatum, quo & ipſum Numam, & Pythagoram poſtea philoſophum uſum fuiſſe commemorat, ubi adhibito ſanguine etiam inferos perhibet ſciſcitari*. Socrates, cujus ſanctiſſimos, ut inquit, mores Eraſmus admiratus, vix ſe continere potuiſſe, quin exclamaret, *Sancte Socrates*, Socrates, inquam, ut eſt apud Platonem primarium ejus diſcipulum, moriens mandavit, ut pro ſe Æſculapio Gallus immolaretur. De Platone autem, atque Platonicis hæc Auguſtinus litteris commendavit lib. 8. de Civ. Dei cap. 12. pag. 154. tom. 7. *Ex quibus* (Platonicis) *ſunt valde nobilitati Græci, Plotinus, Jamblicus, Porphyrius, in utraque autem lingua, ideſt, & Græca, & Latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, & ceteri ejuſmodi, & ipſe Plato diis plurimis eſſe ſacra facienda putaverunt*. Superſtitioſæ vero conſuetudines & exſecrabiles ebrietates jamdudum a Manichæis exprobratæ catholicis, & modo a Beauſobrio iterum decantatæ, non omnium chriſtianorum erant, ſed dumtaxat Afrorum, eorumque non omnium, nec doctiorum, nec ſapientiorum, nec honeſtiorum, ſed turpiorum, rudium, imperitorum. Has vero Manichæorum exprobrationes, quas Beauſobrius inſtaurat, reprimit Auguſtinus his verbis eodem loco: *Nolite nobis colligere profeſſores nominis chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes. Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quid promiſerint Deo*. Et paulo infra facta comparatione maximæ multitudinis Catholicorum cum paucitate magna Manichæorum ita proſequitur: *Nec mirum eſt in tanta copia populorum, quod non nobis deſint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, & a catholica ſalute avertatis, cum in veſtra paucitate magnas patiamini anguſtias*. Quod ad Eccleſiam Catholicam pertinet, illa profanas ſuperſtitiones nec unqnam probavit, nec probat, nec pro-

Cultus ſuperſtitioſus a quibuſdam dumtaxat Afris, quem Eccleſia reprobat, Martyribus exhibitus.

batu-

batura est, sed reprobat, damnat, castigat: *Nunc vos illud admoneo*, pergit Augustinus alloquens Manichæos, *ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet*. Hæc Manichæis Augustinus, sed & Calvinianis, in quos optime cadunt, dicta putemus.

XXVI. Miram novitatem in religioso cultu accidisse sæculo Ecclesiæ IV. affirmat Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 682. tom. 2. Primis enim, inquit, Ecclesiæ sæculis usque ad initium sæculi IV. christiani mortuorum cultum assidue exprobrarunt Paganis. Contra vero labente sæculo IV. Julianus Apostata illum ipsum mortuorum cultum exprobravit christianis. At Alexandrinus Cyrillus Juliani opus sexaginta annis, postquam editum fuerat, confutavit. Hæc autem verba Cyrilli sunt, qualia a Beausobrio citantur; *Nos non dicimus sanctos martyres Deos esse, non solemus eos adorare, scilicet cultu religioso, sed solum cultu affectionis, & honoris*. Nego novitatem ullam inductam esse a christianis in sanctorum martyrum cultu, qui in eodem semper statu permansit apud Catholicos a primo Ecclesiæ sæculo usque ad hæc nostra tempora. De sanctorum martyrum, eorumque reliquiarum cultu prioribus tribus Ecclesiæ sæculis usitato certissima & præclarissima monumenta dedi a numero XIII. usque ad numerum XVI. hujus Dissertationis. Christiani vero jure meritoque exprobrarunt Paganis cultum hominum mortuorum, quia tanquam Deos cultu divino colebant mortuos homines, dum viverent, flagitiosissimos, incestos, adulteros, latrones, crudeles, immanes, quales fuerunt Saturnus, Juppiter, Mars, Mercurius, Juno, Venus, cæterique dii, deæque Paganorum fere omnes. Contra vero christiani colunt religioso quidem, non autem divino cultu animas Sanctorum Martyrum, quæ cum Christo vivunt & regnant, pro quo vitam cum sanguine inter supplicia acerbissima profuderunt: *Qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sangui-*

In cultu Sanctorum Martyrum nulla facta est in Ecclesia novitas.

Cultu divino homines flagitiosissimos colebant Pagani. Sanctissimos martyres pio, non divino cultu colunt christiani.

ſanguine agni: ut dicitur Apoc.7. 14. Venio nunc ad Julianum Apoſtatam, & ad Sanctum Cyrillum Alexandrinum, quorum verbis abutitur Beauſobrius. Exprobrabat chriſtianis Julianus, quòd repudiatis diis ſuis immortalibus, unum quemdam hominem colerent, ſic Jeſum Chriſtum Filium Dei appellabat, & alios plures homines calamitoſos, tales erant apud Julianum martyres, miſera duræ legis, agreſtis, & barbaræ mancipia. Ecce verba Juliani apud Cyrillum Alexandrinum lib.6.contra Julianum pag.202. col.2, edit.Luteti: *Vos unum hominem potius colitis, & plures alios miſeros, eoſque legi duræ, agreſti, & barbaræ ſubditos*. Non reprehendit Julianus, quòd homines mortuos, ſed quòd homines miſeros, ſubjectos legi moriendi pro Chriſto, in ſuis Martyribus colant chriſtiani. Quid ad hæc Cyrillus? Audiatur ibidem pag.203. col.1. *Nos quidem Sanctos Martyres non Deos eſſe dicimus, neque adorare eos ſolemus cultu Latriæ, quod eſt manifeſtum, ſed cultu communionis, & honoris*. Non negat Cyrillus nos colere Sanctos Martyres Ευσεβῶς, cultu ſcilicet pio, & religioſo; ſed negat nos adorare martyres cultu Latriæ προσκυνεῖν λατρευτικῶς. De religioſo autem Sanctorum Martyrum cultu hæc præclariſſime ibidem Cyrillus declarat pag.204. col.2. *Nos autem, ut dixi, non dicimus Sanctos Martyres factos eſſe Deos; ſed illos omni reverentia venerari ſolemus, eorumque loculos honoramus*. Nec præclarioribus, nec proprioribus verbis, præ his quæ Cyrillus adhibet, ſignificari poterat religioſus Sanctorum Martyrum cultus. Infideli igitur interpretatione Beauſobrius male fidus interpres Sanctum Cyrillum interpretatur.

Cultu non divino, ſed religioſo Sanctos Martyres honotari a chriſtianis Cyrillus Alexandrinus contra Julianum apoſtatam docet.

XXVII. Fauſto objicienti Catholicis: *Idola vertiſtis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis*, Auguſtinus reſpondet lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. pag, 247. tom. 8. *Illo cultu qui Græce λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus niſi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam*

Ido-

Idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Optimam hanc Augustini responsionem Beausobrius vere ridendus irridet lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 682., & 683. tom. 2. Et primo quidem contumeliose reprehendit, Augustinum vix prima elementa linguæ Græcæ attigisse. Mox tres errores in Augustini verbis affirmat. 1. Quod dixerit Latriam significare cultum, qui divinitatis est proprius. 2. Quod adjunxerit, propter solum sacrificium Idolis oblatum Idololatriam appellari. 3. Quod objicienti Fausto a Catholicis Idolorum loco locatos martyres, votisque similibus honoratos, responderit, supremum sacrificii cultum, qui Deo supremo debetur, martyribus non deferri a Catholicis. Neque vero Pagani diis suis subalternis eundem cultum, quem Deo supremo, detulerunt. Pythagoras enim, Plato, Porphyrius, Hierocles optime segregarunt cultum supremi Dei a cultu ministrorum ejus, quique in supremum Deum redundabat. Hæc Beausobrius. Expendamus singula. Augustinus vix prima Græcæ linguæ elementa noverat. Audivimus Beausobrium. Audiamus modo Augustinum: *Homerus*, inquit, *mihi amarus erat puero. Credo etiam Græcis pueris Virgilius ita sit, cum eum sic discere coguntur, ut ego illum.* Hæc de seipso Augustinus lib. 1. Confes. cap. 14. num. 23. pag. 55. tom. 1. Cogebatur igitur Augustinus puer a suis Ludimagistris Homerum discere, Poetam Græcum intellectu perquamdifficilem. Ergo quamvis invitus puer & coactus perdiscendo Homero operam suam navabat. Qui igitur fieri potest, ut vix prima Græcæ linguæ elementa noverit? Præterea legit Augustinus senex, Græcum Epiphanii commentarium de Hæresibus, nondum latinitate donatum, ut constat ex ejus epistola ad Quodvultdeum 22.num.2. pag. 622. tom. 2. quo usus est libro de Hæresibus ad Quodvultdeum. Item Græcorum Patrum Græca volumina evolvit, e quibus Græce, & Latine contra hæreticos in suis opusculis sententias deprompsit. Denique in

Augustinum vix prima Græcæ linguæ elementa novisse, Beausobrii mendacium est.

in Auguſtini opuſculis frequens occurrit Græcarum vocum interpretatio, & plurium ſacræ ſcripturæ locorum reſtitutio ex Græcorum Codicum collatione. Mendacium igitur Beauſobrii eſt, Auguſtinum vix prima Græcæ linguæ elementa delibaſſe.

XXVIII. Venio nunc ad errores quos temere attribuit Auguſtino Beauſobrius. Ad primum dico, vox hæc Latria ex perantiqua Eccleſiæ inſtitutione & conſuetudine cultum ſignificat, qui divinitatis eſt proprius. Cum enim admodum diſpar atque diſſimilis cultus ſit, quo Deo, & quo Sanctis Angelis, beatiſque hominibus ſervitur, ad ſignificandam inæqualem hanc ſervitutem inſtituit Eccleſia, ut vocibus λατρεία, & λατρεύω ſingularis ea ſervitus ſignificaretur, qua ſoli Deo ſervitur: his autem vocibus δουλεύω, & δουλεία ſignificaretur ſervitus illa, quæ præſtatur beatis Angelis & hominibus. Quanquam conſuetudinem hanc apud ſcriptores etiam canonicos paſſim uſitatam reperio. Conſului Græcum Teſtamentum Novum. Quoties ſignificatur propria & ſingularis ſervitus, quæ ſoli Deo debetur, toties uſurpatam reperi Græcam vocem λατρεύω: contra vero, ubi ſermo eſt de ſervitute, quæ præſtatur rebus perſoniſque creatis, hæc ſemper ſignificatur voce δουλεύω, nunquam vero voce λατρεύω. Quinetiam animadverti uno eodemque loco, ubi bis ſervitus nominatur, primo hominibus, ſecundo Deo exhibenda: præſtandam hominibus voce δουλεύω; Deo exhibendam, voce λατρεύω ſignificari. Actor. 7. 7. Stephanus Judæos alloquens, prædictionem Dei factam ad Abraham commemorat, ex Lib. Geneſ. 15. 14. *Gentem cui ſervierint, judicabo ego, dixit Dominus; & poſt hæc exibunt, & ſervient mihi in loco iſto*. Ubi ſervitus, qua Hebræi in Ægypto ſervituri erant Ægyptiis, effertur voce δουλεύσωσι: Servitus vero, qua ſervituri Deo erant in Palæſtina, effertur voce λατρεύσωσι. Quod autem Auguſtinus dixerit, propter ſolum ſacrificium Idolis oblatum, Idololatriam appellari, alterum eſt Beauſobrii mendacium. Auguſtinus enim eo loco Fauſti calumniam refellens, nihil aliud dixit, niſi Sacrificium Idolis

Latria ex inſtitutione, & conſuetudine Eccleſiæ divinum cultum ſignificat.

Idololatriam dici ſacrificium Idolis exhibitum rectiſſime Auguſtinus docuit.

lis exhibitum Idololatriam esse, talemque ut est nominari. Quod est manifestum. Quod autem Augustinus accusationi Fausti non responderit, dicendo non deferri a Catholicis supremum sacrificii cultum martyribus suis, tertium est Beausobrii mendacium. Accusatio Fausti de Catholicorum Paganismo est hujusmodi: *Vertistis Idola in martyres, quos votis similibus colitis.* Hæc autem verba quid aliud significant, nisi, *Eo cultu martyres vestros colitis, quo Idola sua colunt Pagani?* Atqui certum exploratumque est, Paganos Idola sua, idest, Deorum suorum cujuscunque generis & ordinis simulacra, templis, aris, sacerdotiis, maxime vero victimis & sacrificiis coluisse. Ergo si hujusmodi cultum Catholici martyribus suis non deferunt, ut Augustinus hic & alibi passim demonstrat, ad falsam criminationem Fausti egregie responsum ab Augustino est. At Pythagoras, inquit, Plato, Porphyrius, Hierocles supremum sacrificii cultum diis inferioribus non detulerunt. Quid inde? Num quatuor isti Philosophi universitas Paganorum sunt. Quanquam Philosophorum omnium sanctissimus Socrates, qualis a philosophis posterioribus habitus est, Æsculapio minorum gentium Deo, Platone teste, post obitum suum Gallo litandum mandavit. Quod & Tertullianus confirmat lib. de Corona pag. 106. edit. Venet. verbis his: *Ego mihi* (ut comedam) *gallinacium macto, non minus quam Æsculapio Socrates.* Plato, Porphyrius, ceterique omnes Platonici, ut est apud Augustinum lib. 8. de Civ. Dei, cap. 12. pag. 154. tom. 7. *Diis plurimis esse sacra facienda putaverunt.* Pythagoram Hydromantia usum, ut in aqua facies Deorum videret, resque futuras divinaret, tradit Augustinus lib. 7. de Civ. Dei cap. 35. pag. 144. tom. 7. Quare verisimile admodum est, Pythagoram victimis Deos suos conciliasse sibi. De Hierocle Platonico idem statuendum est, quod de ceteris Platonicis, qui diis plurimis, Augustino teste, sacra facienda putaverunt.

Eo cultu Martyres a Christianis, quo Idola a Paganis coli temere Faustus objecit.

Cultu divino antiqui Philosophi minores etiam Deos coluerunt.

XXIX. Ut Vigilantio Beausobrius, ita Augustinus Hieronymo in quæstione de cultu sanctorum martyrum,

Contra cultum reliquiarum sanctarum antiquissimi hæretici nostræ ætatis hæreticis prolusserunt.

rum, eorumque reliquiarum consonat. Prolusit enim Beausobrio decem & quatuor Sæculis ante hæreticus Vigilantius, iisdemque calumniis, inurbanis jocis, atque scurrilitatibus, quibus Beausobrius, cultum sanctorum martyrum, eorumque cinerum, & tumulorum est insectatus. Audiatur S. Hieronymus lib. contra Vigilant. scripto anno 406. num. 1. pag. 387. tom. 2. edit. Veronen. *Exortus est subito Vigilantius, seu verius dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Dei spiritum, & martyrum neget sepulcra veneranda*. Quanquam, Hieronymo teste, Eunomius Vigilantio antiquior cultum sanctorum martyrum, eorumque miracula irrisit: *Rides*, inquit ibidem num. 9. pag. 395., *de reliquiis martyrum, & cum auctore hujus hæreseos Eunomio Ecclesiis Christi calumnias struis*. Quinetiam multo antiquiores Vigilantio hæreticos ejus hæresi prolusisse auctor est Hieronymus ibidem num. 9. pag. 395., & 396. quos Tertullianus sæculi secundi scriptor confutavit: *Scribit contra hæresim tuam*, inquit, *quæ olim erupit adversus Ecclesiam, ne in hoc quasi repertor novi sceleris glorieris, Tertullianus vir eruditissimus insigne volumen, quod Scorpiacum vocat, quæ olim appellabatur Caina hæresis: & multo tempore dormiens, vel sepulta a dormitantio suscitata est*. Calumniæ vero, irrisiones, scurrilesque joci a Vigilantio primum, deinde a Beausobrio usitati, sunt qui sequuntur. Hæc enim verba Vigilantii sunt apud Hieronymum ibidem num. 4. pag. 390. *Quid necesse est, te tanto honore, non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis? Prope ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum*. Item num. 9. pag. 395. *Ergone cineres suos amant animæ martyrum, & circumvolant eos, semperque præsentes sunt, ne forte si aliquis precator advenerit, absentes audire non possint?* Præterea admodum impie contra consuetudinem piam invocandi sanctos martyres, eorumque auxilium in rebus nostris adversis implorandi hæc ibidem evomit num. 7. pag. 392. *Dum vivimus, pro no-*

nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare nequiverint. Quid plura? Ad extremum ibidem num. 8. pag. 364. tanquam Idolorum cultum vituperat cereos accensos ad sepulcra martyrum, eorumque pervulgata miracula Vigilantius explodit.

XXX. Audivimus in Vigilantio Beausobrium; audiamus & contra Beausobrium, & contra Vigilantium Hieronymum. Ad objectam Martyrum apud catholicos adorationem, perinde ac si apud nos Martyres essent Dii, ibidem num. 5. pag. 391. respondet Hieronymus: *Quis, insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Ad explosas mortuorum martyrum preces, quibus pro suis clientibus Deo supplicant, hæc ibi Hieronymus num. 7. pag. 395. *Si Apostoli*, inquit, *& Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?* Ad vituperatos cereos accensos ad sepulchra martyrum, quos Pagani ad simulacra Deorum accendebant, num. 8. pag. 364., *Illud*, inquit, *fiebat Idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est*. Ad irrisa miracula martyrum, sic ab Eunomio, & Porphyrio mutuata Vigilantii argumenta convellit num. 11. pag. 397. *Signa, & virtutes, quæ in basilicis martyrum fiunt, forte in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præstigias dæmonum esse confingas; & non vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta*. Inveteratam vero, & universalem Ecclesiæ consuetudinem venerandi religioso cultu reliquias & cineres sanctorum martyrum confirmat Hieronymus, suæ, superiorisque ætatis exemplis, quibus Vigilantii audaciam coercet num. 9. pag. 395. *Male ergo facit Romanus episcopus, qui super mortuorum Petri & Pauli ossa veneranda offert Domino sacrificia; & tumulos eorum Christi arbitratur altaria; & non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui ingrediuntur basilicas mortuorum?* Item ibidem num.

Cultum reliquiarum sanctarum Hieronymus contra Vigilantium propugnat.

num. 5. pag. 391. *Ergo ſacrilegus fuit Conſtantius Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt?* Præterea eodem loco pag. 392., *Omnes epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed fatui etiam judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis?* Quam autem pio, religioſoque cultu ſanctos martyres Hieronymus revereretur, his declaravit verbis ibidem pag. 398. *Quando*, inquit, *iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore, & animo contremiſco*. Jam vero, ſatis ſuperque ſatisfactum arbitror mendaciis, fraudibus, contumeliis, & calumniis omnibus, quibus hactenus Beauſobrius cultum ſanctorum martyrum ab omni univerſalis Eccleſiæ memoria uſque ad hæc noſtra tempora uſurpatum, eorumque cultores, & defenſores vituperare, omnique ignominia afficere auſus eſt.

DISSERTATIO XIII.

De Beauſobrii mendaciis contra miracula, quæ in Catholica Eccleſia narrantur.

I. BEauſobrius ſibi optime conſcius nulla prorſus in Calviniana ſua ſecta, ut in hæreſibus ceteris, haberi miracula, ut notam hanc maxime inſignem, certiſſimamque veræ Eccleſiæ Catholicæ ab ea tollat, lib. 4. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 3. pag. 650., & 651. tom. 2. ſcurrilibus jocis, contumeliiſque ea miracula irridet, quæ plurima, Auguſtino teſte, lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. tom. 7., in Africa facta ſunt, patrocinio potiſſimum S. Stephani Protomartyris, cujus reliquiæ eò fuerant deportatæ, & in maxima veneratione, uti decebat, habitæ. Jam vero: Beauſobrius Calvinianus eſt homo: teſtamentum novum repudiare non poteſt. His igitur armis hominem impium aggredior.

Miracula, quæ in Eccleſia ſua futura Chriſtus promiſit impie Beauſobrius irridet.

Pro-

Promiserat Christus Dominus insignia miracula, quæ consecutura erant fidem eorum, qui in eum credituri erant, tanqnam certissimas exploratissimasque notas Ecclesiæ suæ, veræ fidei custodis, verbis his apud Marc. 16. 18. *Signa autem eorum, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Præterea Jo. 14. 12. futuris fidelibus suis miraculorum virtutem verbis his Jesus Christus promisit: *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Promissionem res ipsa consecuta est. De prodigiis, quæ per Apostolorum manus fiebant, hæc habentur Act. 5. 12. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.* De prodigiis factis per Stephanum, cum versaretur in terra, cujus modo regnantis in cælo temere negantur, ut mox videbimus, a Beausobrio prodigia, scriptum est Act. 6. 8. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Quoniam vero Beausobrius totus est in rejiciendis miraculis, quæ ad martyrum tumulos fiunt, ut eorum cultum religiosum explodat; aliàs vero ad testimonia nos revocat priorum trium Ecclesiæ sæculorum, conditionem accipiens, profero genuina, sincera, germanaque acta a v. c. Theodorico Ruinart in lucem edita Sanctorum Martyrum Epipodii & Alexandri, qui passi sunt anno Christi 178., in quibus hæc habentur num. 13. pag. 67. *Venerabilem locum religiosorum cultus servavit, & prodidit reverentia deducta per posteros, & virtutes plurimæ, quæ sanctorum potentiam prodiderunt. In locis illis mirabilia ista monstrantur, eiectio dæmonum; debilitatum curatio, restauratio sanitatum, quæ ita pene quotidiana, & iis mojora proveniunt, ut credulitas, etiamsi spontanea non fuerit, existentibus miraculis exigatur.* Rursum de miraculis ad tumulum sancti adolescentis & Martyris Symphoriani in persecutione M. Aurelii anno Christi 180., hæc in genuinis actis ejus continentur num. 8. pag. 71. *Martyr delatus ad fontem, qui extra publicum*

Miracula primis Ecclesiæ sæculis ad Martyrum tumulos facta demonstrantur.

campum est, & ibi in parva cellula sepultus, semper autem virtutibus se publicavit; itaut ipsis quoque Gentilibus ob miracula & sanitatum beneficia in maximo bonore ea tempestate baberetur. De miraculis ad tumulum S. Bonifacii martyris ineunte sæculo IV. martyrio coronati, hæc in pervetustis sincerisque actis ejus recensentur num. 15. pag. 254. *In quo etiam loco exuberant beneficia orationum Sancti Martyris usque in hodiernum diem, ita ut etiam dæmones expellantur, & omnes varias infirmitates repellit, quibus detinetur humanum genus.* Postremo miraculorum, quæ ab origine Christianæ Ecclesiæ per consequentes ætates usque ad hæc nostra tumpora in Catholica Ecclesia celebrantur, extant monumenta certissima cum apud Sanctos Patres, tum apud christianarum rerum Historicos. Quare si Calviniana secta, & ceteræ omnes hæreses, miraculis caret, certissima nota caret, qua vera & sincera Christi Domini Ecclesia ab omni falsa, & adulterina hæreticorum conjuratione secernitur, atque dignoscitur.

II. Sed jam me refero ad Beausobrium, ejusque scurriles jocos, & impios sales. Quidquid, inquit *loco* supra commemorato, Stephani reliquias tangebat, puluisculus ex reliquiarum arcula collectus, flores reliquiis admoti, puellæ tunica reliquiarum thecæ imposita, momento temporis, omnia miraculorum gravida fiebant. Jam vero ad scurrilitates impudentis scurræ, etsi non dignæ sint responsione, respondeo. De miraculis Christi Domini hæc inter cetera habemus Matth. 14. 16. *Obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* Item de femina illa, quæ fluxu sanguinis laborabat, Matth. 9. 20. dicitur, *Tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Cui Jesus, *Confide*, inquit, *filia. Fides tua te salvam facit. Et salva facta est mulier ex illa bora.* De miraculis quæ fiebant per Apostolum Petrum habemus Act. 5. 15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectalis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.*

Miracula, quæ ex contactu vestis Jesu Christi, utensilium Pauli, ex umbra Petri consecuta sunt, Beausobrii temeritatem demonstrant.

suis. De miraculis vero factis per Apostolum Paulum hæc narrantur Act. 19. 12. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*. Hæc non ad humanam, sed ad divinam pertinent fidem. Num ista irrisurus est impius miraculorum irrisor Beausobrius? Dicturusne est, ut de puluisculo, de floribus, de tunica, Stephani miracula irridens, Fimbria vestimentorum Christi miraculorum gravida erat? Gravida miraculorum erat umbra Petri? Erant miraculorum gravida sudariola, & subligacula Pauli? Quis non dico pius, non dico christianus; sed quis non nisi insanus hæc dixerit? Apud Catholicos miraculorum auctor & effector est Deus. Hinc de miraculis Pauli dictum est Act. 19. 12. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli*. Advocati nobis atque Patroni ad impetranda miracula Sancti Martyres sunt, ceterique immortales Patriæ beatissimæ cives. Ratio autem impetrandi miracula preces, obsecrationesque sunt, maxime vero certa, firma, & stabilis in Deum fides. Hinc frequentissimæ illæ Christi Domini testificationes ad eos, quibus impertiebat miracula, *Fides tua te salvum fecit: Fides tua te salvam fecit*. Jam vero, cum miracula, Jesu Christo sponsore, certissima insignia sint veræ ejus Ecclesiæ, eaque in nulla hæreticorum secta, sed in una Catholica Ecclesia contingant, nil mirum, si miracula, quæ plurima Augustinus narrat, Beausobrius tanquam aniles fabulas irridet; ne Calviniani probentur, longe a vera Christi Domini Ecclesia aberrare. At vero talium miraculorum non solum auditor diligens, sed etiam spectator certus Augustinus fuit, quæ & Mediolani, & Carthagine, & Hippone-Regio contigerunt, ut S. Doctor lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. libera voce confirmat. Itaque vel Beausobrius in negandis, vel Augustinus in narrandis miraculis mendax dicendus est. Avertat a nobis Deus, ut Augustinum in affirmandis miraculis mendacem dicamus. Mendacissimus igitur in negandis miraculis, quæ Augusti-

Miraculorum auctor Deus, impetratores martyres, modus hæc obtinendi fides,

Miracula sunt nota certissima veræ Christi Domini Ecclesiæ.

gustinus locupletissimus testis affirmat, dicendus est Beausobrius.

Miraculorum, quæ Augustinus narrat, certissimi, plurimique testes.

III. Inter miracula, quæ Augustinus ætate sua contigisse narrat, quædam sunt, quorum præsens testis ipsemet fuit. Præclarissimum illud est de cæco illuminato ad feretrum Sanctorum Martyrum Gervasii, & Protasii, quod Mediolani contigit, ubi tunc Imperator aderat, spectante ingenti populi multitudine. Sed Augustinus ipse audiatur commemorato lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. num. 2. pag. 501. tom. 7. *Miraculum*, inquit, *quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis est civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Gervasii & Protasii: quæ cum laterent, & penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt, ubi cæcus ille depulsis veteribus tenebris, lumen vidit*. Distinctius & enucleatius hoc miraculum narrat S. Doctor lib. 9. Confes. cap. 7. num. 16. pag. 118. tom. 1. de inventione corporum Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii scribens, ubi hæc habet: *Cum propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus, civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atque audisset, exsilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ ferventes*. Ecce tibi nova materia scurræ nostro Beausobrio ridendi miracula, quæ in Ecclesia Catholica fiunt, Sudarium contactu feretri, sustinentis corpora Sanctorum Martyrum, virtute fœtum pariendi miracula, ut de rebus Stephani reliquiarum attactu miraculorum fæcundis irrisit. Narrat præterea Augustinus eodem lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. num. 3. Innocentii viri primarii salutem, repente precibus a Deo impetratam ab diu-

diuturna fiſtula, qua laborabat, quæ ſubito evanuit, ſe, Alypio, Evodio Uzalenſi, Aurelio tunc diacono, mox Carthaginenſi epiſcopo, aliiſque præclariſſimis teſtibus præſentibus, atque ſpectantibus. Item eodem loco num. 22. pag. 506. narrat S. Doctor inſigne miraculum, quod Hippone contigit, ſe, frequentiſſimoque Hipponenſi populo præſente atque ſpectante ad altare in quo reliquiæ S. Stephani Protomartyris ſervabuntur. De quo hæc S. Doctor habet: *Unum eſt apud nos factum, non majus, quam illa quæ dixi, ſed tam clarum, atque illuſtre miraculum, ut nullum arbitrer eſſe Hipponenſium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui oblivisci ulla ratione potuerit.* Quod ad miraculorum multitudinem pertinet, quæ per Sanctum Stephanum a Deo in Africa facta ſunt, ubi monumenta plura reliquiarum ejus fuerant conſtructa, hæc S. Doctor habet commemorato lib. num. 20. pag. 506. *Si miracula ſanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim ſcribere, quæ per hunc martyrem, ideſt, glorioſiſſimum Stephanum, facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, ſed tamen de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis ſimilia divinarum ſigna virtutum etiam noſtris temporibus frequentari; & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum eſt autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit eſſe iſta memoria, & multis, quod nobis certiſſimum eſt, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter facta ſunt, illi ipſi qui dati ſunt, ad ſeptuaginta ferme numerum pervenerant, quando iſta conſcripſi. Calamæ vero, ubi & ipſa Memoria prius eſſe cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine ſuperant.*

Miraculorum mira multitudo ad tumulos reliquiarum S. Stephani.

IV. Jam vero miracula, quæ Auguſtinus narrat, non pervetuſta ſunt, ſed nuperrima, quæ eo ſuperſtite contigerunt; nec ea ex remotiſſimis locis incerta fama ad aures Auguſtini detulit; ſed quæ Mediolani, & Hippone, ubi aderat, facta ſunt, quorum interdum ſpectator ipſe fuit, & per univerſam Africam, quam inco-

Miraculorum, quæ Auguſtinus narrat, veritas demonſtratur.

incolebat, auditor assiduus: nec talium miraculorum mulierculæ, vel de infima plebe homines obscuri testes, sed præclarissimi, omnique fide dignissimi viri, ut Augustinus ipse, Ambrosius Mediolanensis, Evodius Uzalensis, Aurelius Carthaginensis, aliique plures episcopi, gravissimique presbyteri, denique Imperator Valentinianus II., qui Mediolani aderat, ubi repente cæcus ad corpora Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii lumen recepit: horum autem quamplures, quando hæc Augustinus in lucem edidit, adhuc erant superstites. Postremo Augustinus talia refert miracula in libris de Civitate Dei, quos contra Gentiles edidit, qui irruptionem Gothorum in Urbem, ejusque direptionem, & vastitatem, Alarico rege barbarorum & duce, anno 410., iratis tribuebant Diis, quod Imperatores christiani Idolorum cultum sustulerint. Occasio vero narrandi, quæ commemorato cap. 8. lib. 22. de Civ. Dei narrat miracula, Augustino fuit objectio illa Gentilium, quæ habetur initio commemorati capitis 8, *Cur*, inquiunt, *nunc illa miracula, quæ prædicatis* (per Apostolos) *facta esse, non fiunt*? Quibus, præter cetera, Augustinus respondit, *Etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes, vel Memorias Sanctorum ejus*. Mox recentissima miracula narrat, quæ Beausobrius vere ridendus irridet. Deinde sequenti capite 9. *Pro ista*, inquit, *fide mortui sunt* (Martyres), *qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur*. Sequenti vero capite 10. S. Doctor demonstrat quantum intersit inter præstigias dæmonum, quæ fiunt apud Gentiles, & miracula martyrum, quæ fiunt apud Christianos. Postremo contra Gentiles pro nostris martyribus sic concludit: *Credamus ergo eis & vera dicentibus, & mira facientibus. Dicendo enim vera passi sunt, ut possent facere mira*. Sed quorsum hæc? nimirum ut intelligatur, quousque, non dico temeritas, non dico impietas, sed quousque Beausobrii stultitia pervenerit.

Miracula, quæ Augustinus narrat temere, impie, & fatue Beausobrius explodit.

Tan-

Tanta in eo mentiendi libido fuit, ut non improbabilia quæcunque, sed incredibilia prorſus mendacia profuderit, quibus gregem ſuum Calvinianum paſceret, hiſque paſcuis deciperet. Credibilene eſt Auguſtinum ſcribentem contra Gentiles miraculorum inopiam objicientes chriſtianis, ficta & commentitia miracula eis venditaſſe, eaque plura & recentia, quæ in illis ipſis locis contigerint, in quibus frequentes aderant cum Chriſtianis Gentiles, eorumque miraculorum, præter Valentinianum Imperatorem, plurimos locupletiſſimos, præclariſſimoſque teſtes nominaverit, quorum plures adhuc erant ſuperſtites, qui de falſis miraculis apud ſe factis Auguſtinum certiſſime redarguiſſent? Hæc animadvertere Beauſobrius debuerat, ante quam miracula ab Auguſtino narrata tanquam fabulas aniles exploderet, ſi vel probitatis, vel pudoris umbram retinere voluiſſet.

V. Sed ad reliqua progrediamur. Beauſobrius, ut rejiciat miracula facta per reliquias S. Stephani in Africa, quorum teſtis eſt Auguſtinus, negat inventionem corporis Sancti Stephani, quæ innititur incertæ, ut ait, relationi Luciani Presbyteri, factum continenti, cujus falſitas & abſurditas omni, ut inquit, ex parte incurrunt in oculos. Cauſa autem potiſſima negandi hæc Beauſobrio eſt Hieronymi ſilentium, qui anno 415., cui tribuitur talis inventio, Bethleemi erat. Item ſilentium Socratis & Sozomeni, ſilentium denique Evagrii, qui Socrate, & Sozomeno poſterior fuit. Hæc Beauſobrius lib. 9. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 3. pag. 351. tom. 2. Jam vero, rejicit Beauſobrius tanquam rem fictam & commentitiam relationem Luciani preſbyteri de Inventione corporis Sancti Stephani. At non eam tanquam fictam & commentitiam rejicit Baronius, non Pagius, non Tillemontius, non Photius, non Gennadius, non Idatius, non Marcellinus Comes, non Beda, non Avitus, non Auguſtinus, non Maurini PP. qui ad calcem tom. 7. Operum Sancti Auguſtini ex Codice Floriacenſi quingentorum annorum Luciani epiſtolam ediderunt, quæ hanc inſcriptionem præſefert;

Stephani Protomartyris divinitus inventæ reliquiæ contra Beauſobrium demonſtrantur.

fert: *Epistola Luciani ad omnem Ecclesiam de revelatione corporis Stephani primi Martyris, & aliorum*: Non denique universa Ecclesia, quæ singulis annis III. Non. Aug. diem festum celebrat inventionis corporis Sancti Stephani. Hi omnes auctores certissimi, & locupletissimi testes sinceram & genuinam testantur relationem Luciani Presbyteri, quam Beausobrius incredibili temeritate tanquam fictam & commentitiam fabulam explodit. Gennadius quidem Presbyter Massiliensis scriptor sæculi V. lib. de Viris Illustr. cap. 46. hæc habet de Luciano: *Lucianus presbyter vir sanctus, cui revelavit Deus temporibus Honorii, & Theodosii Augustorum locum sepulcri, & reliquiarum corporis S. Stephani Martyris primi: scripsit ipsam revelationem ad omnium Ecclesiarum personas Græco sermone*. Idatius Episcopus, gente Hispanus, scriptor sæculi V. in Fastis Consularibus ad Consulatum Honorii X., & Theodosii VI., id est, anno 415., hæc posteritati mandavit; *His COSS. S. Stephanus primus Martyr revelatur S. Presbytero Luciano die* VI, *feria, quæ fuit* III. *Non. Decembr., in Jerosolymis, S. Joanne episcopo præsidente: & extant ex his gestis epistolæ supradicti presbyteri, & S. Aviti episcopi Bracarensis, qui tunc in Jerosolymis degebant*. De Avito Gennadius lib. de Viris Illustr. cap. 47. hæc literis commendavit: *Avitus presbyter, homo Hispanus genere, ante relatam Luciani presbyteri scripturam in latinum transtulit sermonem, & addita epistola sua per Orosium occidentalibus dedit*. Sed Avitus ipse audiatur, qui cum Orosio altero Hispano presbytero in Palæstina versabatur, quando divinitus Luciano presbytero sepulcrum S. Stephani Protomartyris commonstratum est. Is epistola ad Palchonium episcopum, Clerum, & plebem Bracarensem, quæ extat in Append. ad tom. 7. operum S. Augúst. edit. Maurin. pag. 2. hæc scribit: *Misi vobis per S. filium, & compresbyterum meum Orosium reliquias de corpore Beati Stephani primi Martyris.... Ut autem nulla possit esse dubitatio, ipsam ad vos subditam scriptis meis sancti presbyteri,* (nimirum Luciani) *cui hæc revelata sunt, epistolam conscriptionemque transmisi,*

misi, quam, me pro fide veritatis plenius cognoscendæ rogante & expetente, dictavit Græco primum sermone, sed per me postea in latinum versa est. De Orosio autem Gennadius lib. de Viris Illustr. cap. 39. hæc posteritati mandavit: *Hic est Orosius, qui ab Augustino pro discenda animæ ratione ad Hieronymum missus, rediens reliquias beati Stephani primi Martyris, tunc nuper inventas, primus intulit occidenti.*

VI. Postremo Augustinus Serm. 318., quem habuit ad populum Hipponensem anno 425., quo apud Hipponem cœpit esse Memoria Sancti Stehani, scilicet decem annis post inventionem corporis beatissimi Protomartyris, num. 1. pag. 886. tom. 5. his exorditur verbis, quibus relationem confirmat Luciani presbyteri: *Exspectat sanctitas vestra scire quid hodie in isto loco positum sit. Reliquiæ sunt primi & beatissimi Martyris Stephani Hujus corpus usque ad ista tempora latuit; nuper autem apparuit, sicut solent apparere sanctorum corpora martyrum, revelatione Dei, quando placuit Creatori. Sic ante aliquot annos, nobis juvenibus apud Mediolanum constitutis, apparuerunt corpora sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii Verum autem revelatum fuit ei, qui res ipsas inventas monstravit. Præcedentibus enim signis locus demonstratus est; & quomodo fuerat revelatum, sic & inventum est. Multi inde reliquias acceperunt, quia Deus voluit, & huc venerunt. Commendatur ergo caritati vestræ & locus & dies: utrumque celebrandum in honorem Dei, quem confessus est Stephanus. Nos in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo. Grata sunt Deo hujusmodi altaria.* At enim Hieronymus Bethlemiticus nullam relationem Romam transmisit rei admodum memorabilis. Fateor. At opus non erat, ut hæc Hieronymus scriberet, ne acta, ut dicitur, ageret. Noverat enim id factum esse a Luciano Presbytero Palæstino, qui sibi ignotus esse non poterat. Lucianus enim Ecclesias omnes de eo quod contigerat in Palæstina certiores fecerat. His enim exorditur verbis Encyclicas litteras suas ad omnes Ecclesis datas:

Stephani Protomartyris inventis reliquiis nihil obest Hieronymi, Socratis, Sozomeni, & Evagrii silentium.

 Lu-

Lucianus Sanctæ Ecclesiæ, & omnibus Sanctis, qui sunt in Christo Jesu in universo mundo salutem. Idipsum indicat Augustinus verbis illis Tract. 120. in Jo: num. 4. pag. 586. tom. 3. *Quod certe modo*, inquiens, *in revelatione corporis beatissimi Stephani omnibus gentibus declaratur*. At Socrates & Sozomenus nullam mentionem faciunt facti maxime insignis. Quid tum? Num duorum scriptorum silentium vocibus clarissimis prævalet tot tantorumque auctorum, quos supra produxi, quorum plures ea ipsa ætate, atque eo ipso loco, quo hæc contigerunt, manebant? Fortasse Socrates & Sozomenus silentio præterierunt factum, quod notissimum erat omnibus, & in maxima celebritate erat apud omnes Ecclesias, cujus memoriam deleri non posse putabant. At tacet Evagrius Socrate atque Sozomeno posterior. Quid inde? Necessario tacet. Evagrius enim scriptor sæculi VI. Ecclesiasticam Historiam suam sex libris comprehensam exorsus est ab anno Christi 431., idest ab Ephesina Synodo. Quî igitur fieri potuit, ut Evagrius narraret rem, quæ sexdecim annis præcesserat annum 431., quem annum initium esse voluit historiæ suæ? Sed hæc hactenus de Beausobrii mendaciis atque calumniis contra miracula, quæ, sponsore Christo, in ejus Ecclesia fiunt, facta, & futura sunt, tanquam signa certissima veræ ejus Ecclesiæ.

DISSERTATIO XIV.

De Beausobrii mendaciis contra vitam, & mores Catholicorum Sæculi V.

I. Faustus apud Augustinum lib. 20. cap. 4. pag. 327. tom. 8. hæc ætatis suæ, idest, sæculi V., Afris catholicis exprobrat. *Solemnes Gentium dies cum ipsis celebratis, ut Kalendas. & solstitia: De vita certe mutastis nihil*. Accusationem Fausti approbat, & ratam habet Manichæorum Patronus Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 687., & 688. tom. 2. Cum autem ad primam accusationis partem nihil omnino

nino Augustinus responderit, silentium hoc S. Doctoris Beausobrius temere interpretatur pro accusatione evidenter vera, quæ negari omnino non potuit. Contra ego Augustini silentium interpretor pro accusatione evidenter falsa; & idcirco qualibet responsioue indigna. Si divinare licet, arbitror Faustum verbis illis, *Solemnes gentium Dies cum ipsis celebratis, ut Kalendas, & Solstitia*, Exprobrasse Catholicis Kalendas Januarias, quibus Gentiles solemnia Jani & Junionis, item Jovis & Æsculapii in Insula Tyberina celebrabant; catholici vero Kalendis iisdem diem Festum Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi celebrabant, & celebrant. Solstitia vero a Fausto catholicis exprobrata suspicor esse solstitium hibernum quo a catholicis nativitas Domini Jesu Christi, a Gentilibus vero Lararia celebrabantur. Sed conjecturis omissis ad Augustini silentium me refero, cui tota innititur Beausobrii calumnia. Profecto Augustinus solitus reprehendere omnia suorum Afrorum vitia, omnesque superstitiones, nunquam, & nuspiam in libris suis de Gentilium Kalendis, nec de Gentilium solstitiis ab eis celebratis Afros suos reprehendit. Itaque hoc Augustini silentium certissimum argumentum est Augustini ætate Afros catholicos, nec Gentilium Kalendas, nec Gentilium solstitia, nec solemnes Gentilium dies cum eis celebrasse. Præterea Augustinus rogatus a Carthaginensi Diacono, & Catechista Deogratias, ut sibi mitteret exemplum cohortationis habendæ ad Neophytos, qui ad Ecclesiam venerant, qua admonitione revocarentur a præteritis vitiis, & superstitionibus, Sanctus Doctor in expetitæ cohortationis exemplo ad Deogratias misso, nec unum quidem verbum habet de cavendis solemnibus Gentilium diebus, deque eorum Kalendis, atque solstitiis. Hæc enim sunt quæ reprehendit in multis Afris catholicis, a quibus ut sibi caveat novus omnis christianus his verbis cohortatur lib. de Catechizandis rudibus ad Deogratias cap. 25. num. 48. pag. 213. tom. 6. *Multos visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligan-*

Festi Guntilium dies a christianis V. sæculi celebrati, Fausti, & Beausobrii calumniæ sunt.

 tes,

tes, præcantatoribus, & mathematicis, vel quarumque impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversurus etiam es, quod illæ turbæ impeleant Ecclesias per dies festos christianorum, quæ implent theatra per dies solemnes Paganorum. Inter Paganas superstitiones ab Augustino in Catholicis suis Afris commemoratas, hoc loco, ubi maxime opus erat, ne verbum quidem de Paganorum Kalendis, atque solstitiis ab Afris Catholicis celebratis.

Ex festis Gentilium diebus a quibusdam christianis secundi sæculi celebratis, non sequitur eosdem dies festos a christianis quinti sæculi celebratos esse.

II. At Tertullianus, inquit Beausobrius, christianis sæculi II., quo ipse floruit, exprobrat Saturnalia, Januaria, Brumalia, Matronalia. Hæc enim habet lib. de Idololatria cap. 14. pag. 94. de suis Afris christianis: *Nobis, quibus sabbata extranea sunt, & neomeniæ, & feriæ a Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur.... O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solemnitatem christianorum sibi vendicat? Non dominicum diem, non Penthecosten, etiamsi nossent, nobiscum communicassent, timerent enim, ne christiani viderentur. Nos, ne ethnici pronuntiemur, non veremur.* Ecce tibi ridiculum Beausobrii argumentum. Christiani secundi sæculi, Tertulliano teste, solemnes Gentilium dies celebrabant. Ergo, etiam christiani quinti sæculi eosdem Gentilium dies celebrabant. Christiani plures, qui sæculo primo a Judaismo venerant ad Ecclesiam, reliquias quasdam veteris religionis retinuerunt; quemadmodum christiani non pauci secundi sæculi, Tertulliano teste, ad Ecclesiam a Gentilitate venientes reliquias quasdam præteritæ superstitionis conservarunt. Num idcirco infamanda est Ecclesia primi & secundi sæculi, quam tamen Beausobrius ad vituperandam Ecclesiam sæculi quinti sæpenumero summis laudibus in cœlum effert? Num, auctore Beausobrio, statuendum est sæculi quinti christianos, Mosaicas institutiones, & Gentilium superstitiones coluisse, quia his indulgebant primi & secundi sæculi novi christiani? Reliquias Gentilitatis Catholica Ecclesia, nec modo probat, nec probavit unquam, nec unquam est probatura, quam-

vis

vis obtinere statim non potuit, ut reliquiæ hujusmodi primo subitoque ictu præciderentur. At Faustus, inquit eodem loco Beausobrius, umbram ipsam Idololatriæ timebat. Ille nimirum Faustus, qui cum suis Manichæis Solem & Lunam utpote ex pura Dei natura, resque omnes, utpote partes ex Dei natura constantes, ut loco suo demonstratum est, cultu divino adorabat. Is, inquam, Faustus, Beausobrio auctore, umbram ipsam Idololatriæ timebat.

Idololatriæ umbram ipsam timuisse Faustum mendacium Beausobrii est.

III. Vitam & mores Catholicorum sæculi v. nihil discrepare a Paganorum moribus atque vita, quæ Fausti calumnia est, Beausobrius confirmat lib.9. Histor. Dogmat. Manich. cap.5. pag.700. tom2. Quod ut suadeat, testem producit Salvianum Massiliensem presbyterum, sæculi v. scriptorem, qui lib.8. de Gubernatione Dei pag.268. edit. Rittersh.anno 1611. Africanos ætatis suæ, idest, sæculi v., quo Augustinus floruit, vitiis omnibus ceterarum nationum, sine ullis earum virtutibus, inquinatos corruptosque fuisse, his verbis testatur: *Adeo exclusa originalis naturæ sinceritate, aliam quodammodo in his naturam vitia fecerunt. Exceptis enim paucissimis Dei Servis, ubi non omnia execratione digna? Gothorum perfida gens, sed pudica; Alanorum impudica, sed hospitalis; Saxones crudelitate efferi, sed minus perfidi, Franci mendaces, sed castitate venerandi.... Impuritas eorum, atqur blasphemiæ his admiscenda non sunt, quia illis, quæ supra diximus, aliarum gentium vitia, in his autem sua ipsorum vicerunt.* Ad hæc respondeo. Salvianus octo illis de Gubernatione Dei libris, ut demonstret Dei æquitatem in barbarorum ætatis suæ irruptione, & universi fere Romani Imperii vastitate, & direptione, atque christianos ætatis suæ a vitiis deterreat, vehementissime invehitur non in solos sæculi v. Africanos, sed in Romanos, in Gallos, in Hispanos, quin etiam in universos Catholicæ Ecclesiæ christianos, quorum omnium flagitia, æstu quodam declamatorio abreptus, non modo acriter & acerbe insectatur, verum etiam præter modum exaggerat. Exempla quædam effervescentis ejus in chri-

Catholicorum sæculi v. vitam & mores, nihil discrepasse a Paganorum moribus, atque vita Fausti & Beausobrii calumniæ sunt.

Salvianus scriptor sæculi v. non in solos Afros, sed in omnes fere Catholicos præter modum, declamatorio æstu quodam invehitur.

christianos omnes declamationes exhibeo. Lib. 3. pag. 59. edit. Balut. de Universa Ecclesia, deque christianis omnibus talia profundit: *Ipsa Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud quam exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus christianorum, quam sentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies in Ecclesia, non aut ebriosum, aut belluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganconem, aut latronem, aut homicidam, & quod his omnibus pejus est prope hæc cuncta sine fine?* Quid autem de Gallis efferat Salvianus Gallus lib. 7. pag. 155., & sequentibus, audiat Beausobrius pariter Gallus: *In omnibus,* inqnit, *Galliis, sicut divitiis primi fuere, sic vitiis. Nusquam enim improbior voluptas, nusquam inquinatior vita, nusquam corruptior disciplina ... Quid dicam de lupanaribus, minoris quippe criminis, etiam lupanar puto Apud Aquitanos, quæ civitas in locupletissima ac nobilissima sui parte non quasi lupanar fuit? Quis potentum ac divitum non in luto libidinis vixit? Quis non se barathro sordidissimæ colluvionis immersit? Quos conjugi fidem reddidit? ... Quis Aquitanorum divitum non hoc fuit? Quem non sibi ancillæ impudicissimæ aut adulterum, aut maritum jure dixerunt?* Nec clementiorem se, nec moderatiorem exhibet cum Hispanis Salvianus, de quibus hæc habet ibidem lib. 7. pag. 160. *Sed forte hoc in Aquitanis tantum? Transeamus etiam ad alias mundi partes, ne de solis tantummodo Gallis dixisse videamur. Quid? Hispanias nonne vel eadem, vel majora forsitan vitia perdiderunt?* Postremo in Romanos facta comparatione cum Gothis, sic acerbe & immoderate Salvianus ibidem invehitur: *Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum: soli inter eos præjudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani ... Impudicitiam nos diligimus, Gothi exsecrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen, atque discrimen est, apud nos decus ... Putamus nos posse salvos esse, quando omnis impuritatis scelus, omnis impudicitiæ turpitudo a Romanis admittitur, & a barbaris vindicatur.*

eur? Hic nunc illos requiro, qui meliores nos putant esse, quam barbaros dicant, quid horum vel paucissimi Gotbi faciant, vel quid non horum Romani omnes, vel pene omnes. Objurgatio igitur perquam acerba Salviani nec intra terminos moderationis se continet, nec singularis est contra solam Africam, ut Beausobrius contendit, sed universum Romanum Imperium, Universamque Ecclesiam uno eodemque declamatorio jure comprehendit. Profecto ceteri illius ætatis scriptores, haud hanc nobis exhibent Ecclesiæ Catholicæ, labente sæculo quinto, faciem.

IV. Plane Augustinus, sæculi v. scriptor, longe aliam ab ea, qua Faustus & Beausobrius atris coloribus pingunt, formam Carholicæ Ecclesiæ, qualis erat ætate sua, nobis exhibet. Duos edidit Augustinus libros, quorum alter *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, alter *De Moribus Manichæorum* inscribitur. Causa autem commemoratos libros scribendi ea fuit, quam ipsemet lib. 1. Retract. cap. 7. pag. 6. tom. 1. his verbis declarat: *Jam baptizatus cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa & fallaci continentia, vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos veris christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum De moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterum De moribus Manichæorum.* Jam vero Augustinus libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, qualis erat ætate sua, nimirum sæculo quinto a numero 65., ubi sic exorditur: *Accipite Manichæi perfectorum christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantum, sed etiam capessanda visa est, mores, & continentiam singularem*, usque ad numerum 78, exhibet præclarissima integerrimæ vitæ, morumque sanctissimorum exempla in infinita fere multitudine catholicorum hominum ex omni genere, institutione, ordine, & conditione. Recenset ingentis multitudinis Anachoretas, Cænobitas, Feminas Deo devotas, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Laicos christianis virtutibus, sanctissimisque moribus præstantissimos. De Anachoretis sæculi v. narrat infinitam fere christianorum hominum multitudinem

Catholicæ Ecclesiæ sanctitas, qualis esset Augustini ætate, eodemque teste declaratur.

nem per Ægyptum præsertim, totumque Orientem dispersam, qui ab omni frequentia & societate hominum segregati per diem, & noctem in Dei contemplatione assidui vigilabant, abstinentissimam agentes vitam, solo pane constituto tempore sibi delato, solaque aqua ad Solis occasum contenti. De Cænobitis in communem sanctissimamque vitam congregatis, agrosque incolentibus, refert horum tria, hisque plura hominum millia sub uno omnium Patre, & Moderatore vitam agentes suam, seque in labore, patientiaque animi & corporis exercentes, tenui victu, cultuque vix necessario utentes, in edomandis vitiis, christianisque virtutibus excolendis occupati, atque ab omni humanarum rerum cura remoti soli Deo vacabant, atque angelicam potius, quam humanam vitam agèbant. His S. Doctor adjungit feminas Deo devotas, easque plurimas, quæ a religiosis viris domicilio & societate sejunctæ, communem, piam, castissimamque vitam traducebant, lanificio corpus, pietate animum sustentantes. Narrat præterea S. Doctor se vidisse Mediolani & Romæ diversoria plurimorum hominum plena, qui uni presbytero omnes obtemperabant, hique christiana caritate, sanctitate, & pietate præstantes, qui, ne cuiquam oneri essent ad exemplum Pauli Apostoli labore manuum suarum sobrium parcumque victum sibi quærebant, Hos incredibilia fere jejunia servare solitos narrat ita, ut perpetuum triduum, atque etiam quatriduum sine ullo cibo, & potu transigerent. Neque admirabilem hanc abstinentiam solis viris, sed feminis etiam plurimis esse communem, quæ remotæ a viris, communi contubernio una habitantes, lana, telaque victitabant, quibus præerant probatissimæ quædam, & spectatissimæ feminæ in instituendis, componendisque christianis moribus, tradendisque christianis doctrinis, atque virtutibus apprime peritæ, atque optime comparatæ. Postremo narrat multos se cognovisse Episcopos, Presbyteros, Diaconos, viros optimos atque sanctissimos, singulari virtute præditos, qui in extirpandis populi vitiis, reformandis moribus, revo-

can-

canda pietate, tradendaque ſana doctrina, egregiam, aſſiduamque operam ſuam collocabant.

V. Quibus narratis, ad Manichæos Auguſtinus converſus lib. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34. num. 74. pag. 531. tom. 1. *Iſtis*, inquit, *ſi poteſtis obſiſtite, iſtos intuemini, iſtos ſine mendacio, ſi audetis, & contumelia nominate: iſtorum jejuniis veſtra jejunia, caſtitati caſtitatem, veſtitum veſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, caritatem denique caritati, & quod res maxime poſtulat præcepta præceptis conferte*. At Secundinus, inquit Beauſobrius lib. 9. Hiſtor. Dogmat. Manich. cap. 12. pag. 788. tom. 2., confidenter affirmat maxima eſſe cum Romæ, tum alibi catholicorum vitia, libidines, & clandeſtina flagitia, maxime feminarum, quæ aperire veretur, ne cognoſcentibus offendiculo ſint atque exemplum peccandi. Hæc enim habet epiſtola ad Auguſtinum num. 4. pag. 371. tom. 8. *Sed vereor clandeſtina eorum publicare, ne ab aliis ordita crimina geminentur*. At quis eſt Secundiuus iſte? nimirum obſcurus quidam Manichæorum Auditor, imperitus, illiteratus, ignarus, qualem ſe prodit in ea miſeranda ad Auguſtinum epiſtola. Eo autem loco Secundinus deplorat, & admodum pueriliter ætatis ſuæ vitia, quorum facit auctorem diabolum: nec ea ſingularia eſſe catholicorum vitia, nec ſingularis ullius nationis, & gentis, ſed multitudinis eſſe propria affirmat. Præterea Beauſobrins loco ſupra commemorato ſcribit, Auguſtinum, quamvis curaverit, vindicare Catholicos a vitiis, quæ ipſis Manichæi exprobrabant, tamen re ipſa cum Manichæis interdum conveniſſe de malefactis Catholicorum, quod his verbis S. Doctor ſignificat lib. 1. de Gen. contra Manichæos num. 41. pag. 491. tom. 1. *Hujus autem ætatis quaſi veſpera, quæ utinam nos non inveniat, ſi tamen nondum cæpit: illa eſt, de qua Dominus dicit, putas enim veniens filius hominis inveniet fidem ſupra terram?* Ad hanc ineptiſſimam Beauſobrii animadverſionem dico, eo loco Auguſtinum explicare allegorice ſeptem dies, qui in rerum omnium creatione libro Geneſeos numerantur,

Catholicæ Eccleſiæ ſanctitas ſæculo v. vindicatur ab accuſationibus Secundini, & a calumniis Beauſobrii.

 diem-

diemque ſeptimum interpretari de ſeptima & ultima ætate mundi, in qua, atrociſſime perſequente Antichriſto, fidelium fides maxime periclitabitur, de hac ætate Auguſtinus dicit, *Quæ utinam nos non inveniat, ſi tamnn nondum cæpit*. Hæc autem extrema verba, more ceterorum Patrum, ſacrorumque oratorum, ſcripta ab Auguſtino ſunt ad revocandos fideles a malefactis, ad eos deterrendos a vitiis ſalutaremque timorem his incutiendnm. Quid? ſæculo v. ætas illa cæpit, in qua filius hominis veniens, vix fidem inveniet ſuper terram, Auguſtini interprete Beauſobrio, ſæculo v., excluſis ab eo Catholicis, ut & omnibus infidelibus, vera fides in illis dumtaxat Manichæis erat? idque, ſi fides habenda Beauſobrio eſt, ipſomet Auguſtino auctore, qui in ſuis contra Manichæos libris aſſiduus eſt in vituperanda impia, & obſcena Manichæorum doctrina, flagitioſa vita, perditiſſimiſque moribus? Quibus omnibus diſputatis, conſtat de Beauſobrii fraudibus, & mendaciis contra vitam & mores Catholicorum ſæculi v.

DISSERTATIO XV.

Beauſobrii mendacia de boneſta vita, boneſtiſque moribus Manichæorum ſæculi v.

I. MAnichæos ætate Auguſtini, opinione communi, maxime vero ſacta cum Catholicis comparatione, habitos fuiſſe homines ſanctos affirmat Beauſobrius lib.9. Hiſtor.Dogmat.Manich. cap.12. pag.788. tom.2. idque confirmare nititur auctoritate Auguſtini, qui lib. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ cap.1. num.2. tom.1. de Manichæis inquit, *Vitæ caſtæ, & memorabilis continentiæ imaginem præferunt*. Ad hæc reſpondeo, Certum eſt non modo Auguſtini ætate, ſed præteritis etiam, atque ſequentibus ætatibus, atque etiam facta comparatione cum nequioribus, Manichæos habitos ſemper fuiſſe tanquam omnium nequiſſimorum hominum nequiſſimos. Tales habiti ſunt a Diocletiano, & Maxi-

Manichæorum vita & mores in omni eorum ætate perditiſſimi.

Maximiano Herculeo, etsi impiis Principibus, qui sex & viginti annis ante indictam ab eis contra christianos persecutionem ad Julianum Africæ Proconsulem tale decretum anno 287. dederunt: *Manichæos audivimus, eos nuperrime, veluti nova inopinata prodigia, in hunc mundum de Persica adversaria nobis gente progressa, vel exorta esse; & multa facinora ibi committere. Jubemus auctores quidem ac principes, una cum abominandis scripturis eorum, severiori pœnæ subjacere, itaut flammeis ignibus exurantur... Siqui ad hanc inauditam, & turpem, atque per omnia infamem sectam vel doctrinam Persarum se transtulerunt, eorum patrimonia fisco nostro associari facies*. Laudat Diocletiani & Maximiani contra Manichæos decretum christianus, piusque Imperator Valentinianus III. Novella sua, ubi impias obscenasque Manichæorum turpitudines his narrat verbis: *Superstitio Paganorum quoque damnata temporibus, inimica publicæ disciplinæ, & hostis fidei christianæ ad excidium sui clementiam nostram non immerito provocavit. Manichæos loquimur, quos exsecrabiles, & toto orbe pellendos omnium retro principum statuta judicarunt. Nec dissimulationem crimina nuper detecta patiuntur. Quæ enim, & quam dictu audituque obscena in judicio beatissimi Papæ Leonis coram Senatu amplissimo, manifesta eorum confessione patefacta sunt? Adeout eorum, qui diceretur Episcopus & voce propria proderet, & omnia scelerum eorum secreta perscriberet, quod notitiam vestram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tam detestandam divinitatis injuriam, & impunitum relinquere scelus, quo non solum corpora deceptorum, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur... Neque aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota, vel pudenda committit*. Tales habiti sunt Manichæi, nimirum tanquam nequissimorum omnium nequissimi, a Theodosio minore, qui anno 428, tale decretum contra Manichæos evulgavit: *Qui ad imam usque nequitiam pervenerunt Manichæi, nusquam in Romanum locum conveniendi, morandique habeant facultatem. Manichæi etiam*

de civitatibus pellendi, & ultimo supplicio tradendi, quoniam bis nihil relinquendum loci est, in quo ipsis quoque elementis fiat injuria. Tales denique habiti sunt Manichæi Augustini ætate ab universo populo Carthaginensi, ab Africanis Episcopis, quin etiam ab universa Africa in duobus publicis, legitimis, solemnibusque judiciis, Carthagine habitis, quorum alteri Augustinus interfuit, considentibus non paucis Episcopis apud Ursum Tribunum, ubi exsecranda, atque teterrima Manichæorum mysteria patefacta sunt. Ecce tibi qualis non modo ætate Augustini, sed præcedentibus, & consequentibus etiam ætatibus habiti sunt Manichæi. At non dissimulat Augustinus, inquit Beausobrius, Manichæos universo mundo illusisse specie & imagine vitæ castissimæ, & admirabilis continentiæ, Sed cujusnam castitatis? cujusnam continentiæ? nimirum obscenissimæ, si dicere licet, castitatis, qua se continentes a nuptiis, ne liberos procrearent, turpissimis libidinibus, adversante & repugnante natura, indulgebant: nimirum voracissimæ continentiæ, qua se continentes a vino & carnibus, tanquam naturæ malæ, cibis ceteris incredibili voracitate se ingurgitabant, ut partes æternæ naturæ bonæ a partibus æternæ naturæ malæ ructando & digerendo separarent. Ad exemplum abstinentiæ Electorum propriæ, hæc sunt, quæ narrat, eisque exprobrat Augustinus lib. de Morib. Manich. cap.16. num.58. pag.547. tom.1. *Distenti, & prope crepantes, eos, qui sub vestra disciplina sunt, pueros ad devoranda reliqua crudeli dominatione compellitis: ita ut cuidam sit Romæ objectum, quod miseros parvulos cogendo ad vescendum tali superstitione necaverit.*

Manichæi fallacem castitatis, & continentiæ speciem præseferebant.

II. Ut sanctissimam Manichæorum vitam, honestissimosque mores ab Augustini accusationibus Beausobrius vindicet, lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap.12. pag.789., & 790. tom.2. Fausti verba transcribit apud Augustinum lib. 5. contra Faustum cap.1. pag.139. tom.8. quibus Manichæorum episcopus Faustus de vita, & moribus suis hæc prædicat, *Ego patrem dimi-*

dimisi, & matrem, uxorem, filios, & cetera, quæ Evangelium jubet . . . Ego argentum, & aurum rejeci, & æs in zonis habere destiti, quotidiano contentus cibo, nec de crastino curans, nec unde venter impleatur, aut corpus operiatur solicitudinem gerens . . . Vides in me beatitudines illas, quæ Evangelium faciunt . . . Vides pauperem, vides mitem, vides pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutiones, & odia sustinentem propter justitiam. Turpissime de seipso, deque virtutibus suis, falsis præsertim prædicat Faustus, & cum irrisione legentium imitatur militem gloriosum; nec minori turpitudine talem prædicationem laudat Beausobrius. Vanam Fausti, ceterorumque Manichæorum jactantiam, qua se tanquam christianos perfectissimos, omnibusque cumulatos laudibus venditabant, hac narratione S. Doctor demonstrat commemorato contra Faustum libro 5. pag. 142. *Adhuc in rebus humanis est ille Constantius* (olim Manichæus) *modo jam frater noster catholicus christianus, qui multos vestrum Romæ in domum suam congregaverat propter implenda præcepta Manichæi, satis quidem vana & inepta, sed tamen quæ magna existimatis: quibus cum infirmitas cederet, dispersi estis quisquis in viam suam. Unde illi, qui in eis perdurare voluerunt, a vestra societate schisma fecerunt: & quia in mattis* (in storeis) *dormiunt, Mattarii appellantur: a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Fausti, & caprinæ lodices, qua deliciarum affluentia, non solum Mattarios fastidiebat, sed etiam domum patris sui pauperis Milevitani*. Quibus narratis sic S. Doctor concludit contra fictam & simulatam a Manichæis probitatem vitæ, atque morum: *Auferte ergo perditam simulationem, si de moribus non vultis, saltem de litteris vestris, ne lingua vestra cum vita vestra mendacibus verbis pugnare videatur*. Sequenti vero cap. 7. prædicatas a Fausto putidas & pueriles sanctitatis, virtutumque suarum laudes his verbis S. Doctor irridet: *Si hoc esset justum esse, justificare seipsum, verbis suis volasset in cælum homo iste, cum hæc loqueretur, sed ego in delicias Fausti non invehor, notas omnibus Auditoribus Manichæorum, & eis maxime, qui sunt;*

Fausti & Manichæorum de virtutibus suis falsam ostentationem Augustinus coercet.

sunt Romæ talem propono Manichæum, qualem Constantius requirebat, cum illa præcepta exigebat impleri, non qualem videri nolebat.

Manichæorum tria decantata signacula oris, manuum, & sinus, turpia & nefaria ab Augustino contra Beausobrium demonstrantur.

III. Tria Electorum signacula, ab eis decantata, summis laudibus in cœlum effert Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 12. pag. 791. tom. 2., quorum primum signaculum oris, alterum signaculum manuum, tertium signaculum sinus nominabant. Hæc autem tria Electorum signacula more suo temere Beausobrius interpretatur, primum de temperantia oris a cibis verbisque vetitis, alterum de continentia manuum a malefactis, tertium de custodia sinus, seu animi a malis cogitationibus & voluptatibus. Facta autem comparatione trium apud Electos signaculorum cum tribus Monachorum votis, longe præstare tria Electorum signacula tribus Monachorum votis decernit. Jam vero de tribus Electorum signaculis non mendax Beausobrius, sed verax Augustinus auctor est adhibendus, qui ad trutinam revocans tria hæc decantata ab Electis signacula lib. de Morib. Manich. cap. 10. num. 19. pag. 538. tom. 1., *Nunc videamus*, inquit, *tria illa signacula, quæ in vestris moribus magna laude ac prædicatione jactatis. Quæ sunt tandem ista signacula? Oris certe, & manuum, & sinus.* Mox nulla hæc religionis & honestatis, sed omnia superstitionis & turpitudinis signacula esse demonstrat. Et primo quidem propter exsecrandas, quas proferunt, de Deo sententias, nullum in eis esse signaculum oris his verbis ostendit libro commemorato cap. 11. num. 20. pag. 539. Hæc enim sunt, quæ ex eorum sacrilega fabula consequuntur: *Non corruptibilem tantum Deum dicitis, sed corruptum; nec commutabilem, sed commutatum; nec violabilem, sed violatum; nec qui possit indigentiam pati, sed indigentem; nec in quem casura sit, sed in quem ceciderit imbecillitas; nec qui miser esse possit, sed miserum. Animam quippe Deum esse dicitis, vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non sit, quæ pars Dei dicitur.* Quod si oris signaculum in eo constituant Electi, ut re vera constituebant, quod a carnibus & vino se continerent,

nerent, & hoc vitiosum esse Augustinus his verbis ibidem declarat cap. 13. num. 27., & 28. pag. 540. *Nisi forte quod non vescimini carnibus, & vinum non bibitis, signaculum oris mirandum, & laudandum putatis. Si ergo parcimoniæ gratia, & coercendæ libidinis, qua escis talibus & potu delectamur & capimur, audio & probo: sed non est ita*. Quorsum igitur Electorum hæc abstinentia? nimirum quia vinum & carnes res malas natura sua esse sentiebant, quæ comedentis animam inquinarent, maxime vero vinum, quod fel esse principum tenebrarum arbitrabantur. Audiatur S. Doctor ibidem cap. 15., & 16., num. 37., & 44. pag. 543., & 545. *Carnes*, inquit, *de ipsis sordibus dicitis esse concretas. Quocirca cum anima carnem deserverit, nimias sordes reliquas fieri, & ideo eorum, qui vescuntur carnibus, animam coinquinari . . . Jam vero, quæ tanta perversio est, vinum putare fel principum tenebrarum, & uvis comedendis non parcere?* Eadem his verbis S. Doctor confirmat lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46., quæ Manichæorum est hæresis pag. 12. tom. 8. *Nec vescuntur carnibus, tanquam de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantumque ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit Electorum ventre purgari. Et vinum non bibunt dicentes fel esse principum tenebrarum, cum vescantur uvis; nec musti aliquid vel recentissimi sorbent.*

IV. Alterum signaculum, scilicet manuum, quo se a ceteris secernebant Electi, in eo locaverant, quod ab animalium nece, ab evellentis herbis, a decerpendis pomis, tanquam ab homicidiis se continebant. Ridiculum plane Manichææ sanctitatis insigne. De hoc Electorum signaculo hæc Augustinus litteris commendavit lib. de Morib. Manich. cap. 17. num. 54., & 57. pag. 548., & 549. tom. 1. *Sed jam ad manuum signaculum considerandum, tractandumque veniamus. Ac primum quidem, quod ab animalium nece, & ab stirpium laceratione vos temperasis . . . Arborem necare, ut vos dicitis, homicidium est, aut necare animalia . . . Jam quod poma ipsi non decerpitis, herbamque non vellitis. sed*

ſed tamen ab Auditoribus veſtris decerpi, & evelli, atque afferri vobis jubetis, non ut iis qui afferunt tantum, ſed ut iis etiam quæ afferuntur prodeſſe poſſitis, quis bene conſiderans ullo modo toleravit? Hæc eadem, quæ in ſignaculo manuum, Electorum proprio ſunt poſita his narrat Auguſtinus verbis lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum Manichæorum hæreſ. 46. pag. 12. tom. 8. *Electi nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec ſaltem folia ulla vellentes, expectant hæc afferri uſibus ſuis ab Auditoribus ſuis, viventes de tot ac tantis ſecundum ſuam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eoſdem Auditores ſuos, ut ſi veſcuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum, a quibus omnem carnem dicunt originem ducere.*

V. Tertium vero Electorum ſignaculum, quod ſinus ſignaculum appellabant, tetrum, obſcenum, exſecrandum omnino eſt. De hoc nefario atque exſecrabili Electorum ſignaculo hæc ſunt, quæ S. Doctor teſtatur eodem libro cap. 18. num. 65., & 66. pag. 550., & 551. *Reſtat ſignaculum ſinus, in quo multum incerta eſt caſtitas veſtra.* Etenim admodum incerta erat Electorum caſtitas. Abſtinebant enim a nuptiis, & cælibem vitam profitebantur, at non amore caſtitatis, ſed horrore procreationis, qua humanas animas, partes apud eos divinæ naturæ, ligari cum carne cenſebant, quæ in eorum ſententia pars erat eternæ naturæ malæ. Itaque nefaria Electorum doctrina falſam caſtitatis ſpeciem præſeferebat. At ex adjuncta altera eorum inſtitutione de ſeparanda ab herbis, pomis, & ſeminibus omnibus, manducando ac digerendo, anima bona a materia mala, quam tetrum contra caſtitatem, adverſante natura, ab Electis facinus exerceretur, malo ab Auguſtino, quam a me audiri. Hæc enim habet loco commemorato: *Jam vero cum vehementer ſatagitis, ne per concubitum anima ligetur in carne, & vehementer aſſeritis per ſanctorum cibum animam de ſeminibus liberari, nonne confirmatis o miſeri, quod de vobis homines ſuſpicantur? Cur enim de tritico, & de faba, & de lenticula, aliiſque ſeminibus, cum his*

bis vescimini, liberare vos velle animam creditur, de animalium seminibus non credatur? Et quia non possunt ab Auditoribus vestris purganda vobis talia semina afferri, secretam de vobis ipsis inter vos fieri talem purgationem; & ideo illis, ne vos deserant, occultari. Quod suspicio flagitii admodum consentanei Electorum doctrinæ, eorumque consuetudini, temeraria non fuerit, ex manifesta Electorum quorumdam confessione declaratur apud S. Doctorem testem de auditu lib. de Nat. Boni cap. 47. pag. 367., tom. 8., cujus hæc verba sunt. *Hoc se facere quidam confessi in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia, sicut a quodam Romæ Christiano Catholico audivi: ut cum interrogarentur cujus auctoritate scripturæ ista facerent, hoc de Thesauro suo prodidisse. Isti autem cum hoc eis objicitur, solent respondere, nescio quem inimicum suum de numero suo, hoc est, Electorum suorum descivisse, schisma fecisse, atque hujusmodi spurcissimam hæresim condidisse.* Eamdem pestiferam Manichæorum doctrinam de liberanda ab Electis anima bona in omnibus inclusa seminibus per comestionem & digestionem, consecuta est exsecranda confectio horribilis eorum Eucharistiæ, quod in duobus judiciis Carthaginensibus publicis atque legitimis, & in publico judicio Romano, cui Leo M. præfuit, patefactum est, Leone ipso teste, Serm. 15. cap. 4. tom. 1. Item Serm. 23. cap. 4. tom. 1. Item epist. 15. ad Turrib. Astur. Episc. cap. 16. tom. 2. Item Epist. 8. ad Episc. per Ital. cap. 1. tom. 2. edit. Cacciar. Itaque tria Electorum signacula turpia, tetra, flagitiosa, obscena, impia, & sacrilega sunt. Hæc autem, auctore Beausobrio, tria illa sunt Electorum signacula, quæ multo magis recte rationi sunt consentanea, quam tria Monachorum vota. Atqui Monachorum vota, paupertatem scilicet, castitatem, & obedientiam, & exemplo, & doctrina sua Christus Dominus commendavit, commendarunt Apostoli, christiana antiquitas commendavit: contra vero turpissima Electorum signacula Beausobrius solus commendat; ceteri omnes scriptores,

non modo qui pia, ſed etiam qui ſana mente ſunt, cum Auguſtino vituperant, ac deteſtantur. Patefacta ſunt igitur Beauſobrii mendacia de honeſta vita, deque honeſtis Manichæorum moribus, qui Sæculo V. extiterunt.

DISSERTATIO XVI.

De Beauſobrii mendaciis in vindicanda flagitioſa vita, & flagitioſis Manichæorum moribus.

Manichæorum flagitioſa vita ex nefaria eorum doctrina profluens ab Auguſtino demonſtratur.

I. SAnctus Auguſtinus libro de Moribus Manichæorum, quem librum anno 388. Romæ conſcripſit, in Africa vero evulgavit anno 389., ante quam presbyter eſſet, quod contigit anno 391. cap. 18. num. 68. pag. 551. tom. 1. hæc habet de Manichæorum Electis, qui ſeveriſſimam continentiam, ſingularemque ſanctitatem oſtentabant: *Novem annos totos magna cura & diligentia vos audivi, nullus mihi Electorum veſtrorum innoteſcere potuit, qui ſecundum hæc præcepta, non aut deprehenſus in peccato, aut certe ſuſpicioni ſubditus fuerit.* Deinde narrat Electorum flagitia, quin etiam Epiſcoporum, eaque non pauca, maximeque tetra, obſcæna, ſacrilega, quæque moderatoribus ſectæ delata prorſus impunita tolerabantur. Hæc autem facili lapſu ex obſceniſſima eorum doctrina manabant. Duo ibi Auguſtinus attingit, quæ ſeminaria ſunt obſcenitatum teterrimarum. Audiatur loco commemorato num. 65. *Nonne vos eſtis*, inquit, *qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, gravius putetis eſſe peccatum, quam ipſum concubitum? Nonne vos eſtis, qui nos ſolebatis monere, ut quantum fieri poſſet, obſervaremus tempus, quo ad conceptum mulier, poſt genitalium viſcerum purgationem, apta eſſet, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur?* Alterius obſceniſſimæ turpitudinis ex Electorum doctrina tanquam ex fonte manantis, ſcilicet de ratione ſeparandi a ſeminibus omnibus animam bonam a natura mala non improbabilem ſuſpicionem his verbis eodem

loco

loco Auguſtinus perſtringit: *Cum vehementer aſſeritis, per ſanctorum cibum animam de ſeminibus liberari, nonne confirmatis o miſeri quod de vobis homines ſuſpicantur? Cur enim de tritico, & de faba, & de lenticula, aliiſque ſeminibus, cum his veſcimini, liberare vos velle animam creditur, de animalium ſeminibus non credatur? . . . Et quia non poſſunt ab Auditoribus veſtris purganda a vobis talia ſemina afferri, quis non ſuſpicetur ſecretam de vobis ipſis inter vos fieri talem purgationem, & ideo illis ne vos deſerant, occultari?* Quanquam Auguſtinus, quod anno 388. cum de Moribus Manichæorum ſcriberet non temere ſuſpicabatur, anno 404., qui ſexdecesimus eſt ab anno 388., libro de Nat. Boni in lucem edito cap. 47. pag. 367. tom. 8. confirmatum narrat confeſſione ipſa reorum. Audiatur. *Cogit eos,* (ideſt Electos) *hujus tam nefandi erroris neceſſitas, ut non ſolum de pane, & oleribus, & pomis, quæ ſola videntur in manifeſto accipere, ſed inde etiam ſolvant & purgent partem Dei, unde per concubitum poteſt, ſi feminæ utero concepta fuerit, colligari. Hoc ſe facere quidam confeſſi eſſe in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, ſed etiam in Gallia, ſicut a quodam Romæ Chriſtiano Catholico audivi. Et cum interrogarentur cujus auctoritate ſcripturæ iſta facerent, hoc de Theſauro ſuo prodidiſſe. Iſti autem cum hoc eis objicitur, ſolent reſpondere, Neſcio quem inimicum ſuum de numero ſuo, hoc eſt, Electorum ſuorum deſciviſſe, atque hujuſmodi ſpurciſſimam hæreſim condidiſſe.* Placet hic adjungere ſingulare flagitium quod de Electis Auguſtinus narrat lib. de Morib. Manichæorum cap. 19. num. 70. pag. 552. tom. 1. ut crimine ab uno diſcantur omnes Electi, & quam perdita eſſet eorum vita, quamque perditi & flagitioſi mores. Hæc enim eo loco habet: *Cum ad ipſos Primates detuliſſemus conqueſtam nobis eſſe mulierem, quod in conclavi, ubi cum aliis feminis erat, de illorum ſcilicet ſanctitate ſecura, ingreſſis Electis pluribus, & ab uno lucerna extincta, incertum cujus eorum in tenebris appetita eſſet complexu, & coacta in flagitium, niſi ſubſidio clamoris evaſiſſet. Hoc nobis quo-*

que notissimum nefas de quanta consuetudine venisse arbitrandum est. Et hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrantur.

Manichæorum flagitia frustra a Beausobrio vindicantur.

II. Quid ad hæc Manichæorum Patronus Beausobrius, ut eos ab objectis ab Augustino flagitiis vindicet? In libro, inquit, de Moribus Manichæorum, qui genus quoddam recriminationis est, non continentur nisi quædam singularia facta, quæ satis non sunt ad infamandam universam sectam. Præterea in eo libro se de quibusdam Manichæorum flagitiis suspicari tantum affirmat. Tandem ea ipsa Manichæorum flagitia Augustinus ipse non credidit novem annornm spatio, quo Manichæorum Auditor fuit, quæ eo tempore ignorare non poterat; quoniam triginta jam effluxerant anni, postquam Jerosolymitanus Cyrillus Cathecheses suas evulgaverat, in quibus narrantur incredibiles obscenitates Manichæis attributæ. Hæc Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 5. pag. 700., item cap. 8. pag. 735., & 736. tom. 2. Ad hæc respondeo, Augustini liber de Moribus Manichæorum recriminatio non est, quasi contenderit S. Doctor exprobrata catholicis crimina pluribus & gravioribus Manichæorum criminibus propulsare. Causa enim scribendi libros hujusmodi S. Doctori fuit Manichæorum jactantia, qua se vitæ severitate & abstinentia Catholicis anteponebant. *Jam baptizatus cum Romæ essem*, inquit S. Doctor lib. 1. retract. cap. 7. pag. 6. tom. 1., *nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa & fallaci continentia, qua se ad imperitos decipiendos veris christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ catholicæ, alterum de Moribus Manichæorum*. Præterea in libro de Moribus Manichæorum non quædam singularia facta, sed communia & universalia, eaque teterrima Electorum fere omnium flagitia continentur, quæ ad demonstrandam exsecrationibus omnibus dignam Electorum sectam satis superque sunt, ut legenti patebit. Turpissimam vero obscenitatem exerceri solitam ab Electis, de qua agitur libro commemorato, non audet

det S. Doctor, ingenita sibi moderatione, tanquam jurejurando affirmare; tamen propter turpitudinis illius pervulgatum rumorem, & testimonia allegata, eoque magis propter eorum doctrinam, ex qua quasi necessario talis obscenitas consequebatur, maxime verisimilem atque probabilem de turpitudine illa suspicionem haberi confirmat. Adde quod, nec ipsi Manichæorum Electi turpitudinem illam negabant; sed ut a se eam repellerent, cuidam perfugæ e numero suorum tribuebant, qui sectam illam, in qua talis obscenitas exercebatur, instituit: *Cum hoc eis objicitur*, inquit Augustinus supra commemoratus, *solent respondere, Nescio quem inimicum suum de numero suo, hoc est, Electorum suorum descivisse, atque hujusmodi spurcissimam hæresim condidisse*. Quod autem Augustinus, novennio illo quo Manichæorum Auditor fuit, nullam adhibuerit fidem obscenitatibus, quæ de Manichæorum Electis jactabantur, quamvis eas ex Cyrilli Jerosolymitani Catechesibus non ignoraverit; dico verisimile est Augustinum, cum Auditor Manichæorum esset, Electorum obscenitates penitus ignorasse. Tales enim turpitudines soli Electi, & Electæ in suis nocturnis & clandestinis conventiculis exercebant, quas Auditoribus suis jurejurando obstricti occultabant, ne ab eis flagitiorum horrore desererentur.

Manichæorum maxime obscenum flagitium; de quo Cyrillus Jerosolymitanus, cur tamdiu Augustino ignotum?

III. Quod ad S. Cyrillum Jerosolymitanum scriptorem sæculi IV. pertinet, is Catechesi VI. num. 33. edit. Touttee subobscure obscenum Electorum flagitium attingit. Catecheses autem suas habuit Cyrillus ad Jerosolymitanam plebem anno 347., scilicet 70. annis post exortam hæresim Manichæorum, quæ anno 277. serpere cæpit. Jam vero non constat Cyrillum Græcas suas Catecheses divulgasse: quas, si divulgavit, non constat eas ad Augustinum Manichæorum Auditorem, in Africa commorantem, pervenisse: quæ si in Africam, & in Augustini manus tunc pervenerunt, verisimile est juvenem Rhetorici ludi magistrum, & captandis corporis voluptatibus deditum, Græcas Cyrilli Catecheses legere neglexisse, in quarum VI. a obsce-

Manichæorum singulare flagitium frustra a Beausobrio vindicatum.

obscenum Electorum flagitium ambiguis verbis significabatur. Procax vero Electorum facinus illud in feminam honestissimam, quod Augustinus narrat lib. de Morib. Manich. cap. 19. num. 70. pag. 552. tom. 1. tanquam inverisimile, & improbabile Beausobrius explodit lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 9. pag. 791. tom. 2. 1. Quia factum incertum est, & unius feminæ testimonium non est sufficiens. 2. Quia Augustinus dicit hanc pravam consuetudinem stabilitam esse in Electorum vigiliis, quo dato, femina illa non reclamasset. 3. Quia feminæ hujus clamores minime eam liberassent, si tales turpitudines pertinerent ad nocturna Manichæorum sacra. 4. Quia ex dato etiam flagitio non sequitur Manichæorum conventus prostitutiones fuisse, sicut apud Catholicos vigiliæ, & sacra nocturna, prostitutiones non erant, quamvis tot nefaria commercia contegerent, ut necesse fuerit ea interdicere. Jam vero ad singula Beausobrii mendacia respondeo. Factum incertum facinus illud Beausobrius dicit: contra vero Augustinus *notissimum nefas* affirmat. Cuinam fides habenda est, Augustinone, an vero Beausobrio? Testimonium vero feminæ quidem est, sed apud Augustinum spectatissimæ, & probatissimæ, omnique fide dignæ; neque solum unius feminæ, sed multarum, quæ simul aderant in eo conclavi. Præterea Augustinus eo loco non dicit, hanc pravam consuetudinem stabilitam esse in Electorum vigiliis; neque hoc facinus accidisse in conventiculo, quod Manichæi celebrabant in pervigilio suarum festivitatum; quod ab Augustino dictum Beausobrius affirmat; sed id accidisse S. Doctor narrat ea nocte, qua festæ apud Manichæos vigiliæ celebrabantur, non autem in loco, seu conventiculo, in quo tales vigiliæ peragebantur; sed in feminæ illius conclavi, ubi cum aliis feminis domi suæ erat, quo, quamvis noctu, Electos illos, de quorum pudicitia non dubitabat, recepit. Rursum feminam illam nec de Electarum, nec de initiatarum numero fuisse Augustinus affirmat, nec facinus illud accidisse, ubi Electi sua sacra nocturna cum Electis feminis

cele-

celebrabant. Tandem clandestinos Electorum conventus prostitutiones fuisse, non ex hoc facto Augustinus docet, sed ex certissimis nuntiis ac testibus & Augustinus, & alii plurimi, gravissimique scriptores affirmant. Itaque omnes Beausobrii animadversiones, quibus contendit Electorum flagitium ab Augustino narratum improbabile esse, totidem ejus mendacia sunt, quibus se mendacissimum manifestat. Quod pertinet ad vituperatas a Beausobrio Catholicorum vigilias, nec ætate Augustini, nec ulla alia ætate nefaria commercia fuerunt, sed sanctissimæ fidelium noctes, quas vigilando, orando, Dei laudes cantando, divina verba audiendo, sacris mysteriis adstando, & participando traducebant. Extant Sermones plures S. Doctoris, quibus populum ad celebrandas sacras vigilias cohortatur. Sermone 219. in vigiliis Paschæ pag. 670. tom. 5. his exorditur verbis de laudibus vigiliarum Sanctarum: *Beatus Paulus Apostolus exhortans nos ad imitationem suam, inter alia multa suæ virtutis insignia, dicit etiam*, In vigiliis multis. *Quanto ergo alacrius in hac vigilia, velut matre omnium Sanctarum vigiliarum, vigilare debemus, in qua totus vigilat Mundus*. Et in fine ejusdem Sermonis, *Vigilemus*, inquit, *& oremus; ut forinsecus, & extrinsecus hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquatur in lectionibus suis: Deo loquamur in precibus nostris*. Posterioribus multis deinde sæculis, in occidentali dumtaxat Ecclesia, excepta vigilia Natalis Domini, vigiliæ ceteræ desueverunt; non propter nefaria commercia, ut mendax Beausobrius loquitur, sed justis aliis de causis.

Vigiliæ Christianorum sanctissimæ consuetudines, non nefaria commercia, ut Beausobrius mentitur, fuerunt.

IV. Omnium flagitiorum flagitiosissium est, quod Sanctus Augustinus narrat de exsecranda exsecrationibus omnibus Eucharistia, qua Manichæorum Electi utebantur, de qua hæc S. Doctor habet libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, anno 428., biennio ante quam moreretur, ad Carthaginensem hunc Diaconum dato, hæresi 46., quæ Manichæorum est hæresis, pag. 11. & 12. tom. 8. *Qua occasione*, inquit, *vel potius exsecrabilis superstitionis quadam necessitate coguntur Electi eorum*

Manichæorum Eucharistia exsecranda certissimis argumentis ab Augustino demonstrata.

eorum velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt substantia illa divina purgetur. Sed hoc se facere negant, & alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt autem in Ecclesia, sicut scis, apud Carthaginem, jam te ibi Diacono constituto, quando instante Urso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt, ubi puella illa nomine Margarita istam nefariam turpitudinem prodidit. Quæ cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc scelestum mysterium se dicebat esse violatam. Tunc Eusebiam quandam Manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cum primum illa se asservisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset: quæ inspecta, & quid esset inventa totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernitur, quod Margarita indicante absens non audierat, similiter indicavit. Et recenti tempore nonnulli eorum reperti, & ad Ecclesiam ducti, sicut gesta episcopalia quæ nobis misisti ostendunt, hoc non sacramentum, sed exsecramentum sub diligenti interrogatione confessi sunt: quorum unus nomine Viator, eos qui ista faciunt nomine catharistas, idest, mundatores vel purgatores vocari dicens, cum alias ejusdem Manichæi sectæ partes in Mattarios & specialiter Manichæos distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, & omnes generaliter Manichæos esse negare non potuit. Primum Carthaginense judicium, cui Augustinus interfuit, Maurini Patres referunt ad annum 421. Judicium alterum, absente Augustino, contigit anno 428. cujus Judicii episcopalia gesta a Carthaginensi Diacono Deusdedit missa ad Augustinum sunt. Hæc eadem narrat Possidius Calamensis in vita Magistri sui Augustini cap. 16., quæ extat in Appendice ad tomum X. operum S. Doctoris edit. PP. Maurin. pag. 180. Item Maurini Patres postremi operum S. Augustini editores in ejus vita ab ipsis descripta lib. 8. cap. 3. pag. 306. tom. XI.

V. Velis equisque, ut dicitur, pugnat Beausobrius, ut

ut superiorem S. Doctoris narrationem falsam, ipsumque illius narratorem mendacem esse suadeat. Itaque lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 8. pag. 741., & 742. tom. 2. Augustini silentium de sacrilega Electorum Eucharistiâ tanquam validissimum telum intorquet: & contra historiam, & contra historicum, librum objicit de utilitate credendi quem Honorato Augustinus inscripsit, ut amicum suum a Manichæismo, in quem eum olim ipse conjecerat, revocaret. At in hoc libro nulla fit mentio de obscenissima Electorum Eucharistia. Nihil tamen aptius fuisset ad revocandum amicum ab hæresi Manichæorum, quam demonstratio nefariæ Manichæorum Eucharistiæ. Quod validissum telum Beausobrius jactat, plumbeum pugionem ego demonstro. Argumentum libri de utilitate credendi ad Honoratum Manichæorum Auditorem, quem Augustinus scripsit primo presbyteratus sui anno, scilicet anno 391. his verbis extat lib. 1. Retract. cap. 14. pag. 15. tom. 1. *Presbyter scripsi librum de utilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum a Manichæis adhuc eo errore noveram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina, quod juberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur*. Id apertius S. Doctor declarat libro ipso de utilitate credendi cap. 1. num. 2. pag. 34. tom. 8. verbis sequentibus: *Est igitur mihi propositum, ut probem tibi si possim, quod Manichæi sacrilege ac temere invehantur in eos, qui catholicæ fidei veritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo*. Itaque in hoc libro de utilitate credendi Augustinus sibi demonstrare proposuit, Fidem præmittendam esse rationi, contra Manichæos contendentes, rationem præmittendam esse fidei, quo errore deceptus Honoratus in hæresim Manichæorum incidit. At enim patet nullum hic esse locum disputationi de Electorum Eucharistia, vel de clandestinis eorum mysteriis. Sed neque ad hanc digredi materiam Augustinus tunc poterat, quoniam anno 391., ad quem pertinet ejus liber de

Manichæos ab exsecranda eorum Eucharistia frustra Beausobrius vindicare conatur.

utilitate credendi, penitus ignorabat, quæ & qualis esset clandestina Electorum Eucharistia, quam non habuit certo cognitam nisi anno 421. in primo judicio Carthaginiensi. In eadem pariter ignoratione versabatur amicus Augustini Honoratus Manichæorum Auditor: quandoquidem Auditores a clandestinis Electorum mysteriis prorsus prohibebantur, maxime vero de exsecrabili Electorum Eucharistia. Nullum est igitur Beausobrii argumentum ab Augustini silentio petitum, ex libro de utilitate credendi ad Honoratum, in quo nulla fit mentio, quæ nec fieri poterat, de nefaria Electorum Eucharistia.

VI. Nititur iterum Beausobrius quammaxime potest vindicare Manichæorum Electos ab impietate & obscenitate attributæ eis Eucharistiæ argumentis ab ea disceptatione petitis, quam Augustinus presbyter anno 391. habuit Hippone cum Fortunato Manichæorum presbytero. Etenim Fortunato Augustinum interroganti de moribus Manichæorum, quorum Auditor Augustinus fuerat, atque affirmanti orationi suorum eum interfuisse, S. Doctor respondet disp. 1. num. 3. pag. 68. tom. 8., *Ego in oratione in qua interfui, nihil turpe fieri vidi: sed solum contra fidem animadverti, quod postea didici & probavi, quod contra Solem facitis orationem, præter hoc in illa oratione vestra nihil novi comperi*. Ecce tibi, inquit Beausobrius lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 8. pag. 738. tom. 2., apologiam admodum pressam & expressam cultus Manichæorum. Jam vero apologia a Beausobrio jactata ad hoc unum redigitur, quod Augustinus cum Manichæorum Auditor esset, & tanquam Auditor orationi eorum interfuisset, nihil obscenum, nihil impudicum, libidinosum nihil in ea oratione animadverterit, sed impium dumtaxat Solis cultum, quem tanquam Deum invocabant, atque adorabant. Hæccine est apologia admodum pressa, & expressa cultus Manichæorum? Nihil hic de nefaria Electorum Eucharistia, nihil de nocturnis, clandestinisque eorum mysteriis, quoniam Auditores, e quorum numero Augustinus fuerat, ab

his

his prorsus excludebantur: quæ Augustinus non nisi anno 421. in Judicio Carthaginensi primum certo cognovit; atque idcirco anno 391., quo disceptationem cum Fortunato habuit, si non penitus ignoravit, nonnisi subobscuris rumoribus de his aliquid subaudivit, quod argumentis certis in ea cum Fortunato disceptatione probare non poterat.

VII. Urget Beausobrius Manichæorum vindicias pro eorum Eucharistia ea Augustini verba examinans, quæ S. Doctor habuit cum Fortunato disp. 1. num. 3. pag. 68. tom. 8., scilicet: *De moribus vestris plene scire possunt, qui Electi vestri sunt. Nostis autem me non Electum vestrum, sed Auditorem fuisse... Quid inter vos agatis, qui Electi estis ego scire non possum. Nam & Eucharistiam audivi a vobis sæpe quod accipiatis: tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis unde nosse potui?* Extant hæc Beausobrianæ vindiciæ lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 8. pag. 738., 739. 740. 741. tom. 2. Quod enim Augustinus, inquit Beausobrius, Electorum Auditor fuerit, non probat eum se continuisse in Auditorum ordine propter horrida illa mysteria, quæ tribuebantur Electis, quæ nec vera esse credebat: eoque magis quod lib. de Utilitate credendi ad Honoratum cap. 1. num. 3. pag. 35. tom. 8. Fatetur Augustinus Auditores moneri ab Electis, ut a corporis voluptatibus caveant. *Fateor*, inquit, *& illos monere sedulo, ut ista caveantur*. Rursum, clandestinus Electorum cultus Auditori Augustino ignotus esse non poterat, cujus catholici ipsi conscios se esse prædicabant. Præterea tempus, quo Manichæi celebrabant Eucharistiam Auditores noverant, & Eucharistiæ erant participes. Quod si hæc ignoravit Augustinus causa fuit, quia scire noluit, nec credebat exsecrabilem Eucharistiam, quæ tribuebatur Electis. Necessarium tamen putavit de impia turpitudine illa Manichæos suspectos haberi, ut Hipponenses fideles ab hæresi preservaret; utque eos, quos Fortunatus depravaverat, ad Ecclesiam revocaret. Hæc Beausobrius. Ad singula hæc respondeo. Profecto Augustinus non se continuit

in Auditorum ordine propter horrida illa myſteria, quæ peragebant Electi; quoniam, cum Auditor eſſet, nefaria myſteria illa, a quibus Auditores excluſi erant, ignorabat omnino. Quid ergo Auguſtinum continuit in Auditorum gradu? Illud potiſſimum, quod incertis, infirmis, ineptiſque argumentis ſententiam ſuam Manichæi muniebant. Audiatur S. Doctor lib. de Util. credendi ad Honoratum cap. 1. num. 2. pag. 34. tom. 8. *Sed quæ rurſum*, inquit, *ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu, quem vocant Auditorum, tenerem, ut hujus mundi ſpem, atque negotia non dimitterem, niſi quod ipſos quoque animadvertebam plus in refellendis aliis diſertos & copioſos eſſe, quam in ſuis probandis firmos & certos manere?* At Auguſtinus teſtatur, inquit Beauſobrius, Electos Auditores ſuos monere, ut ab hujus vitæ voluptatibus caveant, Quid tum? Ergo ne ex his ſequitur, Electos Electaſque Manichæorum in clandeſtinis nocturniſque ſuis conventiculis, a quibus Auditores ſuos excludebant, horrida illa myſteria non celebraſſe? Nihil profecto minus. Sed cum ſingularis ſeveritatis, ut ceteri hæretici, ſimulatores eſſent, nefarias ſuas, impias, & horribiles turpitudines Auditoribus ſuis occultabant, quæ ſi noviſſent, niſi omnium hominum nequiſſimi eſſent, a Manichæis certiſſime diſceſſiſſent, maxime vero Auguſtinus bonæ indolis natura ſua adoleſcens.

VIII. Ad reliquas Beauſobrii animadverſiones progredior. Clandeſtinus, inquit, Electorum cultus Auditori Auguſtino ignotus eſſe non poterat, cujus catholici ipſi ſe conſcios eſſe prædicabant. Profecto clandeſtinus Electorum cultus Auguſtino, cum Auditor eſſet, ut Auditoribus ceteris, omnino erat ignotus. Teſtatur id apertiſſime S. Doctor verbis illis, *Eucharistiam audivi a vobis ſæpe quod accipiatis, tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis, unde noſſe potui?* Ex his Auguſtini verbis manifeſtum ſit, eum, cum Auditor Manichæorum eſſet, omnino ignoraſſe quæ, & qualis eſſet Electorum Euchariſtia. Factus autem Catholicus, & presbyteratus ſui anno primo, id-

eſt,

est, anno 391., quo disceptationem habuit cum Fortunato Manichæorum presbytero, verisimile est, eum aliquid subodorasse de nefaria Electorum Eucharistia; quod indicat verbis illis, *Quid accipiatis, unde scire potui?* Sed cum eo anno 391. testimoniis certis & exploratis careret, quæ nonnisi anno 421. assecutus est, idcirco non est ultra progressus. Nefaria vero Electorum Eucharistia non est facta manifesta & certa Catholicis, nisi anno 421., & iterum anno 428. post pervulgata acta, quæ habita sunt in duplici Judicio Carthaginensi. Postremo nec tempus, quo Electi suam celebrabant Eucharistiam, Auditores noverant, nec talis Eucharistiæ erant participes. Utrumque apertissimis verbis negat coram Fortunato Augustinus. Si hæc falso Augustinus negaverat, ut quæstio de moribus Fortunato adjudicaretur, respondendum Fortunato erat, Conventus nostri Auditoribus omnibus patent. Auditorum omnium communis est cum nostris Electis Eucharistia. Tempus, quo celebramus Eucharistiam, Auditoribus non est ignotum. Nihil apud nos clandestinum, nihil occultum est. At nihil horum, quæ dictu erant maxime necessaria, locutus est Fortunatus, sed tacuit, obmutuit, & causa cecidit. Quod autem Augustinus necessarium censuerit, ut Hipponenses fideles suspicarentur de teterrimo, horribili, & exsecrando Manichæorum flagitio, quod Augustinus falsum putabat, ut eos ab hæresi Manichæa præservaret, eosque, quos Fortunatus abduxerat, ad Ecclesiam revocaret, teterrima, horribilis & exsecranda contra S. Doctorem Beausobrii calumnia est. Licetne falsis teterrimisque criminibus adducere in odium homines, quamvis hæreticos, ut ab hæresi custodiantur catholici, vel ab hæresi revocentur hæretici? Quid censes? Augustinus, omnes Patres, Theologi omnes, omnes Catholici, omnesque non prorus improbi homines negant. Num plures, aut locupletiores quæris auctores? Tritum enim est illud, *Non sunt facienda mala, eoque magis maxima, ut eveniant bona.* Quamquam Beausobrius pejora multo sibi licere arbitratur, qui falsis, gravissi-

vissimisque criminibus, in universo opere suo, in infamiam adducere studet omnes fere Sanctos Patres, maxime vero Augustinum, omnesque Catholicos, ut his calumniis gregales suos Calvinianos in hæretica pertinacia confirmet.

IX. Augustini narrationem de duplici illo Carthaginensi judicio, ubi patefacta est nefaria Electorum Eucharistia, hactenus Beausobrius hasta eminus, modo vero cominus gladio aggreditur lib. 9. Histor. Dogmat. Manich. cap. 9. pag. 749, 750, & 751. tom. 2. Et primo quidem duarum feminarum accusationem nullam esse contendit, quas verisimile est a sceleratis quibusdam pecunia fuisse corruptas, ut in infamiam, & odium adducerent Manichæorum sectam; quemadmodum infimæ conditionis homines, & ab Ecclesia perfugæ christianorum mysteria apud Gentiles de falsis quondam tetrisque ritibus apud Gentiles accusare solebant. Ad hæc respondeo, Feminas illas, Margaritam scilicet & Eusebiam apud Episcopos, quorum gravissimus Augustinus, prudentia, æquitate, & sanctitate præstantes, quorum erat veritatem causæ diligentissime investigare, cum sui honoris jactura, obscenitatem suam, quavis pœna gravissima dignam, ægerrime, adversanteque quammaxime verecundia, confessas esse. Incredibile itaque est spe cujuscunque mercedis adductas, cum innocentes essent, sed reas esse confessas obscenitatis inauditæ, quæ cum honoris jactura, quavis gravissima pœna plectenda esset. Infimæ vero conditionis homines, & ab Ecclesia transfugæ non se puniendos, sed remunerandos, non apud æquos, sed apud iniquos Judices, non episcopos, sed paganos, non sua, sed christianorum crimina falso accusare solebant. 2. Fingamus, inquit, duas Vestales catholicas apud Chosroem Manichæorum Patronum, confidentibus Manichæis, testari Catholicorum mysteria meras turpitudines esse, seque fuisse victimas religiosæ libidinis; iniquum profecto esset confessiones hujusmodi habere tanquam argumenta certa, quòd sacrificia Catholicorum turpitudines sint: Ergo idem

idem ſtatuendum eſt de confeſſionibus duarum feminarum in judicio Carthaginenſi, de quibus Auguſtinus. Reſpondeo, Manichæorum doctrina, mores, & diſciplina ſeparandi præſertim per comeſtionem a ſeminibus omnibus naturam Dei boni a natura Dei mali, eſt quammaxime conſentanea, quod Auguſtinus animadvertit, turpitudini exſecrabilis Euchariſtiæ, quam duæ illæ feminæ ex Electorum numero, quamvis invitæ & repugnantes, in ſolemni judicio Carthaginenſi, apud Epiſcopos Judices confeſſæ ſunt. Itaque feminarum illarum confeſſio firmum certumque argumentum eſt de exſecrabili Electorum Euchariſtia. Contra vero in fabula, quam Beauſobrius fingit, confeſſiones duarum catholicarum Virginum Deo devotarum, quas Veſtales catholicas per contemptum Beauſobrius appellat, incredibiles prorſus eſſent apud æquos Judices, quales fuerunt Africani epiſcopi in judicio illo Carthaginenſi, nec credibiles fierent, niſi fortaſſe apud Coſroem Manichæos rum Patronum, & confidentes ſecum Manichæo-Judices in Catholicorum cauſis iniquiſſimos, quoniam doctrina, mores, & diſciplina Eccleſiæ Catholicæ de omni pudicitia, & honeſtate ſervanda, perquammaxime abhorret ab omni turpitudine, & obſcenitate.

X, Inſtat 3. commemorato loco Beauſobrius, Manichæi rejiciebant de attributa ſibi exſecrabili Euchariſtia & teſtes, & teſtimonia, quorum doctrina mendaces eſſe teſtes hujuſmodi declarabat. Ex ſuæ inſtitutionis doctrina abſtinebant Manichæi a carnibus, quibus ceteri homines vivunt, quî igitur fieri poteſt, ut id comederent, ex quo gignitur caro? Religionis cauſa abſtinebant a nuptiis, quibus ceteri utuntur homines, quî igitur fieri poteſt, ut in religioſo cultu adhiberent rem maxime irreligioſam? Reſpondeo, Abſtinebant a carnibus Manichæorum Electi, quia docebant carnem ab anima ſeparatam partem eſſe æterni Dei mali. Abſtinebant a nuptiis, quia docebant in nuptiarum uſu partem Dei boni devinciri &

con-

constringi cum parte Dei mali. Cum autem docerent in seminibus omnibus contineri multo majorem partem Dei boni permistam cum multo minori parte Dei mali, unam ab altera separandam per commestionem, hinc exsecrabilis Electorum Eucharistia oriebatur. Quod pertinet ad alterum Carthaginense judicium habitum anno 428. Viator, inquit Beausobrius, Manichæorum Electus, & in judicium adductus Catharistis, non Manichæis attribuit exsecrandum illud flagitium. At Catharistæ, seu Purgatores Manichæi sunt, qui a purgandis per commestionem partibus Dei boni a partibus Dei mali Catharistæ sunt appellati, quod negare Viator non potuit: quemadmodum Manichæi a mattis seu storeis, in quibus decumbebant, vulgo Mattarii dicebantur. Sed audiatur iterum Augustinus producto loco num.IV. *Viator, eos qui ista faciunt nomine Catharistæ, idest, mundatores, vel purgatores vocari dicens cum aliàs ejusdem Manichææ sectæ partes in Mattarios, & specialiter Manichæos distribui perhiberet, omnes tamen has tres formas ab uno auctore propagatas, & omnes generaliter Manichæos esse negare non potuit.* Sic Reformati, Puritani, Presbyteriani aliud quidquam non sunt nisi Calviniani.

XI. Instat 4. Beausobrius eodem loco, & inquit, Manichæi apud Aug. lib. de Nat. Boni cap.47.pag.367. tom.8. talem teterrimam consuetudinem in nescioquem ab eis perfugam, qui ab eis defecerat, rejiciebant, quique sordidissimam hæresim illam condiderat: quemadmodum Catholici nefaria mysteria, quæ sibi a Gentilibus tribuebantur, jure in Gnosticos rejiciebant. Respondeo, falso rejiciebant Manichæi turpitudinem illam, aliam tamen ab exsecrabili Eucharistia, de qua non agit objecto loco Augustinus, in nescio quem ab eis perfugam; quoniam, præter quam quod non constabat de tali perfuga consuetudinis illius auctore, certum exploratumque est consuetudinem illam consentaneam omnino esse Manichæorum doctrinæ, quæ in eorum libris continebatur: & in duplici Judicio Carthaginensi consuetudo similis declarata erat. Contra

vero

vero conſtabat hinc de exſecrandis Gnoſticorum myſteriis, illinc de ſanctitate doctrinæ, & myſteriorum Chriſtianæ Eccleſiæ Catholicæ. Quocirca jure meritoque Catholici in Gnoſticos, injuria vero & immerito Manichæi in incertum & commentitium a ſe perfugam nefaria myſteria rejiciebant. Poſtremo Beauſobrius contra ſecundum Carthaginenſe Judicium, in quo patefactum eſt nefarium exſecrabilis Euchariſtiæ myſterium, reclamat, & inquit, abjectiſſimos homines illos in judicium illud adductos, formam & ſpeciem hominum præ ſe ferre, qui ex induſtria exhibiti fuerant, ut faterentur quidquid Manichæorum adverſarii fateri eos volebant: idque ex eo deducit, quòd calamitoſi homines illi in ſui defenſionem afferebant locum ex libro Theſauri VII., quem locum, utpote corruptum ab adverſariis Manichæorum, ſi genuini Manichæi fuiſſent, non modo non commemoraſſent, ſed rejeciſſent omnino. Ad hæc reſpondeo, Manichæos illos in judicium vocatos in ſui defenſionem attuliſſe corruptum locum ex VII. libro Theſauri, manifeſta Beauſobrii fabula eſt, eaque non paucis mendaciis adſperſa. Etenim ne verbum quidem apud Auguſtinum eſt de libro Theſauri VII. ab hominibus illis in ſui defenſionem producto. Item in loco ex libro VII. Theſauri excerpto nihil continetur de obſcenitate nefariæ Electorum Euchariſtiæ, ſed de longe alia obſcenitate cœleſtium virtutum. Tandem Theſauri locus ille non adulterinus, ſed genuinus germanuſque eſt. Sed his prætermiſſis, de quibus aliis in locis egi, dico, Incredibile omnino eſt poſſe reperiri homines, quantumlibet abjectos & calamitoſos, qui, cum innocentes ſint, nulloque digni ſupplicio, apud probatiſſimos Judices ſe reos mentiantur criminis omnino exſecrandi, & quavis ſeveriſſima pœnà puniendi; eoque magis quod tantum abeſt, ut ad confeſſionem horrendi facinoris acceſſerint præparati, ut eorum primarius nomine Viator viribus omnibus a ſe ſuiſque collegis flagitium illud propulſare, & in Cathariſtas, tanquam in homines a Manichæis alienos, rejicere conatus ſit.

Manichæorum exſecrabilis Eucharistia confirmatur publico, ſolemni, legitimoque judicio habito Romæ a S. Leone M.

XII. Judicium ſimile ſolemne, publicum, & legitimum de exſecranda Electorum Euchariſtia habitum Romæ eſt, præſidente Sancto Leone Magno, conſidentibus presbyteris, & epiſcopis, adſtantibuſque nobiliſſimis viris, & generis utriuſque Electis in judicium vocatis, interrogatis, confeſſis. De quo Leo Magnus hæc poſteritati mandavit Serm.15. cap.4. tom.1. edit. Cacciar. *De ſacris eorum, quæ apud illos tam obſcena ſunt, quam nefanda, quod inquiſitioni noſtræ Dominus manifeſtari voluit, non tacemus, ne quiſquam putet nos de hac re dubiæ famæ, & incertis rumoribus credidiſſe. Reſidentibus itaque mecum epiſcopis, & presbyteris, ac in eumdem conſeſſum chriſtianis ac nobilibus congregatis, Electos, Electaſque eorum juſſimus præſentari. Qui cum de perverſitate dogmatis ſui, & de feſtivitatum ſuarum conſuetudine multa reſerarent, illud quoque ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt, quod tanta diligentia inveſtigatum eſt, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella ſcilicet ut multum decennis, & duæ mulieres, quæ ipſam nutriverant, & huic ſceleri præparaverant. Præſto erat etiam adoleſcentulus vitiator puellæ, & epiſcopus ipſorum deteſtandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum, & una confeſſio, & patefactum eſt exſecratum, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt.* Eadem de exſecranda, & maxime impia Electorum obſcenitate in frequentiſſimo, ſpectatiſſimoque Judicio Romano, ſibi, ceteriſque qui aderant in conſilio, patefacta Sanctus Leo Magnus narrat Serm.23. cap.4. pag.53, & 54. tom.1. Eadem epiſt.15. ad Turrib. Epiſc. Aſtur. cap.16. col.1. pag.71. tom.2. ubi hæc habentur: *In exſecrabilibus autem myſteriis eorum, quæ quanto immundiora ſunt, tanto diligentius occuluntur, unum prorſus nefas eſt, una eſt obſcenitas, & ſimilis turpitudo. Quam etſi eloqui erubeſcimus, ſolicitiſſimis tamen inquiſitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehenſi fuerant, confeſſione detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam, ne ullo modo poſſet dubium videri. quod in judicio noſtro, cui non ſolum frequentiſſima*

ma

ma præsentia Sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, & pars quædam Senatus, ac Plebis interfuit, ipsorum, qui omne facinus perpetrarunt, ore reseratum est; sicut ea, quæ ad dilectionem vestram nunc direximus, Gesta demonstrant. De his ipsis certiores facit Leo Magnus omnes per Italiam Episcopos epist.8. pag.34. tom.2. edit.Cacciar. Superioribus præclarissimis testimoniis etsi Leo, prohibente verecundia, apertissimis verbis exsecrandæ Electorum Eucharistiæ obscenissimam commistionem contra naturæ leges non eloquatur, Sermone tamen 74. cap.2. col.1. pag.215. tom.1. edit.Cacciar., quantum satis est, & humana patitur verecundia, his verbis significat; *Carnem tuam* (Manichæe) *inter ipsa tua flagitiosa mysteria polluis; & venenum tibi, quod sumas ex tuis sordibus conficis, & conspergis. Digna prorsus ex alterutra fœditate in utroque pollutio, ut cum sacra tua ex te, quæ comedas polluis, & ipse ex tuis sacris turpibus inquinaris*. Hæc cum a Leone Valentinianus III. accepisset, Novella sua, quæ est de coercendis, exterminandisque ab Imperio Romano Manichæis, obscenissimam apud Manichæos exsecrabilis Eucharistiæ confectionem verbis his detestatur: *Quæ enim, & quam dictu, audituque obscena in judicio Beatissimi Papæ Leonis, coram Senatu Amplissimo, patefacta sunt? Adeout eorum, qui diceretur Episcopus, & voce propria proderet, & omnia scelerum suorum secreta perscriberet*. At vero teterrimum Manichæorum flagitium, etsi certissimum, manifestissimum, præclarissimum, exploratissimum Beausobrius Manichæorum Patronus, conquisitis undique consutisque mendaciis, ore suo durissimo, singularique temeritate atque impudentia negat. Sed quid mirum? Objectam sibi Calvinianæ hæresis novitatem repellere nititur Beausobrius. Itaque originem Calvinianæ sectæ ab antiquis Manichæis repetit. At impietatis, & obscenitatis infamia Manichæi sunt maxime nobilitati. Vindicandi ergo sunt, & ab impietate doctrinæ, & a morum obscenitate. At id nulla veritate fieri, nulla sinceritate potest. Fiat ergo fraudibus, atque mendaciis. Cum talis sit Beausobrii mens, cum talis sit animus,

Manichæorum exsecrabilem Eucharistiam in judicio Romano a Leone habito patefactam Valentinianus III. commemorat.

mus, repetat potius originem hæresis suæ ab antiquioribus Gnosticis, & Nicolaitis, qui Manichæos præcesserunt. Non deerunt ipsi mendacia, non deerunt fraudes, quibus ab impietate doctrinæ, & a morum obscenitate etiam Gnosticos vindicet, atque Nicolaitas.

De Historia Critica Manichæi, & Manichæismi, auctore Beausobrio, judicium verum, & genuinum.

XIII. Habes Amice Lector Isaacii Beausobrii, Calviniani Gregis Pastoris, calumnias, contumelias, fraudes, mendacia, quibus historia ejus critica Manichæi, & Manichæismi tota redundat. Non omnia quidem habes ejus mendacia, si enim singula persequi voluissem, nimis multus, & infinitus fere fuissem; multa tamen, eaque gravia & manifesta habes, totque tandem, & talia, ut mendacissimorum hominum mendacissimum prodant. Talis itaque historia vel tibi a te projicienda est, vel, si licet, postquam confutationem meam penitus intellexeris, perquam caute legenda. Habet ille quidem argutum scribendi genus, comptum, concinnum, hilare. Habet copiosam rarioris eruditionis supellectilem. Simulat se a studio partium prorsus alienum, atque unius investigandæ veritatis studiosum, Catholicis non infensum, Augustini, ceterorumque Patrum non cultorem modo, verum etiam veneratorem, quibus malitiosis artibus, & illecebris se blande insinuat, in legentium animos suaviter influit, & ad extremum venefico dente mordet, & perimit. Nisi quis in media Theologia, in Ecclesiastica Historia, & in doctrina Patrum penitus fuerit versatus, vix fieri potest, vel ne vix quidem, quin in hæreticorum errores incurrat, aut ambiguus fluctuet in Catholicæ Ecclesiæ doctrina, aut in contrarias sententias, in his quæ ad fidem pertinent, animus ejus distrahatur. Ab his igitur legendis scriptoribus, quibus nostra ætas redundat, incolumen te Lector Amice serva.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

AGapes christianæ primis Ecclesiæ sæculis celebratæ. *pag.* 198
Agapes christianæ christiana sacrificia non erant. 199
Altarium, Sacerdotum, Ecclesiarum Origenes IV. sæculi scriptor mentionem facit. 175
Altaria supra martyrum tumulos antiquitus erigebantur. 230
Altaribus reliquiæ martyrum ex antiquissimo christiano ritu includuntur. 231
De animarum origine Augustinus incertus. 12
Animæ naturam non esse naturam Dei Augustinus contra Fortunatum demonstrat. 13
De Anima cur a Deo juxta Manichæos missa sit, Damascenus cum Augustino consonat. 39
De Anima catholicorum sententia sanctissima, Manichæorum turpissima. 49
Anima juxta Manichæos post conjunctionem sui cum materia libera non est, nec potestatem habet resistendi malo. 50
Animas hominum particulas esse divinæ naturæ Manichæi cum Pythagoricis docuerunt. 56
Animam partem esse divinæ naturæ, Tyrbone ejus discipulo teste, Manichæus docuit. 58
Aoimas in quantum a Deo manant, cujus partes sunt, vitiis incorruptibiles esse, in quarum permistæ sunt tenebris corrumpi & violari Fortunatus docuit. 59
Anima juxta Manichæos contagione materiæ vitiatur, & Dei amittit non naturam, sed similitudinem. 63
Animam ex substantia Dei esse Fortunatus significat. 63
Animam a Deo lucis manasse, ut fræno suo regeret corpus, quid significet in Manichæi sententia. 64
Anima cur in materiam immissa sit, controversia præcipua fuit Augustinum inter & Fortunatum. 65
Animam nec Deum, nec partem Dei esse Augustinus contra Fortunatum tuetur. 65
Animæ cur sint conjunctæ materiæ, secus vero Verbum divinum in Manichæorum doctrina. 66
Animas juxta Manichæos partes esse divinæ naturæ ex disputatione Augustini cum Fortunato ostenditur. 66
Animæ membra Dei a Manichæis dicebantur, quòd partes essent divinæ naturæ. 68
Ex animis, quod sint divinæ naturæ partes, exsecrandæ contra Deum sententiæ consequuntur. 70
Animam, Manichæo auctore, partem esse divinæ naturæ Felix testatur. 71
Animam in suæ innocentiæ statu potestatem non habuisse resistendi malo, illudque vincendi, Manichæi docuerunt. 94
Animam post suum lapsum, & potestatem, & usum resistendi malo amisisse Manichæi docuerunt. 95
Animam, post acceptam per Evange-

ge-

gelium veritatis notitiam, libere quidem de peccato dolere, non autem libere peccare Manichæi docuerunt. 95
Animam partem esse divinæ naturæ Manichæi docuerunt. 98
Animam, utpote divinæ naturæ partem, Deum esse Manichæi censuerunt. 105
Anima naturam habet a Deo creatore, vitium ab homine primo prævaricatore. 119
Anima in sua origine quam habet a Deo creatore innocens & pura est, secus autem in origine, quam habet ab Adam prævaricatore. 119
Animam in sui creatione contaminari a carne, tabe concupiscentiæ infecta, nec Ecclesia, nec Augustinus docet. *ibid.*
Animarum creationem, earumque peccatum originale justitiæ Dei repugnare Augustinum sibi objecisse, nec objectioni satisfecisse, Beausobrii mendacium est. 120
Animæ, juxta Manichæos, ante conjunctionem sui cum materia, partes innocentes erant divinæ naturæ. 122
Animæ in Manichæorum hæresi invitæ & coactæ a materia contaminantur. 122
De animarum origine in eam sententiam inclinasse Augustinum, quæ docet, animas, ut corpora generari mendacium & calumnia Beausobrii est. 135
De animarum origine optabat Augustinus veram esse sententiam de assidua animarum novarum creatione. 136
De animarum origine turpissimam Leibnitii sententiam mendax Beausobrius Augustino attribuit. 139
De animarum origine ex traduce Tertulliani sententiam Augustinus repudiat. *ibid.*
De animarum origine Leibnitii sententia maxime discrepat ab Augustini sententia. 140
Animarum originem se nescire Augustinus ingenue fatetur. 140
Animarum traducem se cum catholicis defendere Augustinus contra Pelagianorum calumnias apertissime negat. 141
Quòd animarum traducem propugnaverit Augustinus contra Pelagianorum calumniam apertissime negat. 142
De animarum origine in utramque partem Augustinus assidue disputavit, tanquam de re sibi ignota, procliviorque fuit in sententiam de creatione, quam de animarum propagatione. 144
Archelai acta non nisi Græca, ex Syriacis conversa, ætate Hieronymi habebantur. 15
Archelai verba modo repudiantur, modo a Beausobrio laudantur. 51
Arnobius ineuntis sæculo IV. scriptor, quis qualisque fuerit, & qua de causa contra Gentiles scripserit. 177
Augustinus Manichæorum Auditor incredibilibus eorum fabulis fidem adhibuit. 30
Augustinum vix prima Græcæ linguæ elementa delibasse Beausobrii mendacium est. 243

B

Beausobrii mendacium de ignorata ab Augustino Manichæorum hæresi. 1
Beausobrii mendacium de corrupto ab Augustino Manichæorum systemate. 2
Beausobrius temerarius, cum vituperat, insanus cum Augustinum ce-

eodem loco laudat. 3
Beausobrii fraus & mendacium, quo Augustino Hipponensi subrogavit Evodium Uzalensem. 4
Beausobrii de Fausto, & Augustino judicium mendax. 6
Beausobrii mendacia, & calumniæ de allegorica Augustini interpretatione in duobus libris de Genesi contra Manichæos. 4
Beausobrii mendacium de Felice Manichæorum Electo. 9
Beausobrii mendacium de vafro Augustini consilio in disceptatione cum Fortunato Manichæorum presbytero. 11
Beausobrii mendacium de incerta apud Augustinum Manichæismi historia. 13
Beausobrii mendacia insignia de Manetis, & Manichæi nomine. 14
Beaosobrius secum ipse pugnat in statuendo Manetis & Manichæi nomine. 15
Beausobrii mendacia contra Augustinum affirmantem, Manichæum se Paracletum appellasse. 17
Beausobrii mendacium de Augustino nesciente, utrum Manichæus Paracletum se appellaverit. 18
Beausobrii mendacium de Augustino dubitante, an Manichæus se Paracletum dixerit. 20
Beausobrius malitiose Augustinum interpretarur de Manichæis dicentibus, Spiritum Sanctum ad nos per Manichæum advenisse, & in Manichæo fuisse. 19
Beausobrii mendacium de Augustino, quod censuerit, cum Manichæorum esset Auditor, tum Manichæum, tum Jesum Christum meros homines esse. 22
Beausobrii mendacia de exsecranda fabula ab Augustino Manichæis falso attributa. 26
Beausobrii calumnia horribilis contra Augustinum evidentissime confutatur. 26
Beausobrii argumenta contra Augustini narrationem nullius esse ponderis demonstrantur. 32
Beausobrii mendacium de Manichæorum reverentia erga Beatam Virginem. 33
Beausobrii mendacium de Augustino adulterante Manichæorum sententiam. 35
Beausobrius indigne Augustinum reprehendit de causa, cur Deus juxta Manichæos animam in materiam immiserit. 38
Beausobrius malitiose interpretatatur Græca de Manichæis Damasceni verba. 39
Beausobrius inique præfert auctoritatem Simplicii Gentilis Philosophi auctoritati Augustini Doctoris Ecclesiæ. 40
Beausobrius inique, & temere omnes fere hæresis Manichææ scriptores reprehendit. 43
Beausobrius imbecillitatem & inconstantiam doctrinæ temere in Augustino reprehendit. 44
Beausobrius temere de mendacio, & fide mala Augustinum, ceterosque Patres accusat. 61
Beausobrii insignis calumnia contra Augustinum; & ceteros sanctos Patres. 62
Beausobrii insigne mendacium de quæstione agitata inter Augustinum, & Fortunatum Manichæorum presbyterum. 64
Beausobrii mendacium de Augustino contra Manichæos Pelagianizante, & originalem concupiscentiam negante. 77
Beausobrii mendacium est Manichæorum hypothesim in tuto justitiam Dei collocare. 89
Beausobrii infidelitas in producendis Augustini verbis. 222

Beau-

Beausobrii calumnia est censuisse Augustinum, animam S. Stephani in suis cineribus habitare. 224

C

Catholicæ Ecclesiæ sanctitas qualis esset Augustini ætate contra Beausobrii calumnias demonstratur. 263
Catholicæ Ecclesiæ sanctitas V. sæculo ab accusationibus Manichæi Secundini, & a calumniis Calviniani Beausobrii vindicatur. 265
Cælibatus in Ecclesia Catholica cultus legi naturæ non est contrarius. 126
Cælibatus majoris Cleri ex antiquissima Ecclesiæ disciplina defenditur. 110
Cælibatus a Jesu Christo institutus, & a Paulo Apostolo cultus, & commendatus. 127
Cælibatus lex apud Manichæos detestabilis, apud Catholicos maxime laudabilis. 131
Cælibatus majoris Cleri a Jesu Christo per Apostolos, eorumque successores episcopos ad nos delatus. 132
Cælibatum majoris Cleri a Canone XIII. Trullanæ Synodi improbatum Romana Ecclesia contra canonem illum tuetur. 134
Coactionem Animæ a Manichæis propugnatam Augustinus non docuit. 88
Concupiscentiam nobis ingenitam Augustinus contra Fortunatum Manichæorum presbyterum disputans docet. 77
Concupiscentia originalis peccati pœna ab Augustino etiam cum Manichæis disputante affirmatur. 82
De concupiscentia a doctrina Apostoli maxime discrepabant Manichæi. 84
Concupiscentiæ consentire, vel repugnare in nostra potestate positum esse Augustinus docet. 88
Concupiscentiæ vi voluntatem ad consensionem trahi absurditas Beausobrii est. 88
Concupiscentiæ auctorem in Manichæorum sententia non esse malum dœmonem ex Augustino contra Beausobrium demonstratur. 88
Concupiscentiam in homine malam ejus animam esse pugnantem cum ejus anima bona Manichæi docuerunt. 99
De concupiscentia tres ferebantur sententiæ una Manichæorum, altera Pelagianorum, tertia Catholicorum. 115
Concupiscentia, quamvis de se mala sit, bonæ tamen sunt nuptiæ. 116
Concupiscentia non est nobis peccati originalis causa, sed peccatum primi parentis. 116
Crucis signo se, suaque frequentissime christiani veteres Tertulliani ætate, eodemque teste, signabant. 171
Cultus Martyribus a christianis exhibitus plurimum discrepat ab eo, quem Pagani diis suis exhibebant. 200
Cultus civilis & religiosus, in quo differant. 233
Cultus civilis ritus potestate civili, religiosi autem potestate Ecclesiastica statuuntur. 233
Cultus religiosi gradus designantur. 233
De cultu religioso Beausobrii sententiæ absurdæ. 234
Cultum martyrum apud Augustinum civilem esse, non religiosum Beausobrii calumnia est. 236

Cultus martyrum apud Catholicos, Augustino teste, maxime discrepat ab Heroum, Semideorumque cultu apud Paganos. 238
Cultum divinum dæmonibus suis, tanquam diis, Plato, & Platonici detulerunt. 238
Cultum, quem prius Pagani Idolis suis detulerunt, eumdem esse, quem facti christiani postea martyribus deferebant, mera Beausobrii calumnia est. 239
Cultu divino deos suos colendos antiqui Philosophi Pythagoras, Socrates, Plato, & Platonici censuerunt. 239
Cultus superstitiosus a quibusdam Afris, & ab Ecclesia Catholica reprobatus, narratur exhibitus. 240
In cultu Sanctorum Martyrum nulla introducta est in catholica Ecclesia novitas. 241
Cultu divino homines olim flagitiosissimos coluerunr Pagani: sanctissimos Martyres pio, sed non divino cultu colunt christiani. 241
Cultu non divino, sed religioso infra divinum, Sanctos Martyres honorari a christianis Cyrillus Alexandrinus contra Julianum Apostatam docet. 242
Cultu eodem coli Martyres a [illegible]istianis, quo Idola a Paganis temere Faustus Manichæorum episcopus catholicis exprobravit. 245
Cultu divino antiqui philosophi non modo majores, sed etiam minores Deos coluerunt, 245

D

Damascenus a Beausobrio citatus mendacem hominem manifeste declarat. 39
Deum lucem esse corpoream non ejusdem, sed diversæ rationis Manichæi docebant. 32
Deum ligari posse cum carne Manichæi docuerunt. 106
Deos omnes suos divino cultu, tanquam veros Deos colebant Pagani: non ita Martyres suos colunt christiani. 224
Diis omnibus suis superis & inferis, majoribus & minoribus, excelsis & infimis divinos honores tribuebant Pagani; secus vero Martyribus suis christiani. 232

E

Ecclesia tum militans, tum triumphans corpus mysticum Christi est, cujus caput est Christus. 196
Elementa cœlestia, cœlestis substantia, & regnum lucis, auctoribus Manichæis non sunt, nisi Deus, seu partes Dei. 67
Eucharistiam utpote continentem Corpus & Sanguinem Christi Afri catholici, ætate Augustini cultu latriæ adorabant. 158
Eucharisticus panis, Augustino teste, Corpus Christi est: Eucharisticum vinum, eodem teste, Sanguis est Cheisti. 159
In Eucharistico pane & vino contineri verum Christi Corpus, & Sanguinem ejus verum clarioribus verbis, quibus usus est, Augustinus significare non poterat. 160
In Eucharistiæ distributione, qualis fuerit veteris Ecclesiæ ritus. 161
Contra Eucharistiam continentem Corpus & Sanguinem Christi male interpretatur Beausobrius Græcam vocem *Mysticum* ab Augustino adhibitam. 161
Contra Eucharistiam continentem Cor-

Corpus & Sangninem Christi temere Beausobrius iuterpretatur locum Augnstini ex libris de Trinitate. 162
Eucharistiæ mysterium ex disciplina arcani catechumenis occultabatur. 163
Eucharistiæ doctrina, ejusque usus apud Catholicos maxime discrepat ab impia Manichæorum fabula de eorum Jesu patibili. 165
Eucharistiæ mysterium ex disciplina arcani, & infidelibus, & catechumenis occultabatur. 166
Eucharistia antiquitus per Acolytos ab episcopis mittebatur presbyteris, qui diebus Dominicis in suis titulis celebrabant. 167
Eucharistiam ob disciplinam arcani Innocentius I. verbis propriis nominare non audet. 168
Eucharistiæ participandæ mirabilis ritus ætate Tertulliani, & Cypriani. 171
Eucharisticum panem, & vinum Corpus & Sanguinem esse Jesu Christi Justinus Martyr II. sæculi scriptor affirmat. 180
Eucharisticum panem & vinum Corpus & Sanguinem esse Jesu Christi apertissime Augustinus testatur. 186
Eucharisticus panis & vinum non est mera figura, sed verum Corpus, & Sanguis Christi, teste Augustino. 189
Eucharisticum panem in Sacrificium oblatum latriæ cultu adorandum esse Augustinus docuit, quod sine Idololatria fieri nou potest, nisi sit verum Christi Corpus. 194
Eulogiæ orientalis Ecclesiæ quæ, & quales sint. 211

F

Fabulam Manichæorum obscenissimam verisimile est Augustino Manichæorum Auditori fuisse ignotam. 28
Faustus Manichæorum episcopus sola arte Grammatica mediocriter tinctus. 7
Faustus quis, qualis, & cujas fuerit. 7
Faustus in Catholicos contumeliosus. 8
De Fausto judicium Cave Anglicani contrarium judicio Beauscbrii Calviniani. 8
Fausti & collegarum ejus de virtutibus suis prædicationem Augustinus coercet. 169
De Felice Manichæorum Electo Augustini & Possidii judicium. 9
De Felice Maurinorum judicium contrarium Beausobrii judicio. 9
Felix Manichæorum Electus satis eruditus erat in hæresi Manichæa. 10
Felicis Manichæi cum Augustino disputantis acta publica magnæ auctoritatis sunt. 27
De Felice Manichæorum Electo falsa Beausobrii sententia. 46
Felix in Manichæorum doctrina satis versatus. 60
Felix meditatus, & præpararus cum Augustino disputavit. 60
Felix Manichæorum Electus Deum incorruptibilem esse defendere nequit. 70
Festi Gentilium dies a christianis v. sæculi celebrati Fausti & Beausobrii mendacia sunt. 259
Ex festis Gentilium diebus a quibusdam christianis II. sæculi celebratis non sequitur eosdem dies festos a christianis v. sæculi celebratos fuisse. 260
De Fortunato Manichæorum presbyte-

sbytero mendax Beausobrii judicium. 10
Fortunatus ab Augustino se superatum fatetur. 10
Fortunatus, ut Manichæi ceteri, secum ipse pugnat, disputans de natura Dei. 10
Fortunati callida tergiversatio in disceptatione cum Augustino. 12
Fortunatus primo affirmat Deum necessitate oppressum bonas animas huc misisse; deinde, quod affirmaverat, negat. 38
Fortunatus ad objectam sibi in Manichæorum sententia Dei crudelitatem, se superatum fatetur, & fugam ab Hippone arripit. 54
Fortunatus ad propositam sibi ab Augustino quæstionem subterfugia, & diverticula quærit. 65
Fortunatus in quæstione de causa mittendi animam in materia se superatum ab Augustino fatetur. 65

G

GRæcorum Patrum silentium de Manichæorum obscenitate ab Augustino narrata frustra Beausobrius producit. 34

H

HEroas suos, quos Deos Lares, Plato & Platonici censebant, cultu divino adorabant. 232
Heroibus suis Pagani cultum divinum præstabant. 233
Heroas, Semideosque suos cultu divino colebant Pagani. 233
De Historia critica Manichæi & Manichæismi a Beausobrio concinnata judicium verum, & genuinum. 292
Hominem Manichæorum primum, ejus membra, arma, vestimenta cum Elementis quinqne substantiam Dei esse Faustus docebat. 69

I

IDololatriam dici Sacrificium Idolis exhibitum verissime Augustinus docuit. 244
Idololatriæ umbram ipsam timuisse Faustum Manichæorum episcopum mendacium Beausobrii est. 261
Jesus patibilis, Deique Filius, ex omni ligno pendens impia fuit Manichæorum fabula. 164
Ignorantia & concupiscentia non impediunt animam, quo minus malo culpæ resistat, cui resistere potest, si velit. 100

L

LAres, Manes, Lemures Dii erant apud Platonicos, veteresque Gentiles, quos parentalibus sacrificiis placabant. 225
Latria ex institutione & consuetudine, usuque Ecclesiæ divinum cultum significat. 244
Libertatem animæ in statu gratiæ Manichæos docuisse merum Beausobrii mendacium est. 91
Libertas hominis apud Manichæos nulla, sed summa potius necessitas & coactio. 91
Libertatis confessionem natura ipsa a Manichæo, quamvis nolente, quandoque extorsit. 93
Libertatem indifferentiæ activæ tum contra Manichæos, tum contra Pelagianos perpetuo Augustinus docuit. 102
Liberæ voluntatis animam esse Manichæi negarunt. 92
Liberum arbitrium ab Augustino contra Manichæos demonstratur. 73

De Libero arbitrio Christi Domini verba Augustinum interpretantem temere Beausobrius reprehendit. 73
De Libero arbitrio Christi Domini verba optime Augustinus interpretatur. 73
De Libero arbitrio male Beausobrius meretur, male interpretando Christi Domini verba. 74
De Libero arbitrio male merentur tum Calvinianus Beausobrius, tum Pelagianus Julianus male interpeetando Christi Domini verba. 74
A Libero arbitrio aliena intetpretatione Christi Domini verba Beausobrius & Julianus interpretantes ab Augustino confutantur. 75
Liberum hominis arbitrium ab Augustino Christi Domini testimonio optime demonstratur. 76
Liberum hominis arbitrium sententiis testamenti veteris demonstratur. 81
De Libero arbitrio interdum ab Augustino negato eadem Beausobrii & Juliani calumnia est. 79
Liberum arbitrium ab Augustino tum contra Manichæos, tum contra Pelagianos affirmatur. 80
Liberum arbitrium ab Augustino contra Pelagianos pugnante defenditur. 81
De Libero arbitrio a Manichæis negato quæstio agitata est illos inter atque Catholicos. 96
Liberum Adami innocentis arbitrium non fuit æquilibrium inclinationis bonum inter & malum: æquilibrium vero activæ indifferentiæ omnium nostrum commune est. 97
Liberum hominis arbitrium in quovis statu versetur potestate pari posse bonum, & malum facere Pelagiani errando docuerunt. 101
Liberi arbitrii servitus, quæ & qualis apud Manichæos, quæ & qualis apud Augustinum. 102

M

Manes lingua Persica, Manichæus Græca lingua cur idem homo sit appellatus. 13
Manes & Manichæus idem homo promiscue appellatus. 15
Manetis non Manichæi nomen cur sibi fecerit, qui primo Curbicus dicebatur. 15
Manichæum se Paracletum dixisse Augustinus, veteres Patres, veteres anathematismi, & Manichæi ipsi testantur. 16
Manichæus non eo modo quo Paulus, se Jesu Christi Apostolum nominavit. 19
Manichæi ipsi sibi repugnant affirmantes Manichæum a Paracleto, & negantes hominem Jesum a Filio Dei susceptum. 19
Manichæum Paracletum esse, & Paracletum in Manichæo esse, quo sensu dixerint Manichæi. 21
De Manichæorum maxime impia & obscena fabula certissima testimonia. 23
Manichæus, ut ceteri hæretici, secum ipse pugnat. 32
Manichæi cur negaverint Dei Verbum assumpsisse corpus humanum. 33
Manichæorum maxime absurda de Trinitate doctrina. 33
Manichæorum summa solertia in sua doctrina, suisque mysteriis occultandis. 34
Manichææ disciplinæ perquam impiam obscenitatem præter Augustinum, Tyrbo Manichæi discipulus, & Cyrillus Jerosolymitanus testantur. 35
Manichæi docuerunt Deum necessitate

sitate oppressum bonas animas huc misisse. 36
Manichæi verba a Beausobio citata de mendacio illum redarguunt. 41
Manichæus docuit duplici de causa Deum misisse animam in materiam, prima, ut sibi consuleret; altera, ut materiam frænaret. 42
Manichæi ex Augustino, quem sibi fingunt Deum, & infirmum, & injustum, & crudelem faciunt. 43
Manichæi dicebant, Deum sibi timentem, & consulentem tradidisse animas principibus tenebrarum. 46
Manichæi verbis quidem negabant, sed re ipsa affirmabant, Deum violabilem esse. 47
Manichæorum fabula utpote repugnans attributis Dei defendi non potest inscrutabilibus judiciis Dei. 49
Manichæi fraus ad vindicandum Deum suum ab omni crudelitate. 52
In Manichæi fabula vindicari non potest Deus ab injustitia, & immanitate. 52
Manichæi docuerunt æternam animarum jacturam, atque æterna supplicia. 53
In Manichæorum fabula vindicari non posse Deum ab horribili crudelitate aptissima similitudine demonstratur. 55
Manichæi docuerunt lucem corpoream Dei esse naturam. 63
Manichæus docuit, Deum miscuisse naturæ dæmonum polluendam partem naturæ suæ. 62
Manichæi jure meritoque igne ferroque cohibiti. 72
Manichæos Auditoribus suis præcepisse, ut in usu conjugis a liberis procreandis caverent, res est certa, atque explorata. 105
Manichæi in concubitu solam procreationem damnabant. 106
Manichæus in Mariam Virginem impie contumeliosus. 106
Manichæus fornicationem, & adulteria improbat, quoniam procreationis sunt causa. 107
Manichæi universa tanquam partes divinæ naturæ cultu latriæ adorabant. 155
Manichæos de Idolatria Augustinus nunquam accusavit. 156
Manichæorum vita, & mores in omni eorum ætate flagitiosissimi. 266
Manichæi fallacem castitatis & continentiæ speciem præseferebant. 268
Manichæorum tria decantata signacula oris, sinus, & manuum; turpia & nefaria fuisse demonstrantur ab Augustino. 270
Martyrum cultus, Augustino teste, latriæ cultus non est: quibus non templa, non altaria, non sacerdotia, non sacrificia dicantur. 199
Martyrum cultus apud catholicos, Augustino teste, maxime discrepat ab Idolorum cultu apud Gentiles. 200
Ad martyrum tumulos antiquæ synaxes epulares de se honestæ, ebriosorum autem abusu, turpes. 201
Ad martyrum tumulos Patres nonnulli epulares synaxes Gentilibus ad Ecclesiam venientibus indulserunt. 202
A Martyrum tumulis, & solemnitatibus epulares synaxes propter abusus sublatæ. 203
Ad martyrum tumulos vino, & dapibus mortuorum umbras Catholicos placare voluisse, Fausti & Beausobrii calumnia est. 204
Martyrum tumulis christiani quidam

dam epulas imponebant, ut eas Deus per merita martyrum benediceret. 206
Martyrum merita multum apud Deum pro nostra salute valent. 207
De martyrum miraculis ad eorum tumulos patratis Beausobrii scurrilitates exploduntur. 207
Martyrum tumulis dapes impositas virtutem sanctificandi induere, non error vetetum christianorum, sed nova Beausobrii calumnia est. 210
Martyrum cultus ab Ecclesia IV. & V. saeculi exhibitus longe dissimilis ab eo, quem Diis suis Pagani exhibebant. 213
Martyrum cineribus miraculorum virtutem nunquam attribuit Ecclesia, sed soli Deo per martyrum impetrationem. 213
Ad martyrum preces consecutis miraculis non divinam, sed humanam dumtaxat fidem adhibet Ecclesia. 213
Martyres in cœlo regnantes rite ab Ecclesia invocantur. 214
Martyrum falsa miracula Patres promulgasse atrox Beausobrii calumnia est. 215
Martyrum cultum, qui latriae dicitur reprobat Augustinus, secus vero cultum inferioris ordinis, qui duliae appellatur. 215
Martyribus exhiberi religionem Augustinus vetat, quae proprius & singularis est cultus Dei. 216
Martyrum cultum ut Beausobrius explodat, frustra & malitiose provocat ad Patres, qui rribus primis Ecclesiae saeculis floruerunt. 217
De Martyrum, eorumque reliquiarum cultu primis tribus Ecclesiae saeculis testimonia. 217
Martyrum animas in suis cineribus habitare non christianorum opinio, sed Beausobrii calumnia est. 223
Martyrum templa dicuntur, quod in his Deo dicatis martyres sancti religioso, non divino cultu coluntur. 227
Martyrum aedes sacrae multis variisque nominibus tum a Latinis, tum a Graecis fidelibus insignitae. 229
Martyres apud Catholicos in suis tumulis habitare Beausobrii calumnia est. 229
Miraculorum auctor, Augustino teste, non est nisi Deus. 230
Miracula, quae in Ecclesia sua Christus futura promisit, impie Beausobrius irridet. 248
Miracula primis Ecclesiae saeculis ad Martyrum tumulos habita recensentur. 249
Miracula, quae ex contactu vestis Jesu Christi, utensilium Pauli, & ex umbra Petri consecuta sunt Beausobrii dicacitatem opprimunt. 250
Miraculorum auctor Deus, impetratores Martyres, ratio obtinendi fides. 251
Miracula sunt nota propria verae Christi Domini Ecclesiae. 251
Miraculorum, quae Augustinus narrat, plurimi, certissimique testes. 252
Miraculorum, quae Augustinus narrat, veritas vindicatur. 253
Miracula quae Augustinus narrat, temere, impie, & fatue Beausobrius explodit. 254

N

NAturam aeternam malam contrariam aeternae naturae bonae Manichaei excogitarunt. 97
Necessitas peccandi nulla est, qua data,

data, nulla eſſet vera culpa, nec ulla juſta pœna. 94
Nuptias liberos procreandi cauſa inſtitutas Manichæi prohibebant. 108
Nuptias malas, virginitatem bonam Manichæi dicebant: nuptias bonas, meliorem virginitatem Catholici dicunt. 109
Nuptias Electis ſuis Manichæi prohibebant deteſtatione procreationis; eas Catholici prohibent majori clero ſanctitate conſecrationis. 110
Nuptias Manichæi prohibebant, ne anima bona particula Dei boni conſtringeretur cum materia particula Dei mali. 114
Nuptiarum tria bona ſunt proles, fides, ſacramentum, quamvis earum uſus ſine concupiſcentia mala modo haberi non poſſit. 117
Nuptias malas eſſe non ex catholicorum, ſed ex Manichæorum principiis conſequitur. 117
Nuptiis contraria non ſunt catholicorum principia de peccato originali. 123
Nuptias Manichæi reprobabant, quod cenſerent per eas animam partem Dei boni conglutinari cum carne Dei mali parte. 123
Nuptiarum munus honeſtiſſime obeunt chriſtiani conjuges. 124
Ex nuptiis a Manichæis prohibitis non ſequitur interitus Manichææ ſectæ. 126
In nuptiis obſceniſſimum uxoris uſum a Manichæis præceptum Titus Boſtrenſis teſtatur. 128
Nuptiæ Electis prohibitæ tanquam malæ, Auditoribus permiſſæ, tanquam his neceſſariæ, interdicta tamen liberorum procreatione. 129
Nuptias malas eſſe Manichæi affirmabant; bonas eſſe catholici affirmant, hiſque meliorem virginitatem. 131

O

OBſcenitas Manichæorum, eorumque flagitioſa vita & nefaria ex eorum doctrina manans ab Auguſtino demonſtratur. 274
Obſcenitatem Manichæorum fruſtra Beauſobrius vindicare conatur. 276
ObſcenumManichæorum flagitium, de quo Cyrillus Jeroſolymitanus, cur tamdiu Auguſtino fuerit ignotum. 277
Obſcenum Manichæorum flagitium fruſtra Beauſobrius vindicare conatur. 278
Obſceniſſima Manichæorum Euchariſtia certiſſimis monumentis ab Auguſtino demonſtratur. 279
Ab obſceniſſima euchariſtia fruſtra Beauſobrius Manichæos ſuos vindicare nititur. 281
Obſceniſſima Manichæorum euchariſtia publico legitimoque judicio a S.LeoneM.Romæ habito demonſtratur. 290
Obſceniſſimam Manichæorum euchariſtiam in judicio Romano apud Leonem M. habito, Valentinianus III. exſecratur. 291

P

PEccatum originale perpetuo ab Auguſtino tum contra Pelagianos, tum contra Manichæos affirmatur. 44
Peccatum originale contra Beauſobrium Pelagianum novum oſtenditur. 45
De peccato originali & concupiſcentia cur Auguſtinus contra

Manichæos parce & jejune tractaverit. 78

Peccato originali vitiari animam, ad fidem pertinet; modus autem quo vitiatur, ad fidem non pertinet. 120

Contra peccatum originale novam quamdam Manichæorum hæresim Beausobrius introducit. 122

Peccatum originale Beausobrius explodit, eo quod honestæ sunt nuptiæ. 124

Peccatum originale ex triplici Beausobrii assertione non consequitur. 125

Peccatum originale juxta Beausobrium non ad fidem pertinet, sed ad Theologicam opinionem. 125

Peccatum originale ex divinis paginis ab Augustino demonstratur. 125

Peccata actualia non libera, sed coacta Manichæi docuerunt: idque Beausobrius temere negat. 83

Peccata hominis quædam esse animæ malæ, quæ vero animæ bonæ sunt, ipsi libera omnino non esse Manichæi docuerunt. 85

Pelagianos contra Augustinum Beausobrius defendit. 115

Priscillanistæ, Manichæorum soboles, etiam pejerando impietates suas occultabant. 34

Purgatorium esse ex consuetudine Ecclesiæ orandi pro defunctis Arnobius ineuntis sæculi IV. scriptor significat. 179

Purgatorium esse ex sacrificiis celebrari solitis pro defunctis Cyprianus sæculi III. scriptor ostendit. 184

R

Reliquiæ vide Martyres. Reliquiarum sanctarum cultum hæreticis nostræ ætatis vituperantibus antiquissimi hæretici proluserunt. 246

Reliquiarum sanctarum cultum Hieronymus contra Vigilantium tuetur. 247

Reliquias S. Stephani nuper inventas, Augustino teste, magna miraculorum multitudo consecuta est. 253

Reliquiæ S. Stephani protomartyris divinitus inventæ contra Beausobrium demonstrantur. 255

Reliquiarum S. Stephani protomartyris inventioni nihil obest objectum a Beausobrio silentium Hieronymi, Socratis, Sozomeni, & Evagrii. 25

Ritus Deos suos adorandi apud Gentiles, quo in signum adorationis suas sibi manus osculabantur. 134

S

Sacrificium christianorum ob disciplinam arcani Scapulæ christianorum in Africa persecutori Tertullianus ad eum scribens celat. 169

Sacrificium corporis Christi, ejusdem in Eucharistia participationem, & aram, in qua offertur, Tertullianus ad christianos scribens apertissimis verbis testatur. 170

Sacrificia, altaria, templa publica, sævientibus persecutionibus, christiani habere non poterant, quæ tamen occulta habebant in subterraneis præsertim arenariis. 173

Sacrificium corporis Christi, aram, Sacerdotes Tertullianus II. sæculi scriptor commemorat. 174

Sacrificia, & cetera christiana mysteria Origenes contra Gentiles. scri-

scribens ob disciplinam arcani non manifestat. 175
Sacrificia, & cetera christiana sacra teste Cæcilio Gentili apud Minutium, antiqui christiani ob disciplinam arcani occultabant. 176
Sacrificia deorum, eorumque aras apud christianos esse Minutius contra Gentiles scribens negat: de sacrificiis vero, arisque christianis omnino tacendis tacet. 177
Sacrificia, aras, victimas, delubra in honorem Deorum repudiari a christianis Arnobius affirmat. 178
Sacrificia corporis, & sanguinis Christi ab ipso præscripta, per universum mundum Deo a christianis offerri Justinus martyr II. sæculi scriptor apertis verbis testatur. 179
Sacrificium corporis, & sanguinis Christi Malachiæ vaticinio in universo mundo celebrandum, Irenæus II. sæculi scriptor testatur. 180
Sacrificium corporis, & sanguinis Christi in pane, & vino Eucharistico, cujus præfigurator Melchisedech, Institutor Christus, Ministri Sacerdotes Cyprianus martyr III. sæculi scriptor affirmat. 182
Sacrificium corporis, & sanguinis Christi Cypriani ætate quotidie a Sacerdotibus celebrari solitum. 183
Sacrificia corporis, & sanguinis Christi diebus Festis sanctorum martyrum Cypriani ætate singulis annis celebrari solita. 183
Sacrificia corporis, & sanguinis Christi Cypriani ætate pro defunctis fidelibus celebrari solita. 184
In sacrificio altaris presbyterum juxta catholicos offerre Deo divinitatem & personam Verbi Beausobrii calumnia est. 185
Sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Ecclesia christiana celebrari solitum Augustinus apertissimis verbis testatur. 187
Sacrificium Eucharisticum, Augustino teste, non est mera commemoratio, sed vera iteratio sacrificii a Christo Domino oblati. 188
Sacrificium christianum, teste Augustino, vera oblatio est veri corporis, & sanguinis Christi, quod in memoriam offertur peracti sacrificii cruenti. 189
In sacrificio altaris ex Augustino aliud videtur, aliud intelligitur; videtur enim panis, & vinum, intelligitur autem corpus, & sanguis Christi. 190
Præter sacrificium mysticum, quo Ecclesia offert seipsam Deo, existit verum & proprium sacrificium incruentum veri corporis, & sanguinis Christi. 191
De sacrificio vero & proprio veri & proprii corporis, & sanguinis Christi in pane, & vino Eucharistico multa & præclara sunt S. Augustini testimonia. 192
Sacrificium corporis mystici, sacrificium est proprii corporis Christi: quoniam corpus Christi mysticum constat capite quod est Christus, & membris, qualia præcipua sunt martyres sancti. 196
Sacrificia epularia, unde epulones, & parentalia, quæ, & qualia apud Gentiles fuerint. 208
Salvianus scriptor sæculi v. non in so-

solos Afros, sed in omnes fere catholicos præter modum, æstu quodam declamatorio invehitur. 261
Secundinus Manichæus quis, & quales fuerit. 2
Simplicius Gentilis philosophus a Beausobrio citatus eum mendacem manifeste declarat. 40
De Solis & Lunæ cultu a Manichæis usitato permulta scriptorum veterum testimonia sunt. 146
De Solis & Lunæ divino cultu, tanquam divinæ naturæ apud Manichæos multa & præclara Sancti Augustini sunt testimonia. 147
Solem particulam esse lucis corporeæ, quam Deum esse censebant, Manichæi docuerunt. 149
Solem factum ex igne bono, & Lunam ex aqua bona, & elementa partes esse divinæ naturæ Manichæi censuerunt. 150
Solis lucem esse virtutem Filii, & Lucem Lunæ Filii esse sapientiam, Deique esse naturam Manichæi docuerunt. 151
Solem & Lunam resque universas latriæ cultu Manichæi colebant. 151
Ad Solem conversi christiani veteres pie atque religiose, Manichæi vero impie & superstitiose orabant. 152
Ad Solem conversi tanquam ad Deum suum Manichæi, Augustino teste, orabant. 154
Solem & Lunam, tanquam partes divinæ naturæ eo latriæ cultu, Fausto teste, Manichæi adorabant, quo Catholici Eucharistiam adorant. 155
Solem & Lunam in suis precibus, tanquam divina Numina Manichæi invocabant. 156
Solem & Lunam tanquam divina Numina latriæ cultu Manichæi adorabant. 157
Sol a Gentilibus Deus habitus, & divino cultu adoratus. 235
Solis cultum cultui Sanctorum Martyrum perquamimpie Beausobrius præfert. 235
Spinosæ doctrina multo incredibilior, quam doctrina Manichæorum. 61
Stationes christianorum Tertulliani ætate, quæ, & quales fuerint. 170
Synaxes epulares veterum christianorum ad martyrum tumulos Gentilium parentalia non erant. 209
De Synaxibus epularibus Augustinus, aliique Patres agentes multis mendaciis, atque calumniis a Beausobrio lacerantur. 211

T

Thesauri librum, Manichæi opus, verisimile est Augustino Manichæorum Auditori ignotum fuisse. 29
Thesauri liber, ut sybillini libri, solis Electis notus erat. 29
Templum christianorum Romæ publicum imperante Alexandro Severo dicatum est. 173
Templa christianorum publica sæculo III. in Africa extabant, ante exortam Diocletiani persecutionem. 173
Templa Gentilium domicilia Deorum erant, in quibus Deos suos habitare arbitrabantur. 223

V

De vi & coactione eodem sensu Manichæos, quo Paulus & Au-

& Augustinus, locutos esse, Beausobrii mendacium est. 86

Vigiliæ christianorum sanctissimæ consuetudines, non nefaria commercia, quales Beausobrius accusat, fuerunt. 279

Vitam & mores catholicorum v. sæculi nihil discrepasse a vita & moribus Paganorum, Fausti, & Beausobrii calumniæ sunt. 261

Voluntarium esse peccatum imprudens, sibique repugnans quandoque Manichæus significavit. 92

F I N I S.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Angellieri Alticozzi, Lorenzo

Dissertationes de mendaciis et fraudibus Isaacii Beausobrii in Historica critica Manichaei et Manichaeismi

Roma 1767

4 H.eccl. 21#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10003728-3